

3117. III. a. b.

IX 40


Perlege dispositas Generosa per atria Ceras
Ovid.
Præteritis Melior Venientibus
Auctor Claud.
Talis Longo post Tempore venit DUX Mihi Statius
In Medio
Mihi CÆSAR erit
Templumque Tenebit
Virg.
Andreas & Josephus Schmuzer Univ: Vien: Calcographi Sculpserunt 1728

HISTORIA DUCUM STYRIÆ

In Tres Partes divisa,

AUGUSTISSIMO

ROMANORUM

IMPERATORI

CAROLO VI.

Germaniæ, Hispaniæ, Hungariæ, Bohemiæ

REGI,

ARCHI DUCI AUSTRIÆ,

DUCI STYRIÆ, &c. &c.

PRINCIPI, ac DOMINO, DOMINO

CLEMENTISSIMO,

K K
LYCEAL
BIBLIOTHEK
ZU
LAIBACH

Dum auspicatissimum Kalendis Octobribus

NATALEM DIEM

Græcii ageret,

IN DEBITI HONORIS ÆTERNUM MONUMENTUM

Dicata, dedicatáque

Ab Archi-Ducali, & Cæsareo

Collegio, & Academia Græcensi

Societatis JESU.

GRÆCII, Literis Hæredum Widmanstadii,
Anno M.DCC.XXVIII.

IMP. CAE. PIO FEL. AUG.
CAROLO AUSTR.
DIVOR. IMPPP. CAESSS.
LEOPOLDI MAGNI FIL.
FERDINANDI III. NEP.
FERDINANDI II. PRON.
DIVI CAROLI AUSTR.
DUCIS STYRIÆ
COLL. ACAD. GRÆCENS. S. J.
CONDITORIS ABNEP.
REB. BELLO AC PACE GEST.
SAPIENTIA
MAXIMO.

IN-03 000 6923

INVICTISSIME,
AC
POTENTISSIME
ROMANORUM
IMPERATOR
Semper Auguſte,
Germaniæ, Hiſpaniæ, Hungariæ, Bohemiæ
REX,
ARCHI-DUX AUSTRIÆ,
DUX STYRIÆ,
PRINCEPS, & DOMINE, DOMINE
CLEMENTISSIME.



Erebamur curas Tuas, quibus Orbem complecteris, interpellare, Auguſtiſſime Cæsar; niſi ſpes fuiſſet Clementiæ ejus Tuæ, quâ Te omnibus ex æquo indulgentiſſimum præbes, partem aliquam etiam in nos derivatum iri. Tuus, ut in hanc urbem adventus, non Reipublicæ modò, ſed multò Tibi Ipsi magis, Cæsar, fauſtus fortunatúsque accideret, Styriæ quidem univerſæ votis noſtra nuper junximus; taciti tamen adhuc precabamur. Ampliora ſunt hodierno die pro Felicitate, pro Vita, pro Imperio Tuo nuncupanda vota: qui tanti Principis non jam in Urbem unam aliquam,

quam, ſed in Orbem adventui ſacer eſt. Ad hanc lætitiam publicam premere ultra voces non licuit: nec cohibere potuimus animum; quin advoluti ad pedes Maiestatis Tuæ totos nos Tuos eſſe profiteremur: minima licèt Tuorum pars; at qui ſtudiis erga Te noſtris cum quibusvis de palma contendere velimus. Quartus ſupra quadrageſimum annus allabitur, quòd has Kalendas Octobres Tuo primùm ortu ſignâſti. Quantum illæ nobis in poſterum felicitatis, quantum gloriæ Tibi, Cæsar Maxime, portenderent, non aſſequebamur tum; utut auguria quàm longiſſimè porrigeremus: nec aſſecuti ſumus antè, quàm Imperantem conſpiceremus. Octavum decimum ætatis annum nondum egreſſo per immenſos terrarum mariúmque tractus, atque adeò extracto in tertium luſtrum bello vindicandum erat Regnum, quod ipſa naſcendi conditio Tuum fecerat. Hoc initium illuſtre, ac velut rudimentum gloriæ Tuæ fuit, quo Te Orbis Imperio dignum oſtenderes. Itaque Imperator dictus es, non tam ſuffragiorum jure, quàm quòd id honoris jam diu ampliſſimis Tuis meritis, atque virtutibus deberetur. Nemo certè ante Te Principum fuit, ac nè ille quidem omnium fortaſſe, qui ad hoc tempus Imperio Romano præfuerunt, Cæſarum Maximus Carolus V., qui tot, támque illuſtribus rebus geſtis gubernandam Rempublicam ſuſcepiſſet. Suſpexit diu antè heroum animum Tuum Germania, ſeu profligandi numeroſi eſſent hoſtes; ſeu toleranda graviſſima obſidionis pericula. Hac Fortitudine Tua, invictáque Conſtantiâ magis, quàm alio ullo præſidio Barcino invicta ſtetit: ut adeò dignus planè eſſes, qui Genti fortiſſimæ imperares. Jam verò ex eo tempore, quanta ad veteres Tuas laudes acceſſio facta eſt: quæ non priſcis illis temporibus admiranda terrâ marique geſſiſti! Non penè citiùs imperantem Te, Cæsar Maxime, quàm finito acerrimo, ac diuturno bello pacem Germaniæ reſtitutam vidimus: ut jam tum agnoſceret Orbis, quàm æquum, quàm moderatum in Te Principem habiturus eſſet. Nemo ad hoc tempus Auſtriacorum Principum, æquè ùt Tu, numeroſas ſub ſignis Legiones cenſuit: has in quemcunque obvertas, ſecutura belli fortuna eſt; ſed Euro-

ropæ videlicet quietem tueri, Cæsar Optime, mavis, quàm latiùs imperare. Neque verò est, ut victoriis Tuis crescere amet Germania: sat magna uno Te Imperatore. Itaque dedisti manus orbi supplicanti; ac non unum jus Tuum saluti publicæ condonâsti. Quo quidem adeò nihil de gloria Tua imminutum iivisti, ut nunquam appareret magis aut rerum Europæ arbitrium penès Te unum esse, aut nî sit, solam Tuam æquitatem, ac modestiam obstitisse. Talis pace cùm sis, nequaquam bellica laude minorem suspicimus. Biennio haud amplius cum barbaris hostibus, & magnam partem collectis in unum Asiæ viribus ità debellatum est, ut provoluti ad pedes Tuos pacem supplices exposcerent, qui paulò antè feroces Germaniæ, atque Italiæ imminebant. In qua quidem victoria aliquid victoriâ ipsâ reperisti majus, dum unà & libertatem Hungariæ, & Italiæ securitatem, & felicitatem subjectis populis, & immortalem Tibi gloriam peperisti. Ac ejecturus barbaros non Hungariâ modò, sed Europâ omni fueras; restitutúmque Orientis Imperium, Carolo illo Magno major, Occidenti juncturus, si perinde ùt domare hostes Tuos, ità pronum fuisset alienam ambitionem, atque invidiam vincere. Ità pacatâ Europâ, fractâ Asiâ, terrore Nominis Tui repletâ Africâ, penè quot sunt partes orbis terrarum, totidem feciſti monumenta gloriæ Tuæ. Quid jam cetera dicam? prægrandium navigiorum classem Danubio impositam, rem seculis inauditam: ut adeò nunquam ille gloriæ nostræ, ac sub Te Imperatore, largior flueret; dimissas mercimoniorum causâ è Belgio naves, quæ dum alienas terris nostris divitias important, Nominis Tui famam ad extremos usque orbis fines proveherent; Europam junctam fœderibus; Ærarii rationes optimè constitutas; reparatas publicæ commoditati vias; ad vigorem pristinum revocatas leges; scientias instauratas: penè ut superbire literæ, bonæque artes possint, quæ tam altè se in Principis animum penetrârint. Felicia planè Te Imperatore tempora! sic Provinciæ auctæ Coloniis: sic communitæ urbes: sic vindicata Religio: sic subditi omnes populi: sic Europæ melior pars: sic boni omnes exclamant, quos

virtutum TUARUM admiratores nactus es. Quidni autem Orbis miretur Cæsarem, qui Religionem, Sapientiam, Fortitudinem, Consiliorum Divinam penè Sagacitatem, Temperantiam, Æquitatem, ceteras omnes Imperatorias laudes ità conjunxerit, ut paucos Romanum Imperium pares habuerit Principes, superiorem fortasse neminem. Religionem loquuntur mox à susceptа Republica sceleribus indictum bellum; restitutus Ædibus sacris honor, ac reverentia; optimi quique Ecclesiarum delecti Præsides; publica denique illa Pietas TUA, quæ adeò Exterorum etiam oculos animósque advertit. Justitiæ laudem multis editis documentis TIBI propriam vendicas. Hanc Tu unicè animo consectaris: seu bellum hostibus faciendum; seu pax indulgenda supplici Europæ; seu Institutis sanctissimis temperanda Regna: eam unam veram magnitudinem reputans, non tam, quæ velis facere; quàm, quæ oporteat velle. Parùm est, quòd optimum quemque delegisti, qui judiciis cum potestate præesset: etiam IPSE non rarò Judicis munia obis. Quid dicam? cùm Imperii amplissimi moderandi onus sustineas: cùm Germaniæ incolumitas, cùm Europæ quies adeò TE solicitum habeant; tamen animum illum magnum, rerum gravissimarum mole distentum, ad privatorum hominum causas advertis. DEUM Opt. Max., cujus vices in terris obtines, hac ratione imitaris, CÆSAR OPTIME, exilia ista perinde, ùt illa maxima procurantem.

Hæc, opinor, sunt, quæ jam olim prospera nobis hodiernus dies portendit. Auspicatæ profectò Kalendæ, & multò illis feliciores, quæ natales Tito, Antonino Pio, Constantino Magno Imperatoribus fuere! dignæ planè, quæ non trigesies, non centies tantùm, sed perpetuùm redeant! Ad TE verò, CÆSAR AUGUSTE, an ad nos magìs hæc vota pertinent? ad nos: quorum omnis salus, atque felicitas, TUA UNIUS salute nititur; tametsi & ad TE pertinent, cui omnis invisa est salus, nisi sit Reipublicæ saluti juncta: immortalibus certè rebus Tuis gestis, dubium effeciśti, TIBI, an nobis ampliùs viveres. Audiant itaque has preces Superi,

ri, publicis Europæ votis junctas! sic semper agat: sic vincat: sic imperet! Diu servent incolumem, qui gloriæ suæ, Europæ, Orbi nimis diu vivere nunquam potest! Diu vitam indulgeant Ei, qui, si æterna foret hominum vita, semper vivere mereretur.

Hæc lætitiæ, ac felicitati publicæ vota junximus. Alia sunt, quæ immortalia Tua, Majorúmque Tuorum in nos merita postulant. Nulla per Europam Gens est, cui majora, atque Austriacæ, Ordo noster jam inde ab origine sua beneficia debeat. Domicilium hoc nostrum, atque Academia, Tuum opus est, quia à Majoribus Tuis, DD. Carolo Archi-Duce, ac Ferdinando II. Imperatore conditum: quia ab immortalis memoriæ Cæsare Leopoldo, Augusto Genitore Tuo stabilitum: quia Numine Maiestatis Tuæ defensum. Hos Majores Tuos, & Decessores horum, Styriæ Duces redivivos Tibi, Sacratissime Cæsar præsenti opere sistimus. Quæ illi fortiter felicitérque gesserint, brevi compendio memoriæ consignata leges: útne Tua quoque adjiceremus, Tu Ipse feciſti, Cæsar, quòd verendum nobis erat, nè quid iis tenuitate nostra detractum iremus. Sint, qui hæc non foliis paucis, sed voluminibus (quid enim de ampliſſimis rebus Tuis gestis compendio scribi possit?) & luculentiùs, & feliciùs posteris tradant. Tametsi & Te, virtutésque Tuas paucis hisce foliis leges: adeò, quæ miramur in singulis, Unus collecta tenes. Faciet DEUS, ut quàm illos ceterarum ornamentis laudum, tam & felicitate, vivendíque diuturnitate quàm longiſſimè superes. Unum precamur: Collegio, & Academiæ huic nostræ, atque adeò Tuæ, perfugium apud Te tutum, quod benigniſſimè adhuc feciſti, porrò etiam esse patere: illiúsque Clementiæ Tuæ, qua minimos etiam beare dignaris, partem aliquam in nos dispensa. Ita vovet

Sacratissimæ Maiestati Tuæ

Æternùm devota
Minima Societas Jesu,
et
Academia Græcensis.

HISTORIÆ DUCUM STYRIÆ

PARS PRIMA.

DISSERTATIO PROŒMIALIS.

DUcum, qui Styriæ imperârunt, ſeriem narraturi, non otioſum diverticulum facturos putamus, ſi, quis populus regionem inhabitârit, quibus dominis actis retro temporibus, priùs ac Duces nanciſceretur, paruerit, memoremus. Quemadmodum enim nulli ferè contingit, uno velut ſaltu in honorum faſtigium emicare, ita & Styria, mutatis ſæpè dominis, mutatâ reipublicæ formâ, inter temporum, rerúmque viciſſitudines pluribus ſeculis luctata eſt, donec eum gloriæ, & felicitatis apicem attingeret, ultra quem aut incrementa, aut vota, quò extenderet, non haberet. Quod quidem ſe ſatìs conſecutam intelligit, poſtquam Auſtriacorum poſſeſſionibus accenſa in Gentis illius Auguſtiſſimæ ditionem conceſſit, è qua tribus jam ferè ſeculis perpetua ſerie ſibi Romanum Imperium Monarchas delegit.

Soboleſcentem tantorum Principum potentiam non mediocriter ſanè Styria, opum ſuarum & fortis populi acceſſione firmavit, at illi divitias, quæ ſibi Ordinum Provincialium conſenſu accreverant, multiplici fœnore abunde pensârunt. Præterquam enim, quòd immenſa decora, quæ ad hunc diem in Auguſtiſſimam gentem certatim confluxerunt, non velut aliena, ſed inter ſua quoque Styria numerare poteſt, communione, quæ inter Principem, & rempublicam eſt, in ſe derivata. Splendorem

urbium, ſecuritatem civium, felicitatem publicam, ad quam hodie aſſurrexit, illis unicè debet, à quibus obtinuit, ut, cùm innatâ Auſtriacis clementiâ illecti populi volentes, libentésque eorum poteſtati ſe dederent, fines ſuos undique amica gente, & nomine duntaxat, non voluntatibus, non Principe diſpares aſpiciat. His velut perpetuo quodam vallo munita, non hoſtem, ſolùm, ſed & metum excludit, ut bellorum damna accepta alibi audiat, non itidem ſentiat. Sed præcipua illa felicitatis pars, poſtquam Styria inter Auſtriacorum patrimonium numerari cœpta, non vereri unquam, nè quis Princeps hæreditatem adeat, qui aut minùs fortitudinis, aut clementiæ laude inſignis, aut ſui, quàm populi ſtudioſior ſit; cùm genti huic in ſceptra editæ ſic natura providerit, ut nullis comitiis ulli cives ſibi meliores Principes optarent, quàm illa hæredes gignere conſuevit. Pietatem porrò, & religiones avitas, præcipua cujusvis reipublicæ fundamenta, quas binis abhinc ſeculis novatores perditum ibant, non alio ſanè fulciente, ac Auſtriaco conſervatæ meliùs fuiſſent: dum CAROLUS malum furtivè ingreſſum, nè ulteriùs ſerperet, prohibuit, FERDINANDUS Filius penitus eliminavit. Sed nempe in tantæ gentis ditionem venire non ante Styriæ contigit, niſi poſt variam rerum, temporúmque fortunam; quanquam ſi non alio pretio, à ſe hos Principes emi cælum ſuſtinuit, quidquid antea ærumnarum exhauſtum, inter lucra, non diſpendia cenſeri debet. Sat magnum profectò & felicitatis & gloriæ auctarium, ſingulari Dei beneficio conſecuta, quòd reliquis omnibus Provinciis prior in clementiſſimæ ſtirpis poteſtatem devenerit.

Styriæ. limites moderni. Ut regionis amplitudine, ita dignitatis prærogativâ alias interioris Auſtriæ provincias Styria excedit. Ad orientem Hungariâ, ab occiduo ſole Carinthiæ, & Salisburgenſis ditionis regione, ad meridiem Sclavoniâ, & Carniolià, ad Septentrionem utrâque Auſtriâ cingitur intra ſextum, & octavum ſupra quadrageſimum gradus incluſa; triginta à Borea in Auſtrum, viginti ab aurora in occaſum milliaribus extenditur. Sed intra hos limites ſeriùs arctata eſt. Remotiore tempore, quantum Auſtriæ *Veteres.* ſuperioris ad Oenum, inferioris ad Neoſtadium hodie adhuc ſanctiori Salisburgenſium ditioni ſubjectæ porrigitur, Ducibus Styriæ paruit, donec illinc Styrenſis, hinc Buttenſis comitatus decerperetur: iſte quidem ſub RUDOLPHO Primo, inferiori, alter ſub FRIDERICO pacifico ſuperiori Auſtriæ adſcriptus.

Diviſio. His circumſcripta finibus bifariam dividitur; quæ ad ſeptentrionem, Superiorem; quæ ad meridiem poſita, inferiorem dicunt. Illa in prælatos, abruptósque montes paſſim aſſurgit; ſed genium naturæ aſperum, colonorum ſolertia abunde corrigit.

Altiſ-

Altissima juga passim habitata deprehendas. Ubi hyems ter- *Styria superior.*
ram nivibus texerit, exitu omni intercluso, velut carcere quo-
dam constricti multos in menses tenentur. Sed nempe assuetu-
dine ad sensum omnem caloris, & frigoris occalluerunt: rara il-
lis ex iis claustris, nisi sacrorum causâ descendendi cura, sed nec
necessitas: domi nascuntur, quæ ad vitæ humanæ usum desidе-
res, non illi parcè admenso vivere, pro rusticæ culinæ modulo
etiam dapsiliter. Pro vino (vitium expers regio est) aquæ passim
è cavernis scaturiunt, & per exesas in canalem rupes decurrunt.
Gens, si qua alia laborum patiens; nullum enim à solo otij invi-
tamentum: quà feras nonnisi timidè oberrare posse putares, ara-
tra agi in prærupta videas; nec irrito conatu terra in fœcundita-
tem subigitur. Reddit messe triticum probissimum, candore &
pondere nulli secundum, quod & in usum domesticum, & ven-
ditum in nummos colligendos sufficit; multùm insuper è peco-
rum cura lucri redigitur. Incredibile quantum armentorum,
diversi generis gregum, rupes illæ alant, carnis teneræ, & sa-
poris egregij, quem saluberrimæ montium herbæ in pastum de-
cerptæ conciliant. Altilium ferarum, damarum præsertim,
frugiferarum arborum læta luxuries. Mala certè Styriæ etiam
inter cupedias exteri habent. Rivi, lacúsque, quorum haud
paucos intra altas rupes invenias, piscium copiâ, ac præstantiâ
opulenti; trutæ, salmones non Styris duntaxat laudatissimum
gulæ irritamentum. Laxiùs alibi juga recedunt, planitiem val-
libus, etsi non amplissimas aperiunt. Quidquid telluris est in
commoda sua incolarum solertia gnaviter vertit. Via, quæ iti-
nerantibus patet duntaxat inculta, ceterùm terræ portio omnis,
aut sativas fruges in horrea, aut herbam sponte nascentem in pa-
scua subministrat.

Montium alij sterili canitie aspicientibus horridi intra profun-
da viscera opes contegunt. Metallis diversi generis argento,
plumbo, cupro, ferróque præsertim turgent. In sextum deci-
mum supra millesimum annum Eisenarzenses, & Vordernber- *Fodinæ Ferri.*
genses Fodinæ pertunduntur ab operis; nunquam perennes, di-
tissimæque venæ deficiunt. Sylvarum abunde montes dorso
ferunt, unde æs liquantibus ligna suppetant. Seriis suos lusus
natura addidit, & utilibus pompam. Est inter montes hos fer-
reos, ubi diductæ in hiatum petræ, qui duos fortè homines
in vestibulo admittat, conclavis non negligenter ornati speciem
præbent, parietibus ferri semine, florem etiam vocant, non ali-
ter illitis, ac si trullâ murum æquâris, calce induxeris. Desu-
per ceu è tholo eadem materia in varias figuras torneata imminet
candore juxtà ac artificio miras. Glebam ferream, quæ in binas

partes dissecta utrinque Deiparæ vultum non ruditer referebat, Anno MDCLXVIII. Augustissimus Leopoldus inter thesauros domesticos collocavit. Argentum etiam olim copiosè è Styriæ montibus ad Zeyringium effossum, & turgent haud dubiè eodem hodie viscera, si infelix anni MCLVIII. casus non in hæc usque tempora cultum prohibeat. Effractum repentè Hydrophylacium immensam vim aquæ tanto impetu effuderat, quo momento Fodinæ omnes inundatæ, mille quadringentæ operæ, viâ undique ab aquis præceptâ, hoc diluvio oppressi, & cum his spes propè omnis suffocata. Maximilianus I. Imp. restituendæ rei curam susceperat; damna ipse coràm inspexit, aliquo tempore in castro Heinfeldensi commoratus. At comperto, humanæ opis non esse tantam aquarum molem avertere, consilio destitit. Miserandæ stragis seriem versus conclavis, quod Cæsar inhabitârat, parietibus vernaculo Idiomate inscripti exhibent.

Argenti ad Zeyring.

Iter facientibus se se passim arces objiciunt. Summo rupium fastigio insident; quà oculis patent, pedibus inaccessæ; aversum latus benigniorem aditum præbet. Pleræque in vim non naturâ tantùm, sed arte munitæ, in præsidium olim comparatæ, dum privatas lites armis decidere fas erat. Nunc multæ solùm in delicias Nobilibus serviunt, quanquam nunc commodiora tutis præhabeant; cùm reverentia Principis & legum observantia, non minus securos, ac olim abrupta saxa præstent. Desertis veteribus, dum rusticaturi adeunt, domos in plano collocatas habitant. Unde non rarò veterum castrorum vestigia, & murorum rudera duntaxat videas. Præter minoris nominis rivos, Martiâ, Murâ & Anaso fluviis perluitur. Martia in Styria è montibus Austriæ inferiori vicinis ortus, ad Muræpontum, Muræ illabitur. Anasus & Mura intra Salisburgensem ditionem nascuntur, sed ille ad Laureacum superioris Austriæ urbem Danubio infunditur: hic utramque Styriam pervagatus ad Legradinum Sclavoniæ oppidum Dravo miscetur.

Fluvij.

Inferior Styria.

Inferior præterea à Dravo & Savo rigatur; hic inter Carinthiæ & Carnioliæ confinia egressus extremum Styriæ marginem allambit, subinde ad Belgradum à Danubio absorbendus: alterum Tyrolis ad Innicum (Vetus quidam Aguntum putant) effundit. Extra Styriam progressus, Muram secum in Istrum aliquot ab Essekino milliaribus præcipitat. Mitior hæc regio alterâ est rarioribus montibus, in campos ferè diffunditur, nisi quà colles vitibus consiti eminent, generosum & præstantis notæ vinum multi eorum reddunt. Radkersburgum, Celeja & Luttenberga copiosis cumprimis, & laudatis vinetis colitur; in utraque parte aquas nativo igne calidas, fontes medica virtute imbutos

butos offendas; quas Rohizensis vena acidas effundit, optimæ habentur.

Urbium caput olim Styra superioris Austriæ: nunc Græcium Muræ adsitum, muris suis, tum arce in arduo, vicinóque monte sita insigniter communitum, Academiâ, & Archiducum aulâ nobile. Petovium ad Dravum, ad Saanam Celeja Græcio vetustiores sunt, & Romanis jam notæ. Parem ferè antiquitatis prærogativam Votsperga sibi arrogat tribus milliaribus Græcio ad occidentem sita. Intra Dravum & Savum Veistrizium, & Vindogræcium clauditur. Reina ad meridiem extima præruptæ Savi ripæ assidet. Ab Aquilone in orientem proficiscenti Fridberga, Hartberga, Fürstenfelda, Rackerspurgum, & Fridavia occurrunt. Superioris Styriæ sunt Muravia ad Salisburgensium fines admota: Judenburgum in edita Muræ ripa collocata metropolis: Knitelfelda angustior, Leobium ferri emporio dives: Muræpontum frequentibus olim Provinciarum comitiis celebre. Omnes Muræ admodum vicinæ. Oberwelsium, & Rottenmannium à Balta in Anasum decurrente alluuntur; ut adeò urbes Styriæ omnino viginti, oppida, seu vicos majores vix pauciores centum, arces aut castra ferè quingenta numerentur. *Urbes Styriæ.*

Nobilitas proceribus patriæ splendida, & multæ vetustatis prærogativâ spectata in reipublicæ munia egregiè exculta. Ex his præstantissimi quique in arcanum senatum (consilium intimum vocant) deliguntur, cui suprema authoritas. Tribunal aliud excelsum Regimen appellant; quibus ærarij principis cura, Cameræ Consiliarios nuncupant. His Austria, ùt dici consuevit, Interior Styriam, Carinthiam, Carnioliam, Goritiam, & quidquid Adriaticum versùs Austriacum est, complexa paret. Rem militarem qui administrant, Consilium bellicum audiunt. Ad hos præsidiis, præsertim illis, quæ tuendis adversùs Turcas finibus per Sclavoniam, Croatiam, & Illyridem constituta, prospicere attinet. Pro Principe procerum quispiam (quem Capitaneum dicunt) suprema authoritate provinciam moderatur, penes quem & Prætori sua juris dicundi potestas. In comitiis quatuor provinciæ ordines sententiam dicunt: sacri præsules, optimates, equites, & urbium Ducalium legati. Hæc annuente Præfecto Mareschallus cogit. Ærarium publicum illustres quatuor viri cum præside suo procurant, ad id munus comitiorum suffragiis delecti. Palatinæ dignitates, ùt structorum Magistri, venationum, stabuli Præfecti hæreditaria ferè illustrium familiarum ornamenta sunt. *Tribunalia.*

Vetustis temporibus dum penes Romam orbis imperium esset, Mediterranei Norici Provincia Styria fuit, si partem orienti viciniorem demas, quam Pannoniæ superiori attribuerunt.

Styria in Norico. Inter ceteras gentes, quæ Styriam incoluere, Taurisci fuerant, celebris illa ætate populus, & frequens, qui non utrumque duntaxat Noricum, sed & Pannoniam insedit. Taurisci Boij se miscuere, postquam annis ante natum Christum centum & sex supra octoginta illos Romani Italiæ solo decedere armis coëgerunt. Post centum, & quinquaginta sex annos in interiorem Pannoniam, seu eam, quæ Austrum propiùs sita, OCTAVIANUS Augustus Cæsar signa intulit. Conserto ad Petovionem prælio, genu à lapidis ictu saucius, postquam convaluisset, Romam tetendit, antequam debellatum fuisset, consulatum cum Valerio Tullo initurus, subrogato expeditionis Duce Itatilio Tauro. Quatuor annis bellatum est, præmium victoriæ, Pannoniæ, & Norici accessio fuit. Sed clades octavo ante Christum anno illata penitus Tauriscorum, & Bojorum res afflixit. Bærebistes Geta post Celtas Thracibus, & Illyriis immixtos propè evastatos signa in Noricum convertit. Occurrerunt ruenti Boij, & Taurisci Duce Critasiro, exceptique adeò ferociter à Getis, ut Boij internecione deleti agros cultoribus vacuos vicinis relinquerent. Regio illa dein Bojorum deserta appellata in longa tempora funestam cladem extendit; Tauriscorum gens, etsi non penitus excisa, ùt quæ ultra illam Bojorum regionem domicilia sua porrigeret, sic tamen imminuta est, ut obliteratâ Tauriscinominis memoriâ Norici duntaxat posthac compellarentur.

Norici incolæ.

Getarum irruptio.

Verùm quidquid ea clade damni acceptum, seculi alterius felicitate satìs pensatum est, cùm vel à Divo Marco, vel ejus Discipulo Hermagora, Aquilejensi Antistite missi in Noricum præcones legem Christianam populum edocerent. Sed tenaciùs avitæ superstitioni, metu insuper Romanorum suffultæ adhærebant, quàm ut exigui temporis laboribus excolerentur. Non deerant seculo etiam tertio, qui Serapi, Isidi, Soli, velut invicto Mithræ, haud procul Petovione, Marti Celejæ facerent. Pertinax nempe ægri sterilitas expugnari demum, quemadmodum, & alibi usuvenire consueverat, non potuit, donec mistus Apostolorum sudore sanguis terram irrigaret. Multos inter plurimorum instar fuere Maximilianus, & Victorinus, Laureacensis ille, Petovionis hic Antistes, utérque ab Idololatris cæsus. Et Maximilianus quidem juvandæ Patriæ causâ Celejam reversus, etiam moriendo urbem nobilitavit. His cædibus Religionem Christianam Ethnici in Norico, Styriáque exscindere moliebantur.

Norico-rum Apostoli.

Secu-

Secutæ subinde irruptiones barbarorum, sacræ juxtà ac profanæ reipublicæ infestæ, non æquè tamen, ac nuper noxiæ; cùm pars non modica populi animas ruinæ subducere didicisset. Gallieno Imperatore, Quadi, & Sarmatæ: seculo quarto, Gothi, Alani, Hunni, Vandali, Marcomanni, & occiso Gratiano Imperatore, Tyranni Maximus, & frater ejus Marcellinus, per Pannonias, infestis signis grassati sunt. Virtute Theodosij Magni anno ejusdem seculi octuagesimo octavo, primo quidem ad Sisciam, dein ad Petovionem; postremò ad Aquilejam profligati, & occisi; ceteri more hydræ attriti, qui subinde renovatis viribus caput efferrent. Seculo quinto Gepidæ, Hunníque Duce Attila infusi, quà pedem, etiam vastitatem inferebant. Gothi subinde mediterraneum: Ripense Noricum Rugi ducente Rege Flaccitheo nunc populationibus velut hosticum everterunt, nunc domicilia collocârunt. Justitium, non pax inde Styriæ fuit, ut adeò Mars in ferri Patriam, velut suam, jure quodam adire identitem videretur. Paucis post annis Herulos Odoacer induxit, Regione tantùm non in solitudinem versa. Brevi admodum tempore hìc moratus, ad occupandam Italiam animum adjicit, collectísque sub signa popularibus suis bellum Augustulo Imperatori infert. Expeditionis fructus insignia Imperij fuere; at is sustulisse Orestem, relegâsse Augustulum contentus, evertisse Imperium maluit, quàm usurpare. Odoacrem post septem & decem annos pace perfidè simulata ad convivium invitatum, Theodoricus Gothorum Rex inter epulas trucidavit; ea cæde imperio suo Regnum Italiæ, utramque Pannoniam, Noricúmque suo adjecit, in quod deletis nuper ab Aonulpho Odoacris fratre Rugis, Longobardi interea immigrârunt.

Barbarorum exterorum in Noricum irruptiones.

Non multò post seculi sexti medium Norici Italiæ deliciis prima expeditione capti, redierunt ducente eos cum Longobardis aliísque gentibus Alboino. Longobardorum pars in mediterraneo Norico remanserat; ceteris ultra alpes profectis Hunni ad Anasum succesere jam proximi ad fines Bojorum, quos octavo supra quingentesimum anno Theodo Dux in Vindeliciam, & Ripense Noricum, quà Oeno alluitur, annuente Theodorico Italiæ Rege è Nariscis deduxerat. Extremis hujus seculi annis se Vindi Hunnis junxerant, qui Illyrico egressi, Carniam, Pannoniam, & utrúmque Noricum pervagati, per montanas potissimùm Regiones adusque Styram fluvium domicilia extenderant. Gens utraque utì cultu barbara, & moribus aspera, perpetuis cædibus, populationibúsque vicinos fœdè habuit. Vix aliter unquam pax inter eos coaluit, nisi, quod non semel fa-

ctum, cùm exhaustâ alternis grassationibus republicâ, domi prædæ deessent, in Bojos arma, & rapaces manus sociarent.

Carolus Magnus in Norico.

Nec antè quieverunt, donec Bojorum dux perfidiâ, Hunni ferociâ, CAROLI Magni arma sub seculi octavi finem irritarent. Primus belli impetus in Thassilonem Bojorum Ducem incubuit. Is seu innata levitate animi, seu Luitpurgæ uxoris Longobardæ, quæ Parentem Desiderium, nuper regno Italiæ à CAROLO dejectum, inultum exulare non ferebat, impulsu seductus, clientelare obsequium primùm detrectabat, adactus subinde Wormatiæ jurare haud diu in fide perstitit, nec quidquid aut Rex, aut Pontifex minaretur apud hominem uxorium, & Hunnorum, cum quibus clàm fœdus pepigerat, societate tumidum valuêre. Postquam triplici Francorum exercitu clausum undique se conspexit, reputatâ serìò audaciâ propositas pacis conditiones iniit; cùm verò se CAROLO stitisset, flagitiorum gravium à proceribus reus agitur, quæ inter primum, quòd Hunnos in bellum concitârit, capite damnato in Monasterio vivere permissum. Subinde & Hunni octo annorum bello domiti, & trans Arrabonem retrusi; Vindi ultra Dravi ripam ejecti, quam regionem & hodie obtinent, linguâ à ceteris Styriæ inquilinis discreti.

Græcium conditur.

Emigrantibus Slavis vacuæ cis Dravum terræ novos continuò hospites è Bojis accepere. Ab his moderna Styrorum metropolis condita, instaurata, dictáque ævo illo Græcium Bavaricum; cùm & in Vindis ejusdem nominis oppidum, hodie etiam notum extaret. Subactam porrò Bavariam sic hac victoria CAROLUS volebat, nè vinci illam posthac sæpius necesse esset; accidendam in hunc finem posthac tantùm potentiam singulorum statuit, ut imbecillitatis conscientia ambitiosa consilia excuteret; Bavariæ ergo in ordinem Provinciæ redactæ, tum quidem Geroldum Hildegardis nuper conjugis fratrem præfecit, additis tamen viris illustribus, comitum titulo insignitis, quibus civitates ferè singulæ parebant, quorum ipse consiliis rempublicam procuraret. Cæso in Pannonia Hunnico bello Geroldo, auctóque Pannoniarum accessione Imperio visum est non uni soli per has terras rerum summam committere, sed finibus tuendis divisa potestate comites, seu totidem regulos destinare. Primos fuisse Gonteranum, Werenharium, Albricum, Godefridum, Geroldum. Alium Avarici, alium Carentani, Bojorum, Pannonici limitis alios custodes veteres chartæ meminerunt. At cui tum Styriæ tutandæ provincia obtigerit, non unde divines, suppetit, nec enim hoc ævo sui aut Pannoniæ, aut Norici limites à veteribus descripti constitere; his inferioris conditionis comites, quin & duces Vindorum parebant.

Limitum custodes.

Post



Christ. Dietell sculpsit Gravy.



Post Caroli Magni fatum aut Imperatores, aut filij his terris imperabant. Ludovici I. filius Ludovicus eas cum Bavaria gubernavit, post hujus mortem Carolomannus, à quo Norici, Slavíque trans alpes deducti, eidem Italiæ regnum asseruerunt. Carolomanno Frater Ludovicus Germaniæ Rex, Ludovico itidem frater Carolus Crassus, Carolo Arnulphus Carolomanni nothus, nuper Carinthiæ præfectus, Arnulpho Ludovicus filius succesſerat. Omnes hi Carolinæ stirpis surculi, sed non perinde virtutis, ac sanguinis hæredes, quod quidem ingentibus damnis Provinciæ hæ sensere. Nam crescente indies hostium audacia bellum nunquam non præ foribus aut tolerandum, aut metuendum. Parte alia Hunni, alia Moravi irruebant; hinc limitum præfecti civilibus armis pugnabant, ibi alter excusso jugo ad tyrannidem paratis armis aspirabat, invitatíque adeò sæpe à litigantibus Barbari, ut eâdem scilicet operâ æmulum opprimerent, & viam, quam subinde suo ductu relegerent, alienis expensis ediscerent.

Noricum sub Francis.

Etsi verò, ùt diximus, custodiendorum limitum munus jam inde à CAROLO demandatum comitibus, Marchionum tamen Styriæ nomen (quod haud aliud, ac illud sonat) non nisi Seculo X. auditum. E quatuor finium Bojariæ (quæ Arnulphum seculi initio ducem acceperat, sive approbante, sive dissimulante Conrado primo) Præfectis, quorum unus Austriæ, alter Istriæ, Chambensis, sive de Vohburg tertius dicebatur, Marchiones Styriæ erant: Nomen ab arce, & urbe, intra Styræ Anasique confluentes sita, totius olim Provinciæ primaria, nunc verò Austriæ Superiori adscripta, habebant. Vanis enim commentis, aut doctis deliriis accensendum, qui vocis originem inde à Taurisçis subrogato nempe è Germanico Idiomate vocabulo repetunt, aut Taurum ignivomum, quem in gentilitiis Scutis olim gestaverint, falsa non minùs, quàm frivola metamorphosi in Pantheram nostri ævi convertunt.

Marchionũ origo.

Quantum è vetustis tabulis exsculpere licet, OTTOCARUS Comes Styrensis magni OTTONIS ætate vivebat. Altiorem dignitatem filius ejusdem nominis Marchio I. genti suæ intulit; tractu Trungovienſi, à Truna fluvio dicto, auctus à Conrado Salico. Eodem fors tempore, quo idem Imperator Anno MXXXVIII. Romæ versatus, grassante lue complures Principum amisit, etiam OTTOCARUS occubuit. Romæ certè extinctum fuisse, etsi annum non exprimat, Altmannus Patavienſis Episcopus in literis, quas filio ad annum MLXXXVIII. dedit, disertè affirmat.

Ottocarus II. Marchio I.

Mortitur.

Ottocarus III. Marchio II.

Hunc excepit filius OTTOCARUS III. sed Marchio secundus, Princeps pietatis, & armorum laude perinde clarus. Postquam cæsis ad Petovionem Ungaris, quos Tyrannus Ovo in arma pellexerat, fines Styriæ ampliâsset, pietatis damna, quæ tum Ecclesiæ respublica non modica acceperat, cùm Germania in partes divisa Pontifici altera, altera Henrico IV. studeret, utcunque sarcire in Garstense Collegium, & Admontense Cœnobium liberalitate conatus est; illud Canonicis Anno MLXXXII. erexit, in quod labente tempore Sancti Benedicti Monachos filius induxit: hoc à Gebhardo Salisburgensi antistite Anno MLXXIV. conditum amplissimis fundis donavit. Post annum MLXXXVIII. opimam hæreditatem filio reliquit.

Garstense cœnobium condit.

Admontense ditat Moritur.

Ottocarus IV. Marchio III. Papam tuetur.

Ottocarus IV. Marchio nihil pietate genitore inferior adversùs binos Cæsares Pontificum causam strenuè tuebatur; Salisburgenses Antistites Gebhardum, Thiemonem, Conradum, fidei, quod tum scelus non leve erat, in Papam reos omni ope adjuvabat.

Leopoldus fortis. Marchio IV. Runense monaster. erigit.

Ottocaro sub annum MCXXI. defuncto filius Leopoldus successit, cognomento fortis, Elisabethâ Leopoldi Pulchri Austriaci filiâ natus. Ab hoc Conradus post novem annorum exilium Salisburgensi Ecclesiæ redditus, & Cistercium Runense conditum; postquàm sibi relictam ab Henrico II. Carinthiæ Duce, suæ stirpis postremo, amplissimam dynastiam Eppensteinensem obtinuit. Sed mors Principem vivis Anno MCXXIX. eripuit.

Ottocar. V March. V.

Ut minùs deesse Leopoldus sentiretur, ingressa in curas mariti Sophia vidua Henrici Guelphici Bojorum Ducis filia Friderici I. Cæsaris matertera effecit. Ab hac non minùs sapienter pro filio impubere Ottocaro V. procurata respublica, quàm sacræ ædi nuper à Leopoldo cæptæ, coronis religiosè imposita. Ad Paternam Ottocari hæreditatem Portus Naonis ad mare Adriaticum situs accessit, quem illi Otto Toparcha ultimus, supremis tabulis transcripsit. Crevit ad mensuram opum in Ottocaro pietas, cui tuendæ non fortunis, non vitæ parceret. Conradum III. Cæsarem in bellum sacrum affectatus, nobile cruce signatorum agmen Anno MCXLVII. è Styria duxit. Jam accinctus itineri, Runam Paternæ liberalitatis monumentum excurrit, & armis fortunam empturus à superis, novis possessionibus cœnobium auxit. At Græcorum perfidia, & ducum discordia eam expeditionem corrupere. Redeundum post biennium Conrado sine exercitu & gloria fuit.

In Palæstinam movet.

Redit.

Tenuit Ottocarus patriam sub Annum MCXLIX. ad moliendam sacram ædem, eventu prodigio haud absimili, biennio

pòst

pòst animatus. Venationi per nemora Gonovicio Styriæ inferioris oppido vicina operam dabat, cervam miri candoris conspicatus admissis habenis sequitur. Per varias ambages circumactus à fera in vallem defertur, simul cerva velut munere suo defuncta videri desinit. Immodica agitatione lassatus Ottocarus in cespitem corpus projicit, jacenti somnus obrepit. Per quietem virum augusto oris habitu, & specie supra humanam eleganti, qui vultu Divum Redemptoris Prodromum referebat, astantem videre, simul imperantem audire videtur: hìc loci, ejus instituti viris, quos ille nunc veste exprimeret (candida ea & in cucullum fastigiata erat) ædes construeret. Mirari Ottocarus mandati insolentiam, negare sibi similes unquam visos, aut ubi terrarum requirendi, cognitum: è Delphinatus rupibus, quibus Chartusiæ nomen, evocaret, reponit, & evanescit. Venatorum turba de hero solicita per avia vestigabat; genio haud dubiè bono directi in viciniam ferebantur, cùm canes lepusculum è proximo dumeto ejiciunt, fera in vallem, qua Marchio dormiebat, præcipitat; jamjam imminentibus tergo canibus, ubi præcisam spem omnem fugæ circumspicit, in gremium quiescentis, ùt asylum, se projicit, experrectus ille assultu feræ, non casum duntaxat, sed divini aliquid gemino eventui inesse ratus, vallem illam posthac D. Joannis compellare instituit; comparato subinde à Leopoldo Gonovicensi Dynasta ejusdem loci prædio, primam ibidem Germaniæ Chartusiam condidit Seizensem, idiomate Vindico, à lepore dictam, quo nomine mirabilis, quem narravimus, eventûs memoriam adhuc retineri arbitrantur. Aliud munificentiæ suæ monumentum ad radices montis Semeringij collocavit, domum ibidem recipiendis pauperibus, & peregrinis Cerewaldi erexit.

Per somnũ monitus. Seizensem Chartusiam condit.

Item Xenodochium.

Bis præter eam, cujus meminimus, expeditionem sacram, arma induisse Ottocarus legitur: in Austriacos, tum in Italos; in illud à Guelphone avunculo, in hoc à Friderico consobrino pertractus; ille dolore æger, quòd Henrico Duci Cæsar Boicum ducatum excluso Guelphonis nepote contulisset, Austriam ferro, & flammâ evastavit; hic in Mediolanenses obsequium detrectantes movit. Sed tum adhuc integra Pontificem inter, ac Cæsarem amicitia stabat; hac hiante tantum animi Ottocaro fuit, ut insuper habitâ Cæsaris potentiâ, & sanguinis nexu adversas partes sequeretur: quidquid Cæsar domitâ nuper Insubriâ ferocior minaretur, nisi Victori antipapæ Principes deferrent; eodem fere tempore missis in Gallias ad Alexandrum legatis, ejus se in fide perstiturum juravit. Interea pium principem cupido incessit ad sacra Palæstinæ, quam nuper miles adierat, loca in-

In Austriacos pugnat.

Alexandro Papæ adhæret.

In Palæstinã tendit.

viſendi, ſed vitæ priùs, ac itineris metam attigit; Quinque Eccleſiis in Hungaria morbo oppreſſus, diem extremum Anno
Moritur. MCLXIV. ſecundo Kalendas Januarij clauſit. Hæreditas ad unicum Filium Ottocarum VI. devoluta.

Ejus geſta, quoniam inter duces primus, curatiùs paulò, & ampliùs exponere aggredimur, ùt quæ res ſit inſtituti, & propoſiti noſtri propria; quòd ſi jejuna non nunquam, ſiccáque narratio contingat, haud ægrè veniam is dabit, cui, qui ſeculorum illorum mores, qui fontes, unde ejus hiſtoriæ cognitio petenda, perſpectum. Pugnare ea ætas maluit, quam ſcribere; & eſt inſuper minorum gentium Hiſtoriam ſcribentis infelicior præ ceteris conditio, quòd, quæ geſta ab iis, velut ad rerum ſummam non pertinentia, neglecta paſſim deprehendas, paucula ea, quæ memorant, non tam conquirenda, quàm eruenda intra rerum aliarum narrationem ſepulta.



OT-


OTTOCARUS I.
Dux Styriæ
Pater, Genus à quo Principe nostrum. Virgil.
Christ. Dietell sculpsit Gracy.



OTTOCARUS I.

Ex Marchione ultimo.

DUX STYRIÆ I.

NOndum, in quas ſpes natus eſſet, OTTOCARUS intellexerat, cùm ampliſſima Styriæ hæreditas ad eum devolveretur. Anno ſupra undecies centeſimum ſexageſimo tertio XIV. Calendas Septembris in lucem editus, altero mox genitorem amiſit. Donec ei patrimonium cernere per ætatem liceret, ſub Matris Cunegundis, cura adolevit. Inſignis illa pietatis juxtà, ac prudentiæ fœmina, quæ non parere duntaxat hæredem, ſed & principem formare noviſſet, ſanctiſſimis primùm legibus inſtituit, regnandi dein artibus imbuit. Mira in tenera pueri ætate docilitas. Suopte genio in omne decorum, quod principem deceret, ferebatur: in ſolidæ pietatis ſtudio, ſacrorum reverentia, religionum avitarum conſervatione, unam principis felicitatem ſitam arbitrari; in laude clementiæ, amore civium, æquitatis cura omnem gloriam reponere; inter hæc nihilo ſegniùs belli artes diſcere; armorum tractandorum peritiam comparare; quamvìs, ùt ambitionem, ita belli cupidinem procùl haberet, & pacem mitiſſimus princeps cruentis lucris anteponeret. Nemo non OTTOCARUM eum Principem olim futurum animo effingebat, cujus authoritate, ſapientiâ res Styriæ multò quàm antehac unquam altiùs aſſurgeret. Læta ante alios hac indole mentis igniculos præceptis, & exemplis egregiè fovebat.

Ottocari juventus.

Poſtquam probè firmatam filij virtutem vidit, aulæ valedixit, ùt quæ munere ſuo plus ſatìs functa, nihil reipublicæ ampliùs deberet. Juventutem principis ſpectatæ fidei proceribus regendam poſthac committit, ipſa verò in Admontenſe ſacrarum virginum cœnobium, quod quarto hujus ſeculi luſtro Abbas Wolfholdus erexerat, ſe abdit. Nec minore cura jam ſibi, quàm nuper aliis imperabat, inter humilia ſororum munia, ùt mos fert, nihilo ſeciùs laboris contentione, ac aliquando in aula dignitate, ceteras anteire, ſancta quadam ambitione principem etiamnum locum in virtutis palæſtra tueri, & celebratam illam imperatricem non nomine ſolùm, ſed & moribus referre. Ad præmia, quæ operosè quæſierat, Anno ſeculi octogeſimo quar-

Cunegundis Mater fit Monacha.

to, XI. Calendas Decembris evolavit. Vix decimum tertium ætatis annum OTTOCARUS attigerat, cùm, quâ gente progenitus, qua inſtitutione formatus eſſet, inſigne documentum edidit, quod an fortitudinis, an pietatis majoris fuerit, haud facilè dixerim. Adalbertum II. Salisburgenſem antiſtitem Uladislai Bohemiæ Regis filium, primum exilio Fridericus multârat, quòd ejurato Alexandro III. in Calliſti partes dare ſe nollet. Præſule nihil his moto Epiſcoporum, quos aut Adalberto infenſos, aut metu venales nôrat, ſynodum Ratisbonæ cogit. Ab iis tiarâ, quam ad eam diem malè uſurpâſſet, indignus pronunciatus; Henricus Berchtesgadenſis præpoſitus ſufficitur, fruſtra ſuperûm, hominúmque fidem invocante Adalberto. Atque, ut iniquitatem ſententiæ utcunque colore honeſti tegerent, emptis auro ſuffragiis irrepſiſſe criminantur. Virum innoxium omni ope Alexander Pontifex defendendum ſuſcepit. Gualterio per Hungariam ſedis Apoſtolicæ Legato demandat: utrumque in jus vocet, causâque cognitâ pronunciet. Sententiam haud dubiè majus pondus habituram legato perſuaſum erat, ſi in Boicis lis illa dirimeretur, ſed via penetrandi nulla apparebat, cùm alias arma, omnes metus Friderici ſepſiſſent, principum nullo Cæſarem alieni negotij causâ irritare auſo, aut parato. Uni OTTOCARO animi ſuffecere, ut infra æquitatem, & Eccleſiæ cauſam indignationem Cæſaris haberet. Literis ad Gualterium miſſis invitat, iter, quod meditaretur, ſui ſecurus ingrederetur, omni ſe ope adniſurum, nè quid hoſtile accideret, ſuæ Provinciæ commodis, hoſpitióque uteretur. Admiratus quidem præſul excelſitatem animi oblatâ operâ nihilominus uti noluit, quod in id ætatis adoleſcente non ſatis præſidij ſibi fore putaret. Datâ tamen ad Alexandrum Epiſtolâ miris laudibus juvenis, majorúmque in Eccleſiam fidem extulit. Cæſar quamvis rei conſcius, nihil acerbius in OTTOCARUM decrevit, alienum duntaxat animum tempore non longo præſetulit, ſive, quòd ætatis fervori indulgendum putaret, ſive, quod verius, emolliente animum Deo, cujus gratiâ Cæſaris mandata neglexerat. Quin, ſi conjicere licet, in ejus fortitudinis præmium nova ducis dignitas acceſſit, qua OTTOCARUM Fridericus quatuor pòſt annis Ratisbonæ ornavit.

Fridericus Cæſar Papam perſequitur.

Ottocarus tuetur.

Friderici in Ottocarum propenſio.

Multa in juvenem decora confluxerant, multa Friderici animum cauſæ impulerant, cur eum dignitate hac auctum vellet. Nuper admodum receptus in gratiam novo honoris authoramento firmanda amicitia & partibus Cæſareis arctiùs jungendus videbatur. Flos illi ætatis vix dum ad decimum ſeptimum annum progreſſæ, eximiarum virtutum manifeſta indicia, & vel in ea annorum paucitate non rudia herois lineamenta, quæ

rerum

rerum maximarum ſpem olim facerent. Adhæc à Guelphis per Sophiam aviam genus ducebat, quibus Juditha mater, Sophiæ ſoror, Fridericum filium quoque innexuit. Eam quidem gentem Cæſar tum everſum ibat, ſed nempe, ut ſanguinis amorem rarò ira penitus oppreſſit, quos in Boja proſtravit, in Styria erexit.

Ruinam Henrico Leoni Bojorum, Saxonúmque duci potentia accerſivit. Viribus ſuis fretus, dudum ordinibus gravis eſſe cœperat, exteros bellis levi de cauſa laceſſere, vicinos, amicósque opprimere, ùt libido, aut faſtus hominis ferebat, omnia agere. Rogatus à proceribus Cæſar Wormatiam ſenatum convocârat, omnium voce pacis hoſtis, fax patriæ Henricus conclamatur. Ulmam primùm, tum Ratisbonam, tum Herbipolim ad dicendam cauſam adeſſe jubetur. Vadimonium ſe obiturum is ſemper negabat, aut quòd objecta crimina diluere deſperabat, aut quòd in campo ſe ſuperiorem faciliùs crederet, qui non unum cauſidicorum mille ſub ſignis haberet. Ergo Cæſar ſpe omni comperendinatûs præciſa Geylinhuſam ſub verni jejunij medium minacibus litteris evocat, abſentémque Saxoniæ ducatu exuit; tum alterum procerum conventum ad tertium Calendas Julij Ratisbonam indicit; recenſitis, quæ nuper proceres attulere, ſceleribus illum inſuper vitæ ſuæ ſtruxiſſe inſidias, perfidis conſiliis imminere regno, ingratum, nimiúmque clientelæ, & cognationis immemorem acerba oratione conqueritur.

Henrici Leonis Saxo. Boji delicta.

Sed alius præterea dolor animum Friderici urebat. Soluta Anno MCLXXV. Alexandriæ obſidione, annuente Cæſare copias, quas ſociârat, Henricus in Germaniam reducebat. Nondum alpes tranſcenderat; cùm citatis nunciis, ut quanta poſſet, celeritate revolaret, monetur, circumſeſſum à Longobardis Cæſarem, & tantùm non manibus teneri. Dux opportunam occaſionem ratus, qua Goslariam celebre Saxoniæ oppidum, cui pridem inhiabat, extorqueret; ſi id expeditionis præmium ſponderetur, præſtò futurum pollicetur. Indignatus Cæſar ſibi jam non minùs cum amicis, quàm cum hoſtibus paciſcendum, ſe tantillum obſequium tanto pretio empturum præcisè negat, & intra Papiæ muros ſe conjicit. Fœdæ nundinationis memoria, anguſtiæ, in quas tum Henrici pertinaci cupiditate redactus eſſet, ignominiæ dolor, quòd victi inſtar fugere, & intra munimenta concludi neceſſe habuerit, identidem animum exulcerabant. Rogatis iterum principum ſuffragiis, Bojariæ, quem adhuc retinuit, dominatu excidiſſe pronunciat, & nè intra verba ſententia ſtaret, raptis in Saxoniam, tum in Boicam copiis levi negotio, utramque ſubigit: illam Bernardo Comiti,

Utroque Ducatu exuitur.

hanc Ottoni Palatino Boico Vicaria poteſtate gubernandam committit.

Fractos duntaxat ſublimes Henrici ſpiritus Fridericum hac vindicta voluiſſe apparebat; mox enim ad ornandam in OTTOCARO agnatam gentem animum adjecit. Etſi verò Cæſareæ literæ Adalberto Friſingenſi Antiſtiti datæ non meminere, iis comitiis OTTOCARUM adfuiſſe, paſſim tamen ceteræ veteris ævi tabulæ annum hunc ſeculi duodecimi octogeſimum inter auſpicatos Styriæ recenſent, quo ducalem dignitatem Henrico nuper ademptam ſuæ Provinciæ Marchio OTTOCARUS intulit, inauguratione in hunc modum peracta. Candidatum Antiſtites primùm, ut temporum illorum mos ferebat, equeſtri baltheo, & gladio accinxere. Genus illud honoris erat, quo principes reipublicæ velut initiari conſueverunt. Hoc ritu poteſtas fiebat prætextam ponere, ſenatum adire, negotiis publicis manum admovere. His peractis Bojorum ditione poſthac immunem Cæſar pronunciavit; nam ad eum diem Marchiones Styriæ, obnoxij Bavariæ regulis erant. Poſtremùm ad laudes OTTOCARI digreſſus, & ſuper vindicta nuper de Henrico ſumpta paucis diſſerens: nolle ſe, ut ea pœna ad cognatos Guelphicæ genti principes pertineret, ajebat; ſplendorem Imperij auctum velle; verbísque ritè conceptis OTTOCARUM primum Styriæ Ducem renunciat. Secuta nobiliſſimi ſenatûs acclamatio Friderico vitam, victorias precantis, OTTOCARO novam dignitatem fauſtam, felicémque jubentis.

Ottocarus Dux Styriæ renũciatur.

Redux in patriam OTTOCARUS egregiam operam continuò Reipublicæ navavit. Defuncto Romano II. Gurcenſes Hermannum comitem Ortenburgicum ejusdem Eccleſiæ Epiſcopum juſſerant. Conradus III. Salisburgenſis Archimyſta hominem præter fas intruſum, id ſacerdotium ſuum munus eſſe debere contendebat, quidquid Gurcenſes reclamarent. Hermannum faceſſere jubet, Theodoricum Juvavienſem Præpoſitum ſubrogat. Contractis celeriter copiis Strasburgum, quo ſe Hermannus receperat, cingit. Accurrit Petrus Bonus Pontificius Legatus: iræ modum poneret, litem in tribunali Romano, non ferro, dirimeret, irrito conatu ſuadet. Perſtitit in cœpto Conradus, certus urbem, ſi non vi poſſet, fame domare. Sed ab eo demum conſilio OTTOCARI Styriæ, Hermanni Carinthiæ Ducis, aliorúmque paucorum authoritas Conradum dimovit; quorum arbitrio pax confecta. Hujus operæ ingens pretium mox extitit, ſiquidem Conradus belli curis exemptus Divi Ruperti Baſilicam, quam Schiſmatici Anno MCLXVII. exuſſerant, è ruderibus

Pacem conciliat inter Gurcenſes & Salisburgenſem.

ribus vindicare aggreſſus, felici laborum auſpicio Virgilij Juvavienſium Antiſtitis ſanctiſſimi exuvias detexit.

Verùm, quæ miſera rerum humanarum conditio, ſpes omnes, quas ſummas quique de OTTOCARO conceperant, quartus ab obtentâ dignitate annus præcidit. Vegeto hucusque non minùs corpore, quàm animo credebatur; ſed tacitis incrementis inobſervatum omnibus malum intra venas ſerpebat, quod nunc demum funeſtis initiis erupit. Suffuſus inuſitato pallore vultus, languor membrorum prima morbi indicia fuere. Senſim macie corpus exedi, &, qua mirùm præſtabat, juvenilis oris gratia defluere. Pertinax ſanguinis putreſcentis tabes adhibitis nequicquam pharmacis in lepram degeneravit. Luem immedicabilem ominatus OTTOCARUS, quæ reipublicæ procurationem intolerabilem faceret, conſilium capit his ſe curis abdicandi; & alterum illi invitamentum mater exemplum erat, quæ aulâ nuper valere juſsâ ſe in quietam ſtationem ſubduxerat. Mens illi tum fuit, ducatum Auſtriaco Principi pro pecunia tradere, ſuúmque propoſitum cum D. Auguſtini Canonicis Viennenſibus communicat. Effluxit ſubinde Conſilium Principis ad Antiſtites, Procerésque Styriæ. Adire illi Principem, atque ut ab ea mente deducerent, machinam omnem movent. Perſuaderet ſibi, rogant, nondum adeò conclamatam ſalutem ſuam eſſe; quin evocato peritiſſimo quoque Medicorum inſtauranda videretur. Ætatem ſuam circumſpiceret, quæ alterum & viceſimum annum haud excedat: multum in juventute adversùs morbos præſidium eſſe, ſed nec ſpei minus eſſe debere. Quòd ſi vota ſua pertinacia morbi falleret; nondum tamen languorem in mentem derivatum, vim illius integram ſupereſſe, gerendæ reipublicæ parem: imperaret modò; in ordines, quoniam, cur de eorum fide dubitaret, non ſit, molem curarum, quantam vellet, reclinaret, eâ tantùm moleſtiâ ipſos abſolveret, nè orbatam tanto principe rempublicam, & funus Ducis etiamnum vivi complorare cogerentur. Delectari ille hoc procerum adversùm ſe ſtudio, non tamen flecti adhuc in poſtulata viſus. Igitur ſermonem proſecuti vulnus, quod hucusque premebant, retegunt. Si expugnari nullis precibus, lachrymísque ſuſtineret, ratum, firmúmque eſſet his ſe curis expedire, ageret, ùt liberet, ſibi ſua emolumenta, ſolatia, vitam etiam ipſam infra quietem vel horariam Ducis ſui eſſe; Leopoldum, ùt ſtatuiſſet, in Styriæ poſſeſſionem immitteret, nota orbi illuſtria cognati ſanguinis decora. Alioquin utramque Provinciam & ſitu, & nobilium affinitatibus junctam; eum ſanè Leopoldum eſſe, qui, ſi comitiis res ageretur, omnium ſuffragia in ſe unus colligeret;

Leprâ corripitur.

Vendere Styriam meditatur.

Diſſuadent ordines.

hæredem illum potiùs, quàm emptorem vellet, nundinatio abeſſet Principi, ùt equidem ſibi videtur, parùm decora, ordinibus pernicioſa. De Leopoldi clementia nil dubitandum, immunitatibus ſuis ejus æquitate abunde cautum: quid? ſi tempore contingat emptos pro victis aſpici, accidere ſanè pronum eſſe, eodem loco haberi, ſive quos auro, ſive quos ferro in poteſtatem quis redegerit. Liberalibus itaque tabulis negotium conficeret, præprimis dignitatis principis, dum ſuperſtes eſſet, ratio haberetur.

Et obtinent. Conceſſit tum OTTOCARUS in Procerum poſtulata, ſed eunte indies in pejus valetudine Anno MCLXXXVI. in ſacrum Divo Georgio montem ad Anaſi ripam haud procul vetere Laureaco ſitum comitia cogit. Adfuit & Leopoldus legatione honorifica invitatus. Ingens ex utraque gente procerum numerus affluxere. Conſidentibus in ſuo quisque ſolio, hinc OTTOCARO, illinc Leopoldo, ille hunc in modum ordines affatur. Amore illo, & ſolicitudine, quo majorum exemplo populi ſui commodis ſemper ſtuduiſſet, ſe admoneri, ut orbitatem optione emendet, indies, ùt ipſi noſſent, valetudinem ſuam defluere, vix virium jam tantum ſupereſſe, quibus rerum molem ſuſtinere pro dignitate, quæ ſe, & Ducatum deceat, poſſit, non ſibi quidem otium ſuum ante populi fidelis ſolatia futurum, impetrâſſe ipſos, quod multa contentione binis abhinc annis rogâſſent; reipublicæ curam non niſi cum vita poſiturum. Nolle duntaxat Provinciam à morte ſua Candidatorum ambitioni lacerandam objici: cùm ſe ſtirpis beneficio ultra fata extendere in reipublicæ commoda non poſſet, eam provido conſilio fulcire decreviſſe, ſucceſſorem ſibi jam nunc nominare propoſitum; ideo Proceres in hunc ſenatum convocatos, ut Principem nanciſcerentur, non quem aliquando admittere deberent, ſed quem hìc voluiſſent. Favere manifeſtis indiciis ſuo conſilio Deum, cujus immortali beneficio huic ætati Leopoldus, quem coram cernerent, conceſſus fuiſſet. Tum antiqua cognatæ domus fœdera recenſet: utramque nempe gentem à Leopoldo pulchro Marchione Auſtriaco, inde per Leopoldum filium cognomento Pium, hinc verò per Eliſabetham filiam, Ottocari IV. Proavi ſui conjugem, hactenus propagatam, quæ quidem in ſe ſinè liberis ſuperſtite exareſceret, cùm illa gemina ſobole lætiùs effloreſcat. De Leopoldo porro cur ultro, quid diceret, non eſſe. Virtutum ejus famam abunde notam latere vicinos non poſſe, quæ Europam jam implêſſet, non tam illum ab ſe delectum, quam oblatum divinitus; nec ab ordinibus eligi, nec ab ſe gigni meliorem potuiſſe, conatum ſe hactenus, nè Styria OTTOCARUM ducem habere doleat,

Comitia in monte D. Georgij

Allocutio Ottocari.

leat, hac optione ſibi certè perſuaſum fore, nè OTTOCARUM orbum fuiſſe pœniteat; Leopoldum clementiâ, regendi dexteritate, amore in populum, adversùs hoſtes fortitudine probaturum, vim morbi OTTOCARUM liberorum, non maturi, & felicis conſilij ſterilem reddidiſſe, intellecturos certè tantum illos beneficium à mortuo, quantum unquam ab ſe vivo accepiſſe; quod itaque Deo ter optimo maximo auſpice, ſibi, ordinibus, univerſæ Provinciæ, bene feliciter eveniret, futurum Styriæ ducem Leopoldum Auſtriacum in ampliſſimo hoc conventu ab ſe renuntiari: iis tamen legibus, quas confectæ ea ſuper re tabulæ exhiberent; recitari illæ continuò juſſæ: his Provinciæ bono, ac libertati multis capitibus cavebatur, adjectum præterea, idem ut Styriam regeret, qui ducatum Auſtriæ teneret, nec fratribus partiri fas eſſet. Lectas publicè literas uterque Princeps ſuo ſigno firmavit, alterum earum exemplum (bina deſcripta erant) OTTOCARUS ordinibus, alterum Leopoldo in manus tradit, breviſque oratione ejus clementiæ Provinciam inter amplexus commendat. Amicitiæ ſanè grande pignus futurum fuiſſe, ajebat, ſi alium in hanc hæreditatem, ac Leopoldum vocâſſet. Nunc verò, quod debebat, præſtitiſſe: Principis, quam reipublicæ deberet, curam, procerum horum, quos coràm cerneret, fidem ab ſe exigere, ut ſucceſſorem optimum daret, faſces proinde ſe non tam dono, quàm jure recepiſſe putet. Quòd ſi tamen non neceſſitatis, ſed voluntatis hæreditatem hanc crederet, quidquid ſibi pro ſtudio deberet, id in horum amorem (Proceres deſignabat) & curam populi transferret. Eorum voluntatibus non ſeriùs ac ſua ſe lectum crederet, non ſe priùs hoc patrimonium Leopoldo deſtinâſſe, ac illos conſenſiſſe.

Leopoldi ſucceſſorem nominat.

Contrà Leopoldus; magnitudinem beneficij in ſe collati probè agnoſcere, & ùt par ſit æſtimare, haud tamen lætitiam impetrare ab animo ſuo poſſe. Si harum locò, quas manibus teneret, literis reddita cognato ſuo valetudo, aut editus in lucem hæres aliquando nunciaretur, haud paulò majus ſanè ſe ſolatium capturum; retenturum quidem hoc ingens benevolentiæ pignus, interea diuturnam vitam, & reducem ſalutem precari. Quòd ſi aliter ſuperis viſum eſſet, daturum operam, ut ſi aliquando Styria parem, OTTOCARO tamen ſimilem non deſideret; beneficij porro accepti memoriam apud ſe, poſterósque emoriturum nunquam, non ſe Ducem Styriæ compellandum ſæpius, quàm in grati animi officia adversùs mecœnatem excitandum. Ab OTTOCARO converſus ad ordines, perennis gratiæ ſecuros eſſe juſſit. Auſcultavere proceres ſuſpenſis dubiſque in utrámque partem affectibus, cùm hinc deploratus amantiſſimi Prin-

Leopoldi reſponſio.

cipis ſtatus, ut dolere deberent, hinc Leopoldi virtutes, ſpésque de eo concepta, ut nè poſſent, urgerent. Inde inter lautas epulas utriusque Principis ſaluti litatum.

Fabula de vendita Styria refutatur.

Solutis comitiis Leopoldus in Auſtriam, in Styriam Ottocarus conceſſit, atque hac ratione optimum patrimonium Babenbergicis acceſſit, quo tamen ultra ſexaginta annos non fruerentur, Deo jam tum nobilem hanc terræ portionem Habſpurgicis deſtinante. Mirari hìc ſubit, quòd in mentem Authorum quibusdam venerit: Styriam Leopoldo venditam affirmantium. Nullum ſanè in literis nundinationis, nullum argenti veſtigium. Magis alter non ignobilis Hiſtoricus deceptus, ſive è Megiſero, ſive aliunde fabellam hauſerit, ſcribens aurum, quod Richardo Angliæ Regi lytri causâ extortum, à Leopoldo emendæ Styriæ expenſum, quem quidem errorem ratio temporum ritè ſubducta refellit, quando Rex Angliæ non niſi ſex poſt annos à Leopoldo, ut memorabimus interceptus. Redux in patriam Ottocarus ad reipublicæ curas ſe retulit, quibus eum Anno MCXCII. mors expediit; tabe latiùs & vehementiùs intra venas ſemper graſſante VIII. Idus Maji Græcij extinctus eſt, cùm paucis antè diebus in Seccovienſi Canonicorum Regularium S. Auguſtini Eccleſia piacularia ſacra ſibi fieri perpetuò imperâſſet, prædiis aliquot in hunc finem collatis. Cadaver Seizenſi in Monaſterio conditum eſt.

Moritur Ottocarus.

Ejus Parentes.

An cœlebs vixerit.

Natus erat Ottocarus Patre ejusdem nominis V. Matre Cunegunde Dietpoldi II. Marchionis Vohburgici, & Adelhaidæ Polonæ filia, hæres unicus. Cœlibem perpetuò vitam duxiſſe tum afflicta Principis valetudo, tum altum annalium de Connubio ſilentium, tum ea, quam illi quidam adjungunt, uxor perſuadet. Leopoldi enim Ducis Auſtriaci generum quis credat, quem lepra aſperſerat, poſtquam non ampliùs decem annis Leopoldus cum uxore vixiſſet. Simul ac ſucceſſorem legerit, magiſtratu deceſſiſſe, cucullo indutum, piis pariter fabellis adnumerandum. Ad extremum gubernacula tenuit, etſi illud longè veriſſimum, multum temporis pietatis exercitiis, & comparando ad felicem exitum, quem haud longè abeſſe facilè conjicere poterat, animo dediſſe. Nulla ferè intra ditionis ſuæ fines

In ſacra loca liberalitas.

ædes ſacra, cujus facultates largitionibus non ampliâſſet, dum Anno MCLXXXII. uſitata inter munia Juri dicundo forum in Ægidiani templi cœmeterio Græcij aperuiſſet, Seccovienſibus non modò à Patre conceſſos olim favores ratos habuit, ſed additis inſuper beneficiis cumulavit. Aliàs ad luſtranda Styriæ Hungariæque confinia profectus Seizenſe monaſterium, cujus inopiam annuis cenſibus nuper ſublevârat, novis immunitatum tabu-

lis

lis donavit. Nihilo parciùs ejus munificentiâ Voravienſes fruiti, quam quidem ædem præ ceteris diligere ſolitus, quòd à Genitore, eo, quo ipſe natus eſſet anno condita, velut redhibitum cælo pretium videretur, quo ſe hæredem piiſſimi parentes emiſſent. Literis alteris ad Traunkirchenſem S. Benedicti Parthenonem, ad Ciſtercium Runenſe alteris ingenti doloris ſenſu optimus Princeps ſe impubere ea Cœnobia à Præfectis vexata deplorat, néve poſthac quisquam injuriis laceſſere auderet, cavet; non alio conſilio meditatum ſe Leopoldo Styriam vendere, diſertis ipſe ad Voravienſes verbis teſtatur, quàm ut nè opum, quas Dei cultui ampliando effunderet, deinceps penuriâ laboraret. Henrico Leoni Saxonum, Bojorúmque Duci magno procerum, & quingentorum equitum comitatu in Palæſtinam profecto, ſocium viæ ſe junxiſſe OTTOCARUM, utrúmque Hieroſolymæ ad loca ſacris Myſteriis inclyta inviſiſſe Anno MCLXXIII. Arnoldus Lubecenſis commemorat. Quod quidem peregrinationis genus, ſi ducem noſtrum è pietate æſtimâris, illi tribuendum putes; ſi ex ætate nondum ultra alterum luſtrum provecta, ægrè credideris. Pacem omni vita ſtudioſè coluit, nec minùs feliciter conſervavit, an quòd illum hoſtes metuerent? quem diligi tantopere à civibus ſcirent, an quòd belli cauſas procul ſemper amoviſſet? qui finibus ſuis contentus ea ambitione ſolùm tangebatur, nè quis alius præ ſe plura largiretur, parùm ſolicitus, nè quis latiùs imperaret. Bellum quod in Auſtriacos feciſſe legitur, non tam ſuo, quàm procerum, quorum conſilio annorum duodecim Princeps regebatur, authoritate ſuſceptum: Sobieslao, quem haud ità pridem proſcripto patruo ejus Uladislao, & Friderico filio, Bohemiæ coronâ Fridericus donârat, inito adversùm Auſtriacos fœdere arma junxerunt, quo quidem bello id demum effectum, ut quatuor annorum alternis cladibus, & incendiis provinciæ attererentur.

Voravienſe Canonicorum Collegium à genitore ejus conditum.

An in Palæſtinam profectus?

Bellum in Auſtriacos.

LEOPOLDUS I.

Cognomento Virtuosus.

DUX STYRIÆ II.

AB excessu Ottocari Styria Leopoldo Austriæ Duci cessit, non magis veteri pactionum jure, in quas cognatis Principibus aliquot antè annis convenerat; quàm virtutum egregiarum, quibus ornabatur, merito. Armorum imprimis gloriâ longè erat clarissimus, illustribus nuper sacro bello in Oriente rebus gestis non parùm auctâ. Henricus Parens, Austriæ Marchio, Ducis insignia, honorésque primus tulit à Friderico Cæsare collatos, jure, dignitatéque in posteros transitura: quæ Ratisbonæ celeberrimo Germaniæ Principum ferè omnium conventu anno supra mille, ac centum, sexto, & quinquagesimo acta, ad quartum Idus Septembres referunt Zwetlense vetus, & Mellicense Chronica; extant etiam nunc Friderici literæ, magnarum, multarúmque Austriæ prærogativarum testes. Hac auctus novi honoris accessione Henricus Dux altero post anno è Theodora conjuge Emmanuelis Imperatoris Græcorum seu filiâ, seu, quod Fuggero teste alij tradunt, propinquâ Leopoldum filium sustulit, læto omine, quippe qui paterno, maternóque genere utrumque Orientis atque Occidentis Imperatorem cognatione attingeret. Adolescens optimè institutus, cùm ætatis octavum decimum attigisset annum, militari baltheo cinctus est cum Henrico Medlicensi fratre natu minore, veteri instituto, quo is juventæ habebatur honos, ad res magnas Reipublicæ causâ olim gerendas incitamentum; atque ut solennia isthæc majori pompa peragerentur, eodem die cum Bela Tertio, Hungarorum Rege, affinitatem junxit, Helena sorore in matrimonium accepta: quæ marito superstes ad annum usque nonagesimum nonum seculi vitam produxit.

Leopoldi ortus.

Eminebat jam tum in Principe nostro indoles mentis alta, & quæ spem faceret cognomenti, quod ab virtute bellica adjiciendum ipsi deinceps erat, haud ex vano gerendi. Neque multò se pòst belli occasio dedit. Quinto, & septuagesimo seculi hujúsce anno, qui tum Bohemiæ imperitabat, Zobeslaus infesta Austriæ arma intulerat: latè circumfuso terrore regio omnis, quà in Septem-

Bellum cum Bohemis.



Christ. Dietell sculpsit Gracy.



Septemtrionem porrectam Danubius, & *Marus* flumina continent, incendiis fœdè hausta; nec insequentis anni fortuna dispar: præstò Zobeslao advenerant cum Bohemis Poloni, Ruteni, Saxones, atque Hungari, quadraginta ferè millium hostilis exercitus Austriæ ingressus fines; non sacris ædibus, non cœnobiis parcitur: res proximè exitium fuit, nisi LEOPOLDUS, ac Henricus fratres parentis jussu Moraviam adorti, aversis ad sua tuenda hostibus imminentem perniciem aliò avertissent. Biennium subinde mutuas inter clades exactum reperio, dum pax denique firmaretur: LEOPOLDUM certè Austriæ recèns creatum Ducem (Henricus enim parens anno superiore mortem obierat, multis, luculentísque relictis suæ adversùs DEUM pietatis, virtutúmque monumentis) septuagesimo octavo anno hostilia signa in Bohemiam transtulisse Austriaci apud Freherum annales memorant.

Hoc extortum necessitate, ac verius propulsatum, quàm gestum à LEOPOLDO bellum; alterum voluntate susceptum est; causa, qua nulla justior, sanctiórque, vindicatio Nominis Christiani, quod Barbarorum furore per Asiam non jam labebatur solùm, sed planè ire cœperat præceps. Saladinus ea tempestate rerum apud Saracenos potiebatur, opibus, armísque potens, idémque hostis Christianorum sacrorum acerrimus; solicitabat animum barbari Hierosolymæ regnum tenue admodum, & quod ægrè suo se nomine sustentaret, regni verius species: nec ab Europa, suis ipsa malis, discordibus Principum animis, laborante, quod timeretur magnopere, videbatur esse: & posse huic non maximis viribus resisti, spem affirmabant superiorum annorum eventus tristibus ferè, quàm lætis propiores. Hoc rerum statu, priusquam roboris quidpiam hosti accederet, occupat bellum facere; exordia ipsa belli rebus nostris se, quàm cogitari potest, funestissima dabant: Christianorum exercitus, cùm in aspera, atque impedita loca dolo protractus esset, internecione deletus, Guidone Rege Hierosolymorum in vincula abrepto; captum Sacrosanctum Crucis signum; urbes non paucæ impetu subactæ, ac metu: in his Hierosolyma Regni caput; non facilè aliàs antè ullus è Syria nuntius Europam æquè graviter perculit: adeò valida res tum Saracenorum, formidolosúmque Saladini nomen erant; valuítque tantum cladis acerbitas, ut Urbanum Pontificem mœrore oppressum extingueret. Hæc ad annum octogesimum septimum supra millesimum, & centesimum acta sunt. Magnitudo ipsa discriminis advertit denique animos Principum, oscitantes hactenus, & ad ferendam celeriter opem impulit; igitur summa vi apparabatur Europâ totâ bellum, fiebántque undique

Belli sacri initia.

Friderieus Cæsar in id se comparat.

dique omnium hominum in eam expeditionem nomina ſua profitentium concurſus: Comitiis octogeſimo octavo anno ſumma omnium ordinum celebritate Moguntiæ ad ſextum Kalendas Apriles actis Fridericus Cæſar, Fridericus deinde Sueviæ Dux Cæſaris filius, Principes alij magno numero accepta cruce ſacræ militiæ ſe devovêre: juſſi, qui comitaturi Cæſarem terreſtri erant itinere, ad IX. Kalendas Majas inſequentis anni Ratisbonæ præſtò adeſſe, ad dictam diem ingenti numero advenere; atque ita informatum bellum fuit, quod deinde eventu vario geſtum exitum habuit aliquantò expectatione inferiorem.

Leopoldus moratur, & cur?

Nil adeò in votis habuerat LEOPOLDUS, qua erat animi pietate Princeps, atque in hujúsce ſe ſacræ militiæ ſocietatem quamprimum dare; ſed ab Rege Hungarorum Bela metus erat. Styriæ ditionem, initio non ampliſſimis finibus circumſcriptam, ultra Muram fluvium produxerant Marchiones Ottocari deceſſores: ejus, quà Orientem ſpectat, partem magnam Hungariæ ſuæ decerptam, neſcio unde? cauſatus Rex jam diu recuperatum ibat; cum triennio antè Ottocarus Dux, quòd familiæ ſuæ poſtremus eſſet, ſucceſſorem dixiſſet. Etſi ſpes omnis præciſa Belæ videri poſſet, tamen moliturus quidpiam timebatur; fruſtra ſuam reſtituendæ concordiæ operam Fridericus Cæſar impenderat, ut jam haud dubiè ab Ducis morte (neque hæc longè aberat) res ad arma ſpectaret.

Viennæ Cæſarem excipit.

Ea cura cùm LEOPOLDUM nolentem domi retineret, de profecturis ſaltem bene meritus, nihilominus in communionem laudis pervenit. Exercitum Cæſaris Viennam delatum opportuno commeatu, & largis donis refecit. Delectatus ea humanitate & munificentiâ Cæſar pluribus diebus Viennæ ſubſtitit. Certè in gratiæ locum non vulgarem LEOPOLDUM receptum, familiares, quas Hadrianopoli ex hibernis Fridericus dederat, argumento ſunt: iis rerum hactenus geſtarum ſeriem, Græcorum perfidiam exponit; LEOPOLDI precibus ſe, exercitum, negotium expeditionis totum commendatum eſſe jubet; literas, quas occluſas videret, ad Pontificem per fidum tabellarium mitteret, petit. Exemplum Epiſtolæ Tageno Decanus Patavienſis Diespoldi ſeu Theobaldi Epiſcopi in ea expeditione paucis exhibet; illis etiam adductis, quibus Theobaldus nunc memoratus, de itineris in Græciam confecti ratione, diviſa in ſingulos dies inde ab expeditionis principio ad finem usque Septembris narratione LEOPOLDUM edocuit.

In orientem abit.

Belli, quod diximus, metu exſolutus, compoſitísque ad tempus rebus ſacram & ipſe militiam auſpicatus, nonageſimo anno exeunte Brunduſium Apuliæ urbem appulit, inde, ùt primùm

ſe

ſe tuliſſet occaſio, in Aſiam tránsmiſſurus. Hæc inter Fridericus, exercitu primo vere Helleſpontum trajecto, arma in hoſtilem ditionem infert, jámque relatis multis de numeroſo hoſte victoriis, Lycaoniæ urbe Iconio expugnata ſpes erat Palæſtinâ brevi recuperatâ bellum omne patratum iri; ſucceſſus lætos inopina mors Friderici IV. Idus Junias Calycadno, ſeu Calydno (Salephum alij vocant) fluvio hauſti: magnus erat bello ac pace Cæſar, & haud dubiè omnes, qui antea fuerunt Germaniæ Imperatores, nominis famâ ſuperaturus, niſi labem ei acerbior in Pontifices animus aſperſiſſet. Ortum è Cæſaris morte luctum aliud haud paulò gravius malum oppreſſit: exitialis lues per exercitum vulgata; triſtes cladis reliquias paterno ſuſcepto imperio Fridericus Sueviæ Dux Ptolemaidem adduxit, altero poſt anno & ipſe vitâ functus. Ptolemaidem Palæſtinæ urbem portu inſignem, triennio antè communi illa procella hauſtam, in libertatem vindicaturus Guido Solymorum Rex per id tempus oppugnare cœperat, non tam iis fretus, quæ in præſens eſſent, viribus, quàm quòd ſuppetias ex Europa venturas ſciret. Ad obſeſſæ urbis famam advolavit mox Leopoldus noſter; ac tantò id quidem promptiùs, quantò plus veræ gloriæ habiturus erat Saracenorum, fidei hoſtium, fuſo ſanguine cruentatus, quàm ſi in eorundem ſacrorum ſocios arma ſtringeret: convenere huc magno numero Germani, Itali, Galli: in his Richardus, atque Philippus Angliæ Franciæque Reges. Quid tantis copiis effectum eſſet, ſuſpenſa in eventum Europa omnis expectabat, nemo non magnum quid animo præcipiebat. Ducum claritas, ardor militum omnia ſpoponderant. Verùm diſcordiæ, & domeſticarum rerum cura (præſens ſemper diverſarum nationum, & non pro patria pugnantium malum) omnem illam armorum vim brevì evertit. Toti Aſiæ gentes fortiſſimæ terrorem incuſſerant. Tanti tamen belli operæ pretium non aliud, ac unica Phœniciæ urbs Ptolemais fuit, quæ magni momenti ad proſequendas victorias videbatur.

Fridericus Cæſar fluvio mergitur.

Ptolemais obſidetur.

Prior Meſſanâ Philippus Auguſtus Francorum Rex, Richardo Anglo adhuc cunctante ſolverat, delatúsque in caſtra opportunis non magis, quàm neceſſariis auxiliis obſidentes recreavit. Morbis ſiquidem inter milites vulgatis ingens Germanorum numerus interierat, ut pauci admodum ſupereſſent. Altera parte terrorem fama de Saladino admôrat, qui propediem maximo exercitu urbi in auxilium affuturus nunciabatur. Philippus illico Francis ad muros propinquare juſſis acriter oppugnationem urgebat, cùm altero latere æquè ferociter Germanus inſtaret. Brevì magna ſtrage muri procubuere, ut non ægrè irrumpentes

Franci obſidentibus accedunt.

admitteret. Angli demum adventus res Barbarorum penitus proſtravit. Magnam ille plagam obſeſſis jam nuper mari impoſuit: Spe auxilij Ptolomaidem injiciendi, validam Saracenorum manum navi Saladinus impoſuit, pertentare aditum omni arte juſſos. Navi, quæ Barbaros Francorum habitu, ut cuſtodias falleret, tectos vehebat, haud procul Ptolemaide Richardus occurrit, neſcio quò indicio agnitos conſerto prælio vincit, fluctibus mergit, Saracenos ad unum omnes in vincula abripit. Evoluti hunc in modum ſubſidij ſpe, cùm recentia Anglorum ſigna circa muros volitare conſpicerent, deditionem offerunt, Saladino eminus inſpectante, & poſtquam artem omnem conſumpſit, vires ſuas inſuper irritas frendente. Vitam pacti, prædas multo auro redemerunt: Chriſtianorum non parvus numerus in libertatem aſſertus; ſed non ideo ſe cladi Saraceni ſubduxerant, nam quòd Saladinus neque crucem, neque Hieroſolymam tradere, quo captos redimeret, annuiſſet, (pro cruce vera truncum alium perfida impietate obtruſiſſe quidam memorant) octo Barbarorum capitum millibus Sacroſancto pignori litatum eſt, ceu debitis victimis, ùt qui ſignum illud Divinum contemptui haberent: & reverentiam, ſi redderent, à Chriſtianis deferendam inviderent. Duo millia vitam non modico auri pondere redemerunt, ita quidem rem geſtam Godefridus Colonienſis deſcribit. Ptolemaidem vi captam, Philippum Francorum non expectato obſidionis eventu in Europam rediiſſe Otto à S. Blaſio memorat.

Et Angli.

Cæduntur Saraceni in pœnam fraudis.

Leopoldi in obſidione virtus.

Leopoldi cumprimis virtus hac in expeditione eminuit. Nec jam Ducis ſolùm ille, ſed & militis partes agere, inter primos in pugnam ferri, in muros turrésque aſſilire, in hoſtium cuneos incredibili mortis contemptu irruere, obſiſtentium ora ferire, cædere. Ferunt quodam die è pugna totum, quantus erat, cæſorum ſanguine oblitum in caſtra rediiſſe, ſago ipſo à cruore adeò madente, & rubeo, ut ea duntaxat pars, qua militaris faſcia latus ambiebat, canderet. Heroicæ fortitudinis memoriam in Gentilitio Auſtriacorum ſcuto hodie exſtare quidam arbitrantur: vulgóque perſuaſum eſt, bicoloris, quam deſcripſimus, Leopoldi veſtis referri imaginem. Clypeo, honoríque Leopoldi datum, ut rubeam clypei aream candido per medium interjecto diſtingueret. Alij apud Cuſpinianum rei originem non è Phœnicia, ſed Auſtria petendam contendant, quam ſcutum referat Danubio per medium defluente interſtinctam.

Gentilitij Auſtriæ ſcuti origo.

Redeunt Principes.

Ptolemaide in poteſtatem redacta eodem anno dilapſus exercitus, reclamante nequicquam Richardo: profectionem, quam principes adornarent, haud multùm à proditionis ſpecie abeſſe, ludibrium Europæ futuros, qui tanto apparatu demum unum oppi-

oppidulum quæsiissent. At Francus imminutum exercitum, moleſtam, quâ pertinaciter conflictaretur, ægritudinem obtendere; præprimis illum Flandrenſis comitatûs hæreditas, quam mortuo comite cernere parabat, & adversùs Anglum odium urgebat. Nec ille Philippum duntaxat, ſed & alios principes arrogantiâ, & impotentiâ animi ab ſe abalienârat. Iræ juxta, ac ambitionis immodicus, multos ſanè pro dignitate non habebat, quaſi jure contemneret, quos opibus, & recentis belli fortunâ anteiret. Nam Tancredum Siciliæ regem, priusquam Siciliâ abiret, tranſcenſis Meſſanæ muris ad officium compulit; Iſacium Græcum, Cypri Regem, quòd Anglos, Joannam ſororem, Berengariæ Sponſam in ea littora tempeſtate effuſas crudeliter, & contumeliosè habuerit, per iter regno multatum, aureisque per ludibrium vinculis conſtrictum Tripolim deportârat. His ille Victoriis elatus pro arbitrio pleraque agere, rationem ceterorum exiguam, aut modicam habere. Paucos illi egeſtas addixerat, quos opibus ſuis è ſpoliata Cypro immenſum auctis ſublevârat. Sed nemo acerbiorem injuriæ ſenſum, ac LEOPOLDUS in Europam retulit, nonniſi Regis carcere, & immani pecunia abſtergendum.

Richardi Angli arrogantia.

Origo diſcordiæ præceps ira, & ambitio Richardi fatentibus paſſim Hiſtoricis fuit. Expugnatæ Ptolemaidis gloriam uni ſibi arrogârat, ad quam nempe hiantibus jam aliorum virtute muris acceſſerat. Vexilla nonniſi Anglica turribus depangi imperat. Civitatem obequitans, ex ea, quam LEOPOLDUS obtinebat, ſignum non ſuum volitare advertit, edoctúsque LEOPOLDI Orientalium Ducis copias in ea collocatas Auſtriacæ legionis vexillum defixiſſe, irâ ultra modum abripitur; è comitatu armatos in turrim aſcendere, illóque dejecto Angliæ ſignum ſubſtitui jubet. Furorem Regis imitati milites, moderatione non majori in turrim ëniuntur, cæsísque Germanorum aliquot, qui vim vi repellere tentârunt, vexillum revellunt, atque ùt in mandatis acceperant, in cloacam haud procùl diſſitam pedibus adigunt. Richardum LEOPOLDUS ſuper ignominia queſturus adierat; tantum abfuit, ut pacati quidquam reſponderet, ut atrocem injuriam conviciis, & acerbo riſu Richardus cumularet. LEOPOLDUS, nè quid turbarum deinceps exiſteret, cum ſuis extra urbem ſub papiliones ſeceſſit. In hunc modum plures recenſent. Paulò aliter rei ſeriem Matthæus Paris exponit. Metatores LEOPOLDI quadam die celeriùs in vicum quempiam delatos, in diverſorij tecto Auſtriaca ſigna defixiſſe, atque cùm regij ægrè ferrent, commodius diverſorium principi ſuo præreptum, & jam antè ab ſe deſignatum contenderent, nec tamen ut illi cederent, impetra-

Leopoldi vexillum ignominiosè dejicit.

petrarent, litem ad Richardum detuliſſe, à quo præceps illa, quam diximus, ſententia lata ſit.

Utcúnque res ſe habuerit, devoranda contumelia tum erat, & ſapiente ſilentio dolor premendus, quando pugnare in æmulum vires non patiebantur, & ſi etiam Philippus Auguſtus, ſuis injuriis æger, in partes attrahéndus non gravatè videretur, religio in ſocium, & Chriſtianum arma ſacro bello jurata capere vetabât. Plenus tamen irarum, & vindictæ cupidine in Europam rediit Anglo multùm nocitura, ſed nec ſibi aliquando proficuâ. Auſtriam propera navigatione, eodem, quo abierat, anno tenuit. Altero cùm mors Ottocari Styriam ſibi adjeciſſet, Wormatiam profectus in hujus Provinciæ Principem IX. Kalendas Junij ab Henrico Cæſare inauguratus eſt. Græcium ſubinde adventantem proceres magnificâ pompâ in urbem deduxere. Uſitatum fidei Sacramentum in comitiis publicis dictum. Ordines viciſſim à principe donis, & favoribus cumulati. Seccovienſes obtinuere, ut ſe fautorem, protectorémque futurum datis literis Dux teſtaretur. Adhuc inaugurationis hilaria agebantur, cùm vicinam Bavariam bello ardere nunciatur. Alberto de Pogen neſcio quid controverſiæ de limitibus, & monaſteriorum tutela cum Ortenburgicis comitibus Rapotone, & ejus fratre Henrico interceſſerat. Jus ſuum armis proſecutus in Bavariam, & ditionem Ortenburgicam Bohemorum auxiliariis ſuccinctus menſe Octobris irruit; non profanis, non ſacris parcitum, incenſæ Eccleſiæ, direpta cœnobia, ſacri apparatus in prædam, averſi, Ludovicus Dux Bavariæ in fugam actus. Ad propulſandum à finibus periculum cum Bertholdo Meraniæ Leopoldus accurrit; reſpirandi tempus nactus Ludovicus diſperſum militem & ipſe collegit, ſociatísque viribus ruentis impetum eò ſuſtinuerunt, donec Ratisbonenſis curiæ ſententiâ (qua Albertus proſcriptus) bello finis imponeretur.

Leopoldus Styriæ Dux à Cæſare inauguratur.

Fidem ordines jurant.

Bellum in Bavaria.

Interea Richardi calamitas optatam dudum vindictæ occaſionem Leopoldo obtulit. Poſtremus in Palæſtina ille remanſerat; nunc pace cum Saladino, quem pluribus præliis attriverat, compoſita, etſi jam jam Hieroſolymæ immineret, reditum adornârat. Sive illi aurum à Tyranno receptum, aut dilapſi Itali, Germaníque, aut morbus, aut à Philippo Franco metus ita perſuaſerat: aut gloriæ ſatur jam eſſet, quòd permiſſo Guidoni Luſiniano Cypri regno, Hieroſolymitani Regis titulum ab eo abſtuliſſet. In Adriatico tempeſtate jactatus ad vicinum Aquilejæ litus in ora Iſtriæ ejicitur. Tenenti jam portum procella gravior, qua hauriendus erat, imminebat. Lævo genio ductus iter proſequi per Germaniam conſtituit. Memor ignominiæ, qua

Richardus è Palæſtina redit.

Naufragium patitur.

qua Leopoldum læserat, ejus manus sibi evitandas optimè nôrat. Ut falleret, vernæ habitum indutus modico comitatu Viennam properat. Sed nempe, ùt celer, & tener est injuriarum in principibus sensus, ità sagaces iræ diu memoris oculi, & perspicax vindictæ ingenium. Rei seriem Henricus Imperator literis, quas ad Philippum Augustum V. Kalendas Januarias dederat ipse enarrat: Primum, ùt ait, indicium ad Mainhardum Goritiæ Comitem delatum, cujus tamen solertiam Richardus elusit. Octo suorum, quos Comes ceperat, amissis Frisacum in Carinthiam penetravit. Frustra & hìc Friderici Petovienſis insidiæ fuerunt. Sex è comitatu duntaxat decerpserat. In Austriam Richardus evasit. Interea Leopoldus admonitus vias omnes oculatissimis excubiis munivit. In vile diversorium extra muros Viennæ Rex se abdiderat, atque ut omnem suspicionem peregrini etiam adimeret exploratoribus, cocum simulans culinæ munia obiverat. Fortè è familia Ducis quispiam urbe die vicesima Decembris egressus in tabernam defertur. Conspicatus cocum in vultu ejus, inobservatus tamen, hæret: visa ad Ptolemaidem Richardi facies, fama per has terras profugi in memoriam redit. Dubitantem penitus in sententia confirmat annulus, quem digito eximere fatali nempe incogitantia neglexerat. Revolat in urbem, ducem de diversorio, de Rege, de simulato habitu, de indiciis edocet.

Viennam ignotus venit.

Agnoscitur.

Incredibili lætitiâ nuncium Leopoldus audiit. Conscenso è vestigio equo, raptóque secum Prætorianorum globo in diversorium approperat. Altile veru infixum, manu ad ignem Richardus versabat: eum Leopoldus culinam ingressus nil tale opinantem composito ad acerbam humanitatem vultu alloquitur: erubescendum sibi, ajebat, Regem potentissimum suis in terris adeò negligenter, avaréque acceptum, ut abjectis culinæ ministeriis victum mereri necesse sit. Muniis Regi indecoris manus nè dehonestaret, ducentem sequeretur, se de hospitio haud paulò commodiore prospecturum, in quo etiam otioso annona præberetur. Delectatus parùm hac urbanitatis formula Richardus, tristi silentio, & nuperum ad Ptolemaidem factum, & præsentem temeritatem serò damnabat. Ad datum signum prætoriani regium lixam circumdant, & Duce Hadmaro de Chunring, vinculis oneratum carceri in arce Tyrnsteinensi mandant.

Capitur.

Lætus ea Regis captivitate pariter Henricus Asper, Imperator ineunte mox Anno XCIII. sibi Richardum custodiendum tradi postulat, causatus probrosum admodum dignitati regiæ esse à Duce captivum teneri. Lytri partem, ùt conventum fuerit, examussim repræsentandam nè dubitaret. Leopoldus refraga-

Ad Cæsarem Wormatiam mittitur.

ri non ausus, Richardum validâ militum custodiâ septum Wormatiam dimittit. Multis se ab Richardo offensum Henricus querebatur. Leopoldi agnati injuriam non minùs suam ajebat. Regem Cypri affinem injustè regno exutum. Arsacidas Sicarios in marchionis Montisferrati cædem ab ipso immissos, siculos adversùm se consilio, pecuniâ, fœdere adjutos; quæ quidem in Procerum consessu die palmarum objecta, si Rogerio Hovedeno fides, nervosè Richardus diluit, nihilo tamen magìs libertatem obtinuit in arcem Trivelsiam translatus. Auri nempe Anglici spes immane quantum Henrici famem acuebat. Hagenoæ primùm de libertate cum Anglo actum usque ad III. Kalendas Julias, cum Henricus, quid quid alter offerret, parùm putaret, dignitate jam Regis ad mensuram avaritiæ exacta. Richardus verò tum primùm se nimis æstimari ægrè ferebat. Tabulæ demum Wormatiæ hunc in modum confectæ, signatæque: jam nunc Londinum delegatos Henricus mitteret, ex ærario regni centum millia marcarum argenti ponderis Colonienſis referrent, alia quinquaginta millia intra præscriptum tempus exhiberet. Securitatis causâ obsides sexaginta substitueret Imperatori triginta millia expectaturo: pro viginti millibus Leopoldo septem. Rata præterea illa omnia, in quæ sive nunc publicis, sive privatis aliquando literis conveniſſet, haberet. Intra septem menses, quò custodiâ emissus esset, neptem suam Comitis Britanniæ Filiam, Leopoldi Filio despondandam mitteret, suis impendiis in Germaniam deduceret, eam in torum adsciscere liberum Duci esset. Si minùs placeret, satisfecerit, cui liberet, collocaret. Pacta continuò ab Henrico ordinibus Angliæ per tabellarium XIII. Kalendas Januarias expeditum nunciata. Pecuniâ, quæ his pactis Leopoldo obtigit, refert Haselbachius, ampliatos Viennæ muros, novam muris fossam circumdatam, civitatem Vischam à nuperni incendij damnis vindicatam, partem non modicam Anaso, Haynburgo, & Moribeggio reparandis impensam.

Libertatem paciscitur.

Propè aberat, quin adornata jam in patriam profectione è limine carceris Richardus revocaretur. Simul ac Rex Francorum Philippus Augustus, & Joannes Moretonius *Sine terra* dictus Regem in libertatem asserendum audierant, tantundem, quin plus argenti pollicentur, si in manus suas Anglum traderet, aut libertatem in sextum mensem differret. Philippum vindictæ cupiditas ob simultates veteres, & Normanniæ adjungendæ spes in has molitiones induxerant. Joannem fraterni sceptri invidia, & recens, ùt interpretabatur, ignominia urebat. Sperârat se, dum Richardus abesset, Regnum pro fratre procuraturum. At hic, quòd homini parùm fideret, Guilielmum Elienſem Episcopum Can-

Intercedit Francus, & Anglus Frater.

Cancellarium Proregem dixerat, & nè quid turbarum ſe abſente Joannes, & Gaufredus Archiepiſcopus Eboracenſis cierent, illi poteſtatem à Pontifice Clemente confirmari impetravit; hos, ut, donec in Palæſtina verſaretur, ſibi Sacramento Angliâ interdicerent, & in Normannia degerent, compulit. Nutabat Henricus ad tantum argenti pondus, & ſiquod eſſet in perjurio dedecus, à pretij, quo emeretur, magnitudine abunde cohoneſtandum cenſebat. Interceſſerunt turpi nundinationi Moguntinus, Colonienſis, Salisburgenſis Epiſcopi, Duces Sueviæ, Auſtriæ, & Brabantiæ. Facti fœditate agnita indulſit Cæſar, ut pridie Nonas Februarij Anno MCXCIV. Moguntiæ per ejusdem urbis, & Coloniæ præſulem Richardus Matri Eleonoræ, quæ filij cauſam actura advenerat, traderetur. Expeditæ ſimul ad Philippum, & Joannem literæ, quibus bellum à Cæſare denunciaretur, niſi urbibus, oppidísque excederent, quas ſive ille in Normannia, ſive hic contra jusjurandum in Angliam transgreſſus ſubegerant. *Liber dimittitur.*

Non aliàs ferè magìs, ac libertati redditus, menſuram nominis Richardus implevit, quo per militarem applauſum Cor Leonis dicebatur. Solutum caveâ dixeris. Furorem, quem quatuordecim menſium carcere collegerat. ſimul in Joannem, hàc ad Francos profugum, in Philippum, ſimul in Leopoldum, & Cæſarem exeruit. A Leopoldo præcipuè redditas ſibi vices iniquiſſimè ferebat; ùt primùm Angliam tenuit, legatos Romam dimittit, ſupplice illi, atque ad extundendam miſerationem oratione, habitúque inſigniter comparato Pontifici Cæleſtino exponunt. Regem ſuum crudeliter juxtà, ac ignominiosè à Leopoldo habitum, non Saladinum, non ceteros Barbaros majori ferocia uſuros fuiſſe, ſi in poteſtatem Richardum redegiſſent, etſi eos ſat cladibus in Eccleſiæ commoda efferârat. Inter ſacra naufragum jure gentium cenſeri, nemini non, niſi, qui omnem humanitatis ſenſum exuerit, perſuaſum. Nefas eſſe hominem, cujus ſaltem vitæ procellæ pepercerint, violenta manu attingere. A Leopoldo Richardum non captum modò, vinculísque nulla regiæ dignitatis ratione habita conſtrictum, verùm (ùt orationem legati, & ejus ævi facundiam Matthæus Paris exprimit) bovis inſtar, aſiníve Imperatori divenditum, inſanam pecuniæ vim exactam, cui colligendæ ſpoliari Eccleſias, ſacra vaſa fœda nundinatione auctionari neceſſe fuerit. Ageret itaque Pontifex, & non tam Richardi, quam læſam Cæleſtini authoritatem vindicaret. In Eccleſiæ tutela eſſe, qui pro Eccleſia bellum faceret: triennij ſecuritatem vade Pontifice promiſſam: pro poteſtate, qua ſumma in terris polleret, ediceret: pecuniam, quam *Adversùs Leopoldū apud Pontificem queritur.*

Leopoldus, quam Imperator recepiſſet, cum obſidibus redderet: injuſto metu, qualia reverà eſſent, pacta extorta pronunciet; nè, quod Rex ſoluturum ſe receperat, illis deinceps exigere fas eſſet, vetaret. Ab his ſecundam in Palæſtinam profectionis, & recuperandæ per Anglos Hieroſolymæ ſpem opportunè injiciunt.

Pronis auribus ab univerſo Patrum conſeſſu legatorum oratio excepta. A Richardo pronunciatur: Leopoldo pecuniæ, & obſidum reſtitutio imperata, miſſíque, qui ceſſantem more recepto ter præſtandæ obedientiæ admonerent. Surdo iſta canebantur, altiùs injuriæ ſenſum in animum demiſit, quàm ut medelam nullo hoſtis damno admitteret. Vilis inſtar mancipij, ajebat, ſe ad Ptolemaidem acceptum, quis non id jure factum deinceps putabit, quod Duci Auſtriæ ulciſci non licuit. Injuriam ſi illam Pontifex crederet, cur Richardum de ea ſatisfacere prohiberet? An exedendum Auſtriaco, quid quid Anglus intriverit? ſi lytrum, ſi obſides reddendi, damnanda à ſe ipſo cauſa ſua; ignominia non minor, quàm ab Anglo paſſus foret, addenda. Se in ipſo ſacri belli æſtu, intra muros, quos recenti ſanguine aſperſerat, contumeliosè habitum; Richardum patrato bello reducem, profugúmque in vincula conjectum: non tunc Auſtriacos minùs, ac Anglum, dum caperetur, in tutela Papæ fuiſſe. Quod tandem vindictæ genus mitius Princeps arripiat, quàm ſi læſum honorem imperatâ pecuniâ ultum eat, niſi fors cuipiam infra divitias ſua dignitas ſit. Adhæc intra minas eam tempeſtatem conſtitutam ominabatur, cùm adhuc Henricum Cæſarem impunem cerneret, qui tamen Anglicum ærarium lucro longè maximo depeculatus fuiſſet. Itaque ubi nihil impetratum fuiſſet, Leopoldus jam anno ſuperiore fulmine hoc perculſus, iterum diris, ceteríque omnes, qui in Anglum, famulósve manus injecerant, VIII. Idus Junij Romæ à Cæleſtino devovetur, Auſtria ſacris interdicitur, in mandatis Antiſtiti Veronenſi datum: curaret, ut ſententia ſingulis Dominicis, feſtorúmque diebus è ſuggeſtu per totum Auſtriæ Ducatum publicaretur. Hiſce alias, ùt vulgò creditum, pœnas DEUS adjecit; eluvionibus, ab hominum memoria inauditis, Danubij, campi identidem ſtagnabant: agrorum, vinearúmque ſterilitas horrea, & Apothecas exhauſerat: incendia, quibus & Vienna flagrârat, nunc hunc, nunc illum vicum carpebant. Nemo ferè erat, qui non perinde ùt averſi ab Auſtria Numinis indicia reſpiceret. Leopoldus contrà levitatem hominum, in omen obvia quæque trahentium ridere, tanquam fortuita contemnere, injurias temporum, non pœnas, interpretari.

Leopoldi reſponſio.

Leopoldus excommunicatur.

Quin

Quin auditâ Pontificis ſententiâ excanduit impotens animi princeps, & irâ in obſides, cùm in Regem, Pontificémque minùs poſſet, efferbuit. Adjecta jurisjurandi religione minatur: ipſos Regis ſui perjurium capite luituros, niſi pactorum fidem intra breve tempus liberaret. Territi ea denunciatione obſides Balduinum de Betun obtentâ à Leopoldo veniâ in Angliam ablegant, qui, quanto in diſcrimine ſua & ſociorum vita verſaretur, Regi exponeret: ſi pactis ſtare abnueret, ſi differret, ad unum omnes ſecuri perituros. Richardus ſuorum fortunam miſeratus Arthuri Ducis ſororem pro Leopoldi filio Friderico ſponſam, tum Iſacii Comneni Cyprij filiam deducendas Betunio commiſit. Jámque ad Auſtriæ fines acceſſerant, cùm expirâſſe Leopoldum, obſides periculo defunctos nunciatur. Viſum Bethunio operam ſuam jam ſociis non neceſſariam Regi admodum gratam futuram, ſi puellas non traderet, relecto celeriter itinere in Angliam abiit.

Obſidibus mortem minatur.

Mortem porro in ſpreti anathematis pœnam ſibi eveniſſe Leopoldus ipſe agnovit, ceteri omnes credidere. Ex Auſtria, quæ adhuc funeſto Sacramentorum Juſtitio ſquallebat, ſub Decembris finem rediit, Naſcentis Domini ferias multâ pompâ Græcij acturus. Die Divo Stephano Protomartyri ſacra ludos equeſtres in vicinum campum edixit. Affluxere magnâ frequentiâ proceres equis, phaleris, armis ſuperbè inſtructi; admirationem omnium unus Leopoldus collegit, non habitu magìs, quàm vultu militari ſpectabilis. Poſt meridiem generoſo equo vectus in campum inter populi acclamationes egreditur, quibus ſe tum impensè paſcebat, ignarus quantam luctûs materiem poſt unam, alterámve horam præbiturus eſſet. Ut erat gloriæ guſtu incenſus, dexteritatis, & fortitudinis documentum edere ardebat. Decurrentibus in arena ſe miſcet: dum admiſſo equo volat, revolat, fallente veſtigio præceps in caput actus, inſuperabili impetu Ducem ſecum humi affigit. Inhorruere omnes ad caſum longè triſtiſſimum: inter confuſos clamores accurritur undique: equi moli, qua preſſus jacebat, principem ſubducunt. Corpus totum miſerè tum caſu, tum pondere jumenti quaſſatum; ſed plaga pedis multò teterrima, crus non confractum modò, ſed & in minuta fragmina contritum, quæ terebrata ſumma cute aſpectu horrida eminebant. Altera mox die nihil lenibus remediis profectum iri apparuit. Jam ſe nigri coloris indicio ſacer, quem vocant, ignis prodebat. Leopoldus, qua erat fortitudine animi, quam nunc & vitæ amor intenderat, crus malo infeſſum, & toti corpori noxium reſcindi poſtulat. Nemo erat, cui non

Ludos Græcij celebrat.

Ex equo præcipitatur.

miſeratio principis vires enervâſſet: Neceſſarium quidem, ſed crudele, & ùt dein patuit, non profuturum obſequium medici, chirurgi, familiares detrectabant; è cubiculariis demum unum accerſi æger jubet: immoto vultu Dux ipſe dolabram oſſi applicat, cetera hominem perficere mandat. Vires, ut exereret, animat: nullâ reverentiâ principis, nulla ægri miſeratione emolliretur: ſi ipſi manus ſufficerent, ſibi ſuffecturam conſtantiam nè dubitaret. Toleravit eam carnificinam, velut ad ſe dolor non pertineret. Ad tertium ictum os ferro reſtitit, donec revulſus à coxendice pes decideret.

Altera nihilominus die luculenta propinquæ mortis indicia deprehenſa. Illico, ùt ad exitum comparare ſe juſſus, rationes cum DEO componere inſtituit. Vitæ prioris errata, multa doloris ſignificatione deteſtatus: ab Epiſcopis, qui lectum circumſtabant, ut ſe Eccleſiæ conciliarent, anathemate ſolverent, flagitat. Reſponſum ab omnibus, non alia conditione, quæ peteret, conferri poſſe, niſi ſententiæ Pontificis ſtaret, Angliæ Regi, quæ juſſus fuiſſet, redderet, fidem promiſſi jurejurando firmaret. E veſtigio optimus Princeps ſe imperata facturum jurat, obſides cuſtodiâ emitti præcipit, Hæredes cetera præſtituros pollicetur. Identidem ſubinde ingeminâſſe fertur: utinam cum mea ſtipula contingeret me paſcere oves ſanctæ Crucis. Adeò nempe alia, & longé à ſe diverſa vitæ, rerum, & actorum imago apparere incipit, ſimul, ac mors ultimam lineam ductura, manum tabulæ admovit. Anathemate ſolutus, & extremis myſteriis ritè procuratus, magno pietatis ſenſu finiit Anno MCXCIV. poſtquam annos triginta ſeptem vivendo explêſſet. Media nocte inter utriusque diei confinia expirâſſe credibile. Sic enim Academicæ Bibliothecæ Viennenſis Chronologus, & ſepulchralis marmoris Epigraphe concilian-

Moritur.

tur, quorum alter II. altera III. Kalendas Januarij defunctum referunt. Auguſtæ Bibliothecæ fragmentum Chronologicum, & Necrologium Parthenonis Admontenſis teſtantur Leopoldum morti vicinum attonſis crinibus Ciſtercienſium veſte indutum, non jam Ducem, ſed monachum deceſſiſſe. Ingenioſus hic equidem non minùs, ac pius aſtus, quo obtineret, ut crimina, quæ Duci in ſupremo tribunali objicerentur, vel veſtis dilueret, & alterum ab eo, qui accuſaretur, perſuaderet: falli certè DEUS, flectíque his veri doloris artibus amat.

Monachũ induitur.

Cadaver Græcio lugubri apparatu in Cœnobium ſanctæ Crucis deportatum diebus aliquot inhumatum jacuit: moram exequiis filij cupiditas injecit. Quæ ſupremis tabulis Pater caverat,

verat, curare ad Fridericum attinebat. Procerum quorundam consilio inductus, Anglos obsides dimittere, pecuniam repræsentare abnuebat. Institere præsules: terræ Corpus mandaturos, aut persoluturos justa negant, donec ultimæ genitoris voluntati morem gessisset. Amore Patris, & reverentiâ ductus, in postulata consensit: Anglis redeundi potestatem facit, quatuor marcarum millia ad Regem deferenda consignat. At illi libertate contenti, nè se tanto ære latronum, qui vias infestas haberent, irritamento oneratos vellet, deprecantur, impetrántque, non invito fortasse admodum Friderico, quæ res tamen Leopoldo negotium olim facesset. Rebus hunc in modum compositis, cadaver tumulo Christiano ritu illatum. *Sepelitur.*

Eòdem funus fratris Henrici Medlicensis Anno MCCXXIII. pridie Kalendas Septembris vitâ functi deductum.

LEOPOLDUS II.
Glorioſus.
DUX STYRIÆ III.

NOn minùs implexa difficultatibus tempora, quàm annorum numero diuturna erant, quibus Styriam Leopoldus obtinuit; primùm ſciſſi in diverſa ſtudia Proceres, armis civilibus Germaniam binis luſtris commiſerunt. Aliàs colliſo cum Pontificibus Cæſare, feralia Guelphorum, & Gibellinorum in Italia nomina, novæ itidem cis, & trans alpes turbæ recruduere. Nunquam propemodum bello, aut propinqui belli metu vacuis eſſe Principibus licuit; cùm, ſi tantiſper ceſſatum ab armis eſſet, infida ferè, brevíque pace Germania quieſceret. Qui à Pontifice deſciſceret, impius, & caput ſacris fulminibus objiciebat; qui Cæſari reſiſteret, in perniciem fortunas dabat. Partem curarum aliam ſacrum bellum, quod tum repetitis apparatibus moliebantur, occupabat: ad hæc è vicina Hungaria Leopoldo turbæ imminebant, ut adeò non vulgare laudis argumentum ſit vel ſalvam rempublicam, capútque ex his procellis extuliſſe. Leopoldus in hanc rerum tempeſtatem, velut dignam virtute ſua arenam ingreſſus, ea prudentia, fortitudine, felicitate conſilia moderabatur, ut nec pietatis jacturam faceret, nec detrimentum ſua respublica caperet. Non infimum gratiæ locum apud Cæſarem conſtanter tenuit, quin in obſervantiam adversùs Pontificem peccaret. Pacis artibus, & ſtudio per Germaniam, belli per Ægyptum plurimùm inclaruit. Illuſtria hæc per utrumque orbem geſta populus dicturus compendio, communi acclamatione *Glorioſi* nomen attribuit.

Patrimonij diviſio.

A parentis obitu Friderico natu majori Auſtria, Leopoldo Styria obtigit: utrâque tamen Provinciâ poſt triennium ad Leopoldum devolvendâ, poſtquam Fridericus in Palæſtina obiiſſet. Urgebat eo maximè tempore, quo uterque hæreditatem adiit,

In Expeditionem ſacram ſe dat Fridericus Auſtriacus.

Cæleſtinus Pontifex expeditionem ſacram. Prona omnia Cardinali Gregorio apud Henricum Aſperum Cæſarem, Argentinæ tum commorantem, fuere; exemplo Cæſaris animati Principes Wormatiæ, quò eos Henricus in comitia evocârat, certatim miro ardore hoc bellum complexi ſunt; dedit & inter

cete-



Christ. Dietell sculpsit Græcij.

ceteros nomen Fridericus: Conrado Herbipolenſium antiſtiti commiſſum, naves ut in Sicilia trajiciendis copiis appararet, & ſolverant continuò, niſi inſolens annonæ eo anno penuria moram injeciſſet. Anno altero etſi nihilo ferè melior eſſet Germaniæ conditio, ſpreto potiùs, quàm emendato ſterilitatis malo, vela faciunt. Læta belli initia, inuſitata militum promptitudo haud dubiam felicis exitûs ſpem fecerant. Sidon, Berythus, aliáque munita loca, diffugientibus metu barbaris, impetu capta. Ad Coruthum fortuna adhæſit. Ejus urbis obſidioni intentis nunciatur, Meſſanæ IV. Kalend. Octobr. Henricum Cæſarem vivis exceſſiſſe. Plerique turbas, quæ dein Germaniam involverunt, animo præcipiebant, curáque inceſſerat, nè alibi regna quærentibus, domeſtica periclitarentur, & ſpe dubiorum certa amitterent: conclamantur vaſa, ſolutáque Coruthi obſidione ad Tyrum in hiberna conceditur, donec appetente vere magno rei Chriſtianæ damno, majore opprobrio in Europam navigarent. Flagitioſas irritæ expeditionis cauſas alij afferunt: Conradum Herbipolenſem Cæſaris Cancellarium, aliósque Principes pacem auro barbaris vendidiſſe, quaſi non pro religionibus, ſed opibus depugnaturi veniſſent; Henricum etiam Hieroſolymitanum ſuſpicionibus agitatum, quòd regno ſuo Europæi imminerent, ſocietatem cum barbaris adversùs eos iniiſſe. Nè verò omnino res Chriſtiana deſtituta videretur, Fridericus Auſtriacus, Moguntinus, & Verdenſis Epiſcopi cum parte copiarum (ſed quantum iſtud adversùs vires barbarorum præſidium?) aliquantum reſtitere. Fridericus eâ morâ conſecutus eſt, ut pulchro operi immoriens, à fugæ labe immunis, in hoſtico more propemodum Victoris exſpiraret. Decima ſexta ante Kalendas Majas illi dies ſuprema fuit. *Moritur.*

Auſtria cedit Leopoldo.

Defuncto Friderico ad cernendam fratris hæreditatem continuò LEOPOLDUS ſe contulit, ſimul Richardus Anglus haud dubiè Fridericum ſacro bello occupatum interpellare ad eum diem non auſus, veterem cauſam ſuſcitat: de injuria à parente illata expoſtulans, argentum, quo lytri nomine ſe emunctum iniquiſſimè ferebat, repræſentatum nondum ex integro conqueritur. Cauſam illius ardenter complexus Pontifex Innocentius literis LEOPOLDUM in hunc modum amicè primùm officij commonet: Juramenti, quo ſe morituro jamjam Patri obſtrinxerat, fidem liberaret, pecunias, quemadmodum ultima voluntate genitor juſſerat, reſtitueret; tum ſignificat, ſi parere tergiverſaretur, Adalberto Salisburgenſi Antiſtiti in mandatis abs ſe datum, ut ceſſantem anathemate feriret, & Provinciæ ſacris interdiceret; ſed intra minas duntaxat ea tum fulmina ſtetere, an, quòd LEO- *Richardus Anglus lytrum repetit.*

poldus Imperata feciſſet? an, quòd Anglus poſtulatis ſpontè deſiſteret? an quòd verius mors urgere prohibuit? quam anno ſequente ſagittâ ictus in obſidione arcis Chaluſiæ obiit.

Belli Hungarici Origo.

A forenſi hac lite in campum Leopoldus evocatur. Belli cauſa fratrum in Hungaria diſcordiæ. Bela Tertius, nè diviſis in duos opibus regni vires attenuaret, totum natu majori Emerico tranſcripſit. Sed nempe hac ratione potentiæ adversùs exteros, non item paci adversùm arma civilia conſultum ibat. Andreæ ſecundo loco genito prædia, & arces non paucæ aſſignatæ, ambitionis, & luxûs irritamentum potiùs, quàm ſolatium; ſeponendam præterea illi vim argenti magnam parens in peregrinationem Hieroſolymitanam curârat, quam voti pro patre à morte præpedito reus obiret. Donec in luxum, ceterásque juventæ illecebras facultates ſuperarent, non ægrè Emerico Regium honorem permiſit, voluptatum guſtu ambitionem premente: at cùm iis decoctis res domi anguſtior eſſe cœpiſſet, injuſtum palàm querebatur, ſe infauſti naſcendi ordinis duntaxat reum ſceptro multari. Adjunxere pars procerum ad præcipitem juvenis ambitionem ſtudia. His demum aſpirantibus gliſcentes igniculi in luculentam flammam erupere, qua Styria, Auſtriáque ſubinde afflata. Andream fruſtra arma ponere juſſum Hungariâ Emericus ejecerat: ad Leopoldum ille ſe recipit, aſylum primùm, tum & afflictæ fortunæ ſubſidium orat; calamitas exulis mitiſſimo Principi Leopoldo facilè miſerationem extorſit, ut opem celeriùs expediret. Inconſultus Emerici impetus iram inſuper provocavit; is vindictæ æſtu abreptus, ubi fratrem in Leopoldi ditionem elapſum intelligit, in Auſtriam hoſtilibus ſignis graſſatur. Indignatus vehementer Leopoldus omiſſâ ullius injuriæ expoſtulatione bellum ſibi incendiis, & cædibus indici, collectis, qua maxima poteſt celeritate, copiis Andream in Hungariam deducit, gloria tamen majore, quàm fructu, quem incautus Andreæ ardor, & nimia è primo ſucceſſu fiducia corrupit; nam cùm acie victus Emericus in fugam compulſus eſſet, cautior redditus dein Germanos, quorum virtutem nuper expertus, in exercitum adlegit, fratrémque haud multò pòſt iterum pugnam offerentem magna clade profligat. Ad hoc fortè tempus pertinet, quod narrat Fuggerus: à Leopoldo ad fluvium Leytham ad arcendas Hungarorum irruptiones civitatem conditam, quæ, quòd ſæpiùs exuſta, & toties inſtaurata, Nova Civitas dicta ſit. Haud procul inde & Emericum Hungariæ Regem civitatis cujuspiam fundamenta jeciſſe; inter ambos principes ſubinde hac conditione conventum, ei, qui opus citiùs abſolviſſet, alter cederet. Leopoldi celeritate præ-

Andreas Regis frater ad Leopoldum fugit.

Reducitur in Hungariam.

Nova Civitas condita.

præventum Ungarum cœpto denique deſtitiſſe. Andreas quidem tum ſpe dividendi regni evolutus, voti à morte Emerici damnatus eſt. Leopoldus operâ Conradi Moguntini è bello ſine damno exiit, qui è Palæſtina nuper redux pacem inter ducem, & regem anno ſeculi duodecimi ultimo denique confecit non ultra quinque annos duraturam, niſi inopina Ladislai mors, utrique belli conſilia tum ſuperflua excuſſiſſet.

Nam cùm moriens Emericus Andream fratrem, adhuc in vinculis detentum, Ladislai filij impuberis haud ita pridem coronati, tutorem nominâſſet, is veteri ambitione æſtuans, quam carceris ignominia, & vindictæ cupido ampliùs accenderat, regnum ſibi ſtabilire aggreditur. Regina vidua Conſtantia de vita, quàm regno ſervando ſolicita magis præproperâ fugâ Viennam abiit. Obtinuerat Andreas, quod optabat, ſi illa ſecum penès immenſas opes coronam, aut filium non abſtuliſſet, aut in alterius, quàm Leopoldi tutelam ſe dediſſet; at niſi illâ impoſitâ inauguraretur, pro ea, quæ Hungarorum animis inſita eſt religio, vana erat Regis authoritas; ſi Ladislaus viveret, dubia ſemper, & nutantia procerum ſtudia, quorum permulti inſuper Reginam fugientem aſſectati; Auſtrium non minùs validum nunc hoſtem, ac nuper ſocium expertus fuiſſet, haud immeritò prævidebat: & revera Leopoldus exules tuendos ſuſcepe-rat, jámque copias ad fines Auſtriæ oſtentabat, quò & ſuas Andreas adduxerat; ſtabat uterque exercitus manus propediem conſerturus, cùm mors unius à multorum cervicibus cædem avertit; poſtquam enim Ladislaus brevi morbo Viennæ extinctus patruo regnum, quod perfidè hucusque uſurpârat, jure adeundum reliquit, diſceſſum utrinque ab armis eſt; cùm Andreas dudum Leopoldum ſocium, quàm hoſtem maluiſſet: hic belli, quod æquitatis, non ambitionis ſtudio cœperat, cauſam amiſiſſet illo, cui vinceret, ſublato. Reginam Dux honorifico comitatu ſtipatam in Arragoniam ad Petrum fratrem deduci curavit. Sèd unà multùm Leopoldi intererat hoc latere hoſtem ſubmoviſſe, quo expeditior ad faciendum in Germania bellum fieret. Unde deinceps non niſi per intervalla ſe in Styriam referet alternis pacificationum, & belli negotiis alibi diſtinendus.

Regina Vidua cum filio Ladislao ad Leopoldum ſe recipit.

Ladislaus moritur Viennæ.

Motuum inteſtinorum cauſæ bini Reges ſuorum quisque Electorum primùm ſuffragiis, dein auxiliis fulti fuere. Turbatum iri in Germania à morte ſua Henricus haud vanus augur prævideratnè quid igitur curæ in ſe deſiderari pateretur, quò mali ſemina priùs, ac germinarent, præfocarentur, filium ſuum Fridericum, etſi adhuc infantem Ratisbonæ Regem dici impetravit. Optima Henrici conſilia frater Philippus Suevorum dux

Turbæ in Germania.

evertit; intellecta Cæsaris morte ex Italia, quò Fridericum nepotem ad recipienda imperij insignia adduxerat, in Germaniam revolat, atque inter candidatos nomen profeſſus non admodum ægrè in ſententiam ſuam quosdam de electoribus pertrahit, qui in Friderici pueritia parùm præſidij habituram rempublicam verebantur. Contrà iniquè ferebant Adolphus Colonienſis, & Joannes Trevirenſis Philippi molitionibus ſua conſilia deluſa, Bertholdum Ducem Zaringium, quem in purpuram deſtinârat, immenſis pollicitationibus ab ambitu deductum. Igitur poſtquam Suevus Erfordiæ Rex ſalutatus eſſet, ſeceſſione facta, Brunſwicenſi Dynaſtæ Ottoni Henrici Leonis filio imperium addicunt. Philippum pars alia, quæ ille ſecum detulerat, inſignibus Wormatiæ Nonis Aprilis ornant; pars altera Ottonem IV. Nonas Julij in Caroli magni ſolio collocat, Adolpho Agrippinate novum Regem ungente: aut, quod verius, utrumque eâdem operâ in civile bellum, & patriæ ruinam autorârunt.

Philippus Imperator.

Itidem Otto.

Utriusque aſſeclæ.

Peractis ceremoniis, uterque arma expedire, principes in fœdera ſolicitare, Philippi caſtra Bohemus, Saxo, Bavarus: Ottonis Henricus frater, Palatinus, aliíque ad Rhenum principes ſequebantur, prout quemque ſpes ſua, aut utilitas rapiebat, ad fortunæ arbitrium partes ſubinde mutaturi. His exterorum auxilia acceſsere, Suevi cauſam Philippus Gallus, Brunſwicenſis, avunculus Richardus Anglus armis & opibus ſuſtentabant. Æquatis propemodum viribus æmuli in arenam deſcenderant, ſed melior initio fortuna Philippum reſpiciebat. Argentina feliciter in fidem adacta urbis præſulem, atque ejus exemplo invitatum Colonienſem ſibi adjunxerat. Ottonis res inſuper graviter mors Richardi afflixit, Joanne fratre ejus ſucceſſore haud perinde in bellum animato. Philippi contrà rebus infelix Brunswici obſidio accidit. Mitigati utcunque animi mutuis cladibus cædebantur, nec ſegniter in pacem procurandam procerum quique optimi incubuerunt, Conradus cumprimis Moguntinus ab ſacra expeditione redux toto animo eam curam complectebatur, ſed æmulorum neutro aut parem, aut ſuperiorem paſſuro irritos conatus intelligens, feliciùs operam, ùt ſuprà diximus, in Hungaria locavit. Innocentius Tertius Pontifex aliam initio ingreſſus viam poſtulabat repetitis comitiis, alterutri omnes ſceptrum deferrent, aut rivales ſedis Apoſtolicæ arbitrio ſe permitterent. Cùm nihil, quæ poſtulârat, impetrâſſet, ab Ottone pronunciat: Philippum etſi pluribus ſuffragiis, vitio tamen creatum pro poteſtate edicit; ſententiæ cauſa fuere: Philippum inſuper habito juramento, quo operam ſuam Friderico nepoti addixerat, Tyranni more in ſolium evaſiſſe, à Pontificis poſſeſſio-

Varia utriusque fortuna.

Fruſtra pacem tentat Conradus Moguntinus. Et Pontifex.

Qui favet Ottoni.

nibus

nibus dominandi libidinem non abstinuisse; hominem denique, qualis Philippus esset, diris à Cælestino Tertio devotum expiari priùs, tum demum eligi opportuisse. Ottoni proinde, etsi paucioribus non tamen irritis suffragiis dignitatem collatam.

Illud potissimùm animum pontificis conciliârat, quòd è Guelphica gente originem traheret, cujus in Ecclesiam merita recenti memoria obversabantur. Sparguntur per Germaniam Legatorum Pontificis operâ literæ, solicitantur ad defectionem principes, populus Sacramento, quod Philippo dixerat, solutus esse jubetur. Sub hæc mandata, cùm nihil iis profici appareret, Guido Cardinalis Prænestinus Episcopus Coloniam jussu Innocentij defertur, ultimam negotio manum impositurus. Contrà, quàm sperabatur evenit; haud dubiè ultra mandata rigidus Philippum primùm, tum socios Ecclesiæ communione proscripserat. Intempestiva severitate nil aliud effectum, quàm ut proceres non tam fulmine territi, quàm exulcerati magis Philippo adstringerentur. Serò nimiùm Guido intellexit, principum quidem urbes: haud unquam, aut ægrè admodum animos ad deditionem vi impelli. Adeò nempe excelsæ menti, cùm volenti possis plurima, vix aliquid invitæ extorseris. Leopoldus noster inter primos in partes Philippi se dederat, eásque consilio, & authoritate, qua inter principes pollebat, non mediocriter provexit; in Norimbergensibus fœderatorum comitiis primùm egregiam illi operam navavit, revocatus subinde ad tuendam adversùs Emericum Hungarum Austriam se Viennam retulit. Patrato bello acceptóque militari cingulo, quo eum adstantibus ad augendam pompam Conrado Moguntino, & Eberhardo Salisburgensi, sacro Pentecostes die V. Kalend. Junij Wolfgerus Passaviensis ornârat, simul ac pax constitit, ad Philippum profectus, Guidonis sententiæ cum aliis principibus interceſſit. Pontifex ubi datam ab iis epistolam acribus querelis refertam, & procerum numerum bene longum, qui nomina subscripsere, vidisset, delusum enimvero se satis Guidonis literis intelligebat affirmare nuper ausi, Principes raros admodum à Philippo stare, Ottoni plerosque adhærere. Nihil tamen inde Innocentius in Philippum pronior, sive quòd eò se jam progressum videret, unde pedem referre parùm decorum credebat, sive quòd alij spem injecerint, si fortiter cœptis insisteret, haud dubiè Philippi causam destituturos. Valuit tamen ea Principum querela, ut sententiam legali apologiâ editâ, quæ juri Pontificio inserta legitur, tuendam putaret. Leopoldo constantis fidei præmium fuere collata MCCII. à Philippo utriusque Provinciæ solenni ritu insignia.

Philippus excommunicatur.

Leopoldus adhæret Philippo.

Accingitur gladio.

Tuetur Philipp.

Otto vincit Philippum.

Etsi verò Pontificis sententia nihil Philippi potentiam afflixit, aliunde tamen vires hiare cœperunt, Premeslij Ottocari Bohemi, & Hermanni Thuringi defectione. Ad hæc Ludovicus Bavarus bello cum Conrado Ratisbonensi, & Eberhardo Salisburgensi implicitus militem domi sat occupatum tenebat. Oblatâ divinitus fortunâ, & ardentibus adhuc recenti offensa animis usus egregiè Otto in æmulum continuò movet; Erfordiam, cui se incluserat, cingit, eóque clàm fugâ elapso, omissâ urbe, Marchionum, ad quos se receperat, terras ferro & igne evertit. Debellatum erat, nisi jam debellatum esse putâsset; dum uti victoriâ negligit, dum missitandis victoriæ nuntiis, morosis consiliis tempus terit, otium æmuli in commoda sua Philippus vertit. Accepto Victoriæ, quam in immensum auxerat, nuncio, Innocentius Leopoldum, aliósque Principes literis hortatur; ejus tandem partibus accederent, quas luculento judicio DEI probari viderent; adeò eæ surdis auribus ab universis auditæ, ut non multo pòst Henricus Palatinus, & Hermannus Thuringus obsequium jurarent, illum quidem amittendæ Palatini dignitatis metus, & negatum Brunswicium à fratre Ottone alienavit: hunc post devictum Ottocarum necessitas impulit. Adolphus Colonienſis, & Dux Brabantiæ auro empti in fœdus concessere, secuturo Ottocaro. Ab his, repetitis suffragiis, Rex Germaniæ Aquisgrani dicitur sacros ritus obeunte Adolpho, insuper habito, quod Siffridus Moguntinus, & Cameracensis Episcopi Coloniæ minabantur, anathemate.

Deseritur à multis principibus.

Colonia obsidetur.

Ea urbs nequicquam Præsulis exemplo incitata, in fide Ottonis manserat, à Brunone haud dubiè, qui Adolpho, simul ac Ottonem deseruit, exautorato successit, confirmata. Ostentata è propinquo vi pertinaciam urbi excussum iri spes erat. In ejus itaque conspectum exercitum Philippus adducit, ad obsidendæ urbis famam, aut literis, quod credibile, evocatus illico & Leopoldus militem, quem pro Ladislao sub signa recens coëgerat, & bello sinè cæde defuncto integrum servârat, properato itinere secum rapit, atque si Admontensi ejus ævi Chronologo fides, Majestate oris, splendore apparatûs, copiarum flore ceteros Principes multùm anteibat. Tentata non multis diebus oppugnatione patuit, opus haudquaquam brevis moræ, utì persuasum Cæsar habebat, susceptum; civium animis non minùs obfirmatis ac muris, alieno insuper tempore cœpta obsidio (serus September erat,) si insisteretur incertæ victoriæ, certis Brumæ injuriis miles absumendus objiciebatur. Differendam in commodius tempus Coloniam, plerique censebant; in campo certiùs, quàm ad muros expugnandam; Ottonis, cujus viribus

Leopoldus ad exercitum venit.

ribus adhuc sustentarentur, clade elidendos præferoces civium spiritus, ad obsequium sponte redituros. Consilium eventus probavit: dato receptui signo, nè Autumnus nihil agentibus elaberetur, Nussiæ oppido non æquè munito circumfusæ copiæ repetita verberatione facilè deditionem imperârunt. Inde in hiberna abductus miles haud pariter magìs operæ pretium anno sequente facturus. Redux abierat ex Anglia Otto à Joanne pecuniâ, & milite instructus, Coloniæ se ampliùs communiverat. At intellecto, in vicinum agrum exercitum Philippi tendere, hostem investigaturus copias educit; nec pugnam detrectavit Philippus, simulato tantisper metu fugam mentitus recedit, donec sese Otto in paratas insidias indueret: in loca palustria delatum, coorti à fronte, à latere legionarij invadunt, cæso strenuissimo quoque, in fugam cæteri effunduntur. Otto tribus duntaxat sociis stipatus è Castro Bassenbergico, in quod se abdidit, ægrè elapsus; Brunoni Colonienſi Antistiti ibidem deprehenso vincula injecta. Magnum ad has victorias momentum attulisse LEOPOLDUM dubitare laudatus suprà Chronologus non sinit, sed rem Stylo ævi illius complexus sat dixisse se putabat: Illum fortibus factis singularem in exercitu famam comparâsse. Concidêre ad hanc cladem Colonienses animis, Philippum Regem Bopardiæ adeunt, veniam Ducis Brabantini operâ impetrant; Moguntiam LEOPOLDUS in fidem adegit.

Moguntiam capit.

Secessione sociorum & clade fractus in pacem pronior Otto videbatur; à Philippo in colloquium prope Coloniam invitatus annuisse creditur, purpuram positurum Spopondisse, si filia Philippi in uxorem collocata Ducatum Sueviæ pro dote afferret; avunculo Anglo modò pacta probarentur, quem dum conveniret, moram postulabat. Unus adhuc Innocentius irritis ante quadriennium precibus appellatus, expugnandus restabat. Eum in finem sub initium Anni MCCVII. oratores Romam expediuntur, adjectis mandatis, quibusvis demum conditionibus animum Papæ flecterent. Wolfgero Aquilejenſi inter oratores Principi LEOPOLDUS commendârat eâdem operâ apud summum Pontificem efficeret, suus ut posthac Episcopus Viennæ esset. Causæ postulati allatæ; ampliores diœceſis Patavienſis fines, in eam unius pastoris curas haud sufficere, Wolfgerum Patavienſem nuper Antistitem id probè cognovisse, eadem consilia animo agitâsse, non passurum profectò & ipsum fuisse Diœcesim suam imminui, nisi divinæ gloriæ rationes sic ferrent. Prava dogmata vulgari per Austriam cœpta, inde incrementa potissimùm sumpsisse videri, quòd ignorata initio, nullo obturbante adoleverint; suffocari in herba potuisse, si præsens Episcopus aderat,

Episcopū Viennæ dari à Papa postulat.

cui per se inspicere, gregi invigilare, non diviso in tam vastas regiones animo licuisset. Ignorare illum multa necesse esse, ad cujus conscientiam multa pertineant. Favit postulatis Pontifex: à Manegoldo, Pontifici non modò quid videretur, exquirit, sed & nè obsisteret literis XVIII. Kalend. Maij in Laterano datis hortatur; altero iterum anno Anagniæ II. Kalend. Junij scribens Cardinalibus in Germania legatis negotium, ut cognoscerent, imperat; verùm Manegoldus sibi quidquam decerpi non ferens, Romam profectus Leopoldi consilia ad tempus discussit, dum Fridericus Pacificus illa resumeret.

Non impetrat.

Sed spe sedandæ Germaniæ immensum lætatus Innocentius illico Hugonem Ostiensem Episcopum, & Leonem S. Crucis Cardinales destinat; in Germaniam delati pluribus conventibus ægrè unius anni inducias exsculpunt, Ottone úsque adeo obstinato, ut, etsi ad incitas ferè redactus, regnum tamen sinè vita se positurum negaret. Pacem demum Ottonis de Wittelspach Palatini sica Anno Seculi XIII. XI. Kalend. quintiles confecit. Cùm finiendis propediem induciis in Brunswicensis ditionem bellum inferre Philippus pararet; huic Otto infensus, quòd desponsatam sibi filiam obtento sanguinis nexu denegâsset, impetu in cubile cum conjuratis facto, meridiantem Bambergæ obtruncat. Nullo jam obsistente via Ottoni Brunswicensi in imperium patuit, Proceribus certatim ad eum confluentibus, Francofurti III. Idus Novembris Augustus salutatur. Non tamen derant, qui Fridericum Siculum clàm respiciebant. Leopoldus, in quam partem se daret, incertus animi Papam consulendum putabat. Multa amoris, & benevolentiæ significatione Nonis Decembribus respondens Innocentius vehementer Principem, ad Ottonem ut se adjungeret, hortatur. Aquievit Leopoldus consiliis; mox se Ottoni in comitiis stitit, quæ celebritate maxima Herbipoli agebantur. Negotiorum summa de pace in Germania per nuptias cum Beatrice Philippi cæsi filia stabilienda. Aderant iidem, qui nuper, Legati Pontificij, sublato cognati sanguinis impedimento sponsalia firmare jussi. Primas in eo conventu partes Leopoldum facundum juxta, ac literis egregiè excultum, sustinuisse Arnoldus Lubecensis refert, illíque Pontificis literas Regi prælegere demandatum, tum socio Ludovico Bavaro Beatricem ad Ottonem in conventum adduxisse, sponsoris munus obiisse.

Concordia frustra tentata.

Philippus occiditur.

Leopoldus suadente Papa Ottoni accedit.

Soluto conventu in Styriam Leopoldus, in Latium Otto tendit, felicitatem, quam alieno in Germania scelere obtinuit, suo in Italia amissurus: non expectato ejus diei, quo coronam Innocentius imposuit, vespere, litem Pontifici movet, ac oppi-

In Styriam redit.

da

da contrà quàm Sacramento dicto receperat, redditurum se negat, injurias à Romanis militi suo illatas causatus, quin veteribus spoliis nova adjicit. Pontifex ad solita arma conversus sacrum fulmen in Ottonem expedit, coronâ indignum pronunciat, Moguntino Antistiti Siffrido Apostolicæ sedis Legato imperat, ab Ottone Principes abstraheret, in Fridericum Siculum, Henrici Asperi filium dignitatem Imperij transferri curaret. Innocentij sententiam amplexi Rex Bohemiæ, Dux Austriæ, Styriæque Leopoldus, Dux Bavariæ, Landgravius Thuringiæ, aliíque permulti; missis in Italiam duûmviris Hainrico de Niffen, & Anselmo de Justingen, qui ordinum vota exponerent. In Germaniam invitatus Fridericus compositis domi negotiis relicta conjuge, & recens nato filio Henrico in Rhætiam Gurienſem advolat, Ottone, qui tum in Thuringia bellum gerebat, accurrere quidem, non tamen æmulum lacessere auso, quem viribus præter opinionem superiorem deprehenderat. Tutus ab hoste Fridericus Moguntiam progreditur, inde Francofurtum delatus VIII. Idus Decembris Anno XII. in Electorum consessu Augustus renunciatus Comitia altera in mensem Februarium anni sequentis Ratisbonam indicit. Adfuisse iis Leopoldum diplomata bina persuadent, quibus nomen ejus subscriptum legitur, alterum XV. Kalendas Martij datum, quo Berchtesgadensis cœnobij jura rata Fridericus habuit; alterum apud Egram, IV. Idus Julij, quo Innocentio Pontifici supremum in terras ad eum diem possessas jus asseruit, & armis, si opus esset, se tuiturum spopondit; advenisse Leopoldum accinctum exercitu literis, quibus Zwetalenses munierat, ad Everdingam exaratis ipse testatur. Expeditioni alterius anni, quam in Ottonem, immani clade à Philippo Francorum Rege ad Bovinas VI. Kalendas Augusti fractum, Fridericus susceperat, operam contulisse, diploma itidem ad Juliacum in castris II. Nonas Septembres Teutonico Ordini collatum affirmat, cujus ad finem Leopoldus Legitur.

Otto deponitur, Fridericus subrogatur.

Coronatur.

Desperatis rebus Otto quatuor, qui supererant, annos privatâ vitâ exacturus in Brunswicensem Dynastiam secesserat, Imperij insignibus unà ablatis. Fridericus de gemmis parùm solicitus splendidum magis, quàm solidum exilij solatium facilè Ottoni permisit, ùt cui corona Procerum præ diademate potestatem asseruit. Molesto æmulo liber Aquisgranum Anno XV. tetendit, iisque, quibus tum potuit, ceremoniis à Moguntino inauguratus sese bellum in Palæstina facturum juramento spopondit, crucémque recepit. In idem bellum totum ferè, quod frequentissimum aderat, procerum agmen se devovit.

Otto se recipit.

Leopoldus in bellum ſacrum autoratur.

Leopoldo ea mens jam annis abhinc ſeptem injecta, poſtquam Leopoldum filium ſuſcepiſſet, ſimul de ſuo propoſito Innocentium edocuit. Collaudato is Principis ardore datis VI. Kalendas Maij ad Lateranum literis, Nicolao Seizenſi Carthuſiæ Præfecto demandat, Leopoldum conſuetâ teſſerâ in ſacrum bellum autoraret. Multâ pompâ res Clauſtro-Neoburgi acta, nec Leopoldo duntaxat, ſed etiam inter adſtantes Auſtriæ, Styriæque nobiles cruces diſtributæ. Ut nemo Leopoldo ardentiùs in id bellum rapiebatur, ità haud alter impatientiùs ferebat, moras alias ex aliis injici, ut nunc tempus ſibi lætiſſimum affulgere diceret, quo Principes tandem à votis ad arma tranſituros propinquior ſpes eſſet. Et verò fervebant undique in eam expeditionem apparatus. Cæſaris nomen inter milites profeſſi exemplum innumeros trahebat. Miſſi ab Innocentio præcones omnes Europæ urbes percurſabant, iras in Saracenos, in arma animos acuebant, nunquam auditi, quin è copioſa, quæ affluxerat, concione plerique ſignari peterent. In Concilio ad Lateranum eodem anno celebrato ſtatutum, cruce ſignati mari iter facturi ad anni ſequentis Kalendas Junias Brunduſij, & Meſſanæ adeſſent.

Ad comitia proficiſcitur.

Legationem in Germania obire juſſus Petrus S. Pudentianæ Cardinalis, Principes Anno XVI. Norimbergæ, Menſe Majo, convenit, nervoſa oratione ad accelerandum iter Imperij ordines hortatus: etſi verò Principum, qui Norimbergæ conſederant, nomina non recenſeantur, adfuiſſe Leopoldum argumento eſt, quòd nemo præ illo vehementiùs ſacram profectionem urgeret. Per Patavium iter feciſſe munificæ literæ, quibus ejus loci Canonicis ibidem conceſſerat, nè, quæ ad vitæ eorum uſum pertinerent, vectigalibus poſthac obnoxia eſſent, teſtantur. Hinc Cæſarem comitatus Herbipolim, inde reverſus Norimbergam ad Imperij ſenatum. Valere juſſis Proceribus in iter ſe Anno XVII. dedit. Poſtquam Andream ſacri belli Imperatorem jam exercitu accinctum ſtare accepiſſet, Auſtriæ, Styriæque nobilium manum non exiguam ſecum adduxiſſe extra dubium eſt, in nomina tamen eorum adhuc penetrare non licuit; Udalrici Dynaſtæ Stubenbergici chartæ Seccovienſes meminere.

In Orientem abit.

Eodem tempore Belgæ in Luſitaniam trajecerunt, inde in Orientem, ſed ſeriùs ceteris, navigaturi. Confecto ſexdecim dierum maritimo itinere Cyprum Leopoldus tenuit; ubi de belli ratione naſcentis DEIparæ feſto à Ducibus deliberatum: ex mente Leopoldi decretum, litora Syriæ firmanda præſidiis; Sultani Babylonici potentiam, cui Civitas Sancta parebat, domi accidendam, belli vim omnem in Ægyptum vertendam. Inde potiſ-

potiſſimæ barbaris vires, inde annonam peti. Hac ſubacta in certum ictum Hieroſolymas patere, aut in deditionem ſponte venturam. Expectandum tamen cenſuerunt, donec Belgarum acceſſione copiæ firmarentur. His conſenſu omnium ſtatutis in Syriam vela vertunt, proſpera navigatione uſi, exſcenſionem ad Ptolemaidem faciunt. Aliquot hìc dies tum luſtrandis copiis, & neceſſariæ quieti, tum impetrando cæleſti auxilio dati. Pridie Nonas Novembris ſanctiſſimæ Crucis ſignum Patriarcha Hieroſolymitanus Ptolemaide attulit; venienti nudatis pedibus extra caſtra occurrêre Andreas Rex Hungariæ, & LEOPOLDUS, illúdque oſculo venerati intra munimenta præſulem honorificè deducunt. Secuta acclamatio militum, elata voce, & concuſſis ferociter armis vitam, ſanguinem devoventium: malum, vindictam, hoſtibus denunciantium; nè is ardor morâ torpeſceret, inſtructa celeriter acie in hoſtem movent.

Ad Ptolemaidem appellitur.

Corradinus Sapphadini filius barbara oſtentatione crebrò nuper inſultârat, nec à convitiis abſtinens ad pugnam provocavit, nunc ſe vicino ad Bethſaidam campo munitis caſtris continuerat; altero die in ejus conſpectum trium Regum Hieroſolymæ, Cyri, & Hungariæ Signa prælata, quam diximus, Crucis parte ſe dedêre. Barbarus non expectata aggreſſione in tutiora dilapſus, caſtra, totámque regionem victoribus ſinè pugna reliquit; pro fortitudinis gloria, quam fuga hoſtis præceperat, dives præda, & ingens captivorum multitudo fuit. Sed, quo magìs gaudebant, lætum ſecuturæ expeditionis omen, ſi fidem Sacramento Fridericus ſervare nôrit, aſportârunt. Bethſaidâ iter ad Jordanem fluvium dirigunt vires cum barbaris, ſi ſors ferret, experturi. Nullo hoſtium apparente, triduum in ſtativis ad ripas exigunt, ablutísque pietatis causâ corporibus explicato ſecundùm Galilæi maris litus agmine tertiis caſtris Ptolemaidem tenuerant. Illectum nupernæ prædæ guſtu militem brevì ſterilis otij tædium cepit, importunis vocibus Duces, ut in campum educerent, ſolicitat, nec illi magnopere abhorrebant, cùm ex hoſtis terrore lucri aliquid eliciendum putarent. Etſi cæli clementia, quæ adhuc favebat, inclinato in hiemem anno haud duratura ſperari poſſet; non exiguum compendium videbatur, ſi mons Thabor in poteſtatem veniret, unde perpetuis excurſionibus infeſtam regionem Barbari habuerunt.

Corradinum perſequitur.

Veteres Itabyrij, quod olim à Veſpaſiano expugnatum, ruinas in præſentem uſum Corradinus aptârat, excitatóque caſtro duo præſidiariorum millia injecit. III. Nonas Decembris ad pedem montis conſtitere. Mox ut in conſpectum arx venit, alia quàm animo efformârunt, apparuit: loci ſitus ipsâ naturâ munitus,

Caſtrum fruſtra oppugnatū.

nitus, muri prælti firmíque, interjectæ per intervalla ſeptuaginta ſeptem turres, milite & omni defenſionis apparatu refertæ, nihilo tamen minùs Chriſtiani per prærupta eniti, pro vexillo Crucis ſignum Epiſcoporum unus præferebat. Pro claſſico alij ſacra Carmina concinuerunt. Barbaros in ſubeuntes egreſſos primo impetu fundunt, fugántque. Ad muros turrésque conatus adhæſit; nec arietes, nec catapultorum quantum ſatìs in promptu habebant; ad hæc terra gelu conſtricta, quam coorti Aquilones intenderant, molientibus inſuperabile negotium faceſſebat. Re proinde infecta in hiberna concedere oportuit. Nec tamen nullus ejus expeditionis fructus extitit, nam Barbari terrore perculſi ſuos ipſi muros non multò pòſt everterunt, ſtativis in remotiora loca translatis.

Belgæ ſe jungunt. Interea Guilielmus Hollandiæ Comes Belgarum auxilia adduxerat; moram illis Luſitani, apud quos hiemem egerant, injecerunt; jamjam diſceſſuros ſupplices circumſtant; operam ſuam ad ejiciendos è Luſitania Mauros conferrent; non minùs utile ac glorioſum obſequium ſacris Chriſtianis præſtituros, ſi quam in Africa perdere decreviſſent, in Europa vincere gentem inciperent; dilata idcirco in Annum XVIII. profectione egregiam ſanè hoſpitij gratiam reddidere; patrato bello ejectísque mauris è Luſitaniæ portu ſolverunt, magnum continuo in Oriente ad victorias momentum allaturi.

Damiatæ ſitus. Damiata in nobile expeditionis rudimentum, ſuadente urgentéque, ùt Chronicon Auſtrale refert, LEOPOLDO delecta. Inter principes Ægypti urbes, & firmiſſima clauſtra Damiata habetur; an illa vetus Peluſium? non perinde certum, cùm iſtud non pauci ad extimum, orientem versùs, Nili oſtium collocent, iſta ſecundo ſeu Tanitico intra regionem Delta dictam aſſideat, à mediterraneo non uno milliari remota. Ingens Civitas longitudine, quàm latitudine amplior, opibus potens, & ſitûs opportunitate prævalida. Nilo ferè, quanta eſt, circumfuſo vallatur, nam quà in longum porrigitur, amnis decurrit, quà latera in latum panduntur, in foſſas admiſſus muros alluit, geminâ ipſe mœnium loricâ tutus; reliquam urbis partem triplex murorum ambitus claudit. Regio circum in multam planitiem diffunditur, hortis ſylvulísque à Nilo irriguis ad voluptatem diſtincta; fluvij alveum, quà in mare præcipitat, è cocto latere turris defendebat, è qua catena ferrea trans fluvium extenſa, in muros urbis ex oppoſita ripa immittebatur, unde navigia portu arcerentur; hac in poteſtate hoſtium relicta, propius urbem ſuccedendi facultas obſidentibus nulla.

Ergo

Ergo è triremibus, quæ validiores viſæ, in fluvium ad turrim aguntur, promptiſſimo quoque Militum injecto, ſcalæ è malis ſuſpenſæ, per quas eniterentur alij, dum alij intra pluteos reconditi defenſores ſtatione ſubmoverent; quin è voto oppugnatio cederet, non militibus animi, ſed cura machinatori, ſi Godefrido Colonienſi fides, defuit. Dum incredibili mortis contemptu ſcalas ſubeunt, dum victoriam propè manibus tenent, jámque Auſtriacus ſignifer inter primos in turrim emicans depacto vexillo Victoriam inclamaret, ſimul funes, qui ſuſpenſum è malo pontem ſuſtentarent, ſimul impar ponderi malus rumpitur, militum alios in carinam, in fluvium alios effundit. Idem caſus Hoſpitalis equitum ſcalam, idem LEOPOLDI afflixit. Nihil ea ſtrages ad ſociorum animos pertinuit, non illi ſegniùs agere, in iterata pericula primum quisque locum depoſcere. LEOPOLDUS ante alios militem hortari: ſociorum cladem ulciſcerentur, hoſtem ſibi blandiri de Victoria nè diu ſuſtinerent, quam non fortitudine, ſed flagitiosâ machinatoris incuriâ obtinuiſſet: DEI cauſam tuentibus mori æquè, ac vivere pulchrum eſſe, victoribus prædam ſanè opulentam hoſtes relicturos; ſi vinci contigerit, inter ſuos ſpolia DEUM haud paulò illis ampliora diviſurum. Ipſe ùt erat vultu ardens, & mortis contemptu æſtuans facilè cohortibus animos & iram afflavit; inſtauratur die Divo Bartholomæo ſacra impugnatio, firmiora navigia, ſcalis ùt nuper inſtructa, admoventur; Saraceni in ſubeuntes omne telorum genus effundere, ſagittarum, ſaxorum grandinem depluere, à malleolis propè navibus exitium accerſitum, iis tabulatum, malúsque correptus pertinaci flamma arſerat, non niſi improbo longóque conatu reſtinguenda; poſt acre tandem certamen barbari contis, lanceísque loco moti viam promptioribus aperiunt, ſeſe è ſcalis in molem librandi; nec jam pares aliis, ſemper aliísque ſuccedentibus, in obſeſſorum poteſtate turrim relinquunt. Eodem ferè tempore Belgicarum navium una, Harlemenſis fuiſſe creditur, in catenam plenis velis invecta, incredibili hoſtium conſternatione ferreum illud clauſtrum perfregerat. Ejus tamen diei gloriam, quanta erat, ab univerſo exercitu LEOPOLDO delatam è veteri Steronis chronico Brunerus affirmat.

Turris oppugnatur.

Infelix aggreſſio.

Expugnata.

Amiſſæ molis nuncius adeò Sapphadinum Saladini fratrem perculit, ut morbo è dolore contracto interierit. Hac ſpina evulſa via tamen ad operoſiſſimum genus victoriæ nondum plenè patuit; ſiquidem urbi validiſſima caſtra Saraceni prætenderant, quæ Nili trajectu hoſtes prohiberent. Legiones ſecundùm ripam explicatæ ſtabant; perrumpendum adeò in partem alteram aſpirantibus vallum illud haſtarum erat, niſi ejus victoriæ glori-

Barbari. fugantur

am uni ſibi vendicare DEO libuiſſet. Vix unam, alterámve navim in alteram ripam adverterant, cùm ſubito terrore perculſi divinitus barbari in effuſam fugam vertuntur, cæſi ab inſequentibus permulti, in opulentiſſimis caſtris prædæ abunde repertum. Suſcepta demum obſidio tantò alacriùs, quantò lectiores copias Britannia, Italia, Gallia nuper ſubmiſerat, opportunum ſanè, & neceſſarium ad tolerandos diuturnæ obſidionis labores auxilium. In decimum octavum menſem extracta incredibile quantum militum abſumpſerit, quantum ærumnarum exhauriendum dederit. Flore copiarum inducto, & commeatu ad multos menſes ſuffecturo contra vim hoſtium, famémque urbem egregiè Sapphadinus communierat. Murorum altitudo, & inſuperabilis firmitas ingentem fiduciam defenſoribus, obſidentibus deſperationem propè injecerat; irrito ferè multorum menſium labore verberabantur, ſolidiſſima illa compage nuſpiam ad arietum ictus hiante. Caſtrorum latera repetitis aſſultibus Meledinus Sapphadini filius, frontem erumpentes è condicto ex urbe milites infeſtabant. His non levius à Nilo malum acceſſerat, qui eo anno ante tempus, & ultra morem excreſcens caſtra magna parte inundârat, unde non paucis medium corpus in aquas immerſis, omnibus inſtabili, & fallente ſæpe veſtigio pugnandum; Vitioſus uliginoſæ terræ humor morbos inſuper in exercitum vulgârat. Hæc quidem diſcrimina precibus, & pietatis exercitiis brevì depulſa, illa verò extractâ in longum tempus conſtantiâ toleranda.

Obſidetur Damiata.

Obſidionis difficultates.

Sapphadinus Hieroſolymam diruit.

Corradinus alter Sapphadini filius, nihil intentatum reliquit, quo urbem, ex qua fortuna Ægypti penderet, liberaret. Audito nuper direpta ſua caſtra, circumfuſos Damiatæ Europæos, in rabiem actus, muris Hieroſolymam exuit, miſſis etiam ad Pincipes literis diruturum ſe Domini ſepulchrum, niſi obſidione decederent, minatur: cùm iis nihil moveri intelligeret, adſcitis undique ſuppetiis Damiatam advolat, exercitum caſtris admovet, ut jam Saraceni intus obſeſſi, foris obſiderent, tentato non ſemel fruſtra aditu. Pridie Kalendas ſextiles caſtrorum munimenta perruperat, ſed ab accurrentibus ſtationariis ferociter rejectus ad pacis conſilia convertitur, conditiones in hunc modum conſcriptas mittit. Damiatâ fœderati abſiſterent: Hieroſolymitanum Regnum integrum reciperent, Gracco, & Monte Reali Arabiæ urbibus exceptis, pro quibus annuum tributum ipſe penderet, ad inſtaurandos urbis muros ſe, quantum opus eſſet, nummorum ſuffecturum, Crucis ſanctæ partem, quam Saladinus captâ Hieroſolymâ abſtulerat, redditum iri, captivis, quotquot Babylone, & Damaſci detinerentur, redeundi poteſtatem facturum.

Damiatam liberare tentat.

Fruſtra paciſcitur.

rum. Omnium consensu rejectæ conditiones fuere, quòd retinendæ Hierosolymæ spes nulla esset, donec barbari Ægypto potirentur. Nec jam Damiata ea erat, quæ diu obsessores fatigaret; morbis, cladibus tenuatum admodum præsidium, residuos fames vexare cœperat. Corradinus, & Meledinus fratres desperata in castra irruptione testes duntaxat deditionis futuræ assistebant, quam pertæsi tot malorum cives non jam modestè à Sultano flagitabant. Et proditione demum captam credibile; namque sub noctis medium, quæ IX. Kal. Novembr. Anni XIX. præcesserat, quidam in urbem immissi, atque in muros, ignaro, quid ageretur, Sultano, enisi sunt, editóque, in quod ante convenerant, signo, applicatis ad turres scalis alij super alios eluctantur, noctis reliquum silentio exigunt, albescente die compósito gradu in urbem descendunt. Sultanus periculi admonitus per aversam portam sese ejicit, reliqui abjectis armis vitam deprecantur. Meledinus Sultanum secutus jacturæ, & ignominiæ, quam spectârat, dolore amens incensis castris suis in novum dedecus, & fugam prævit. Octoginta barbarorum millia hac obsidione absumpta feruntur. *Urbs expugnatur.*

Leopoldus non expectato obsidionis fine, postquam urbs ad extremum deducta non dubiam ampliùs victoriam reliquisset, in Europam retro vela fecit, cùm domestica negotia præsentem poscerent, nec prædæ ex copiosissima urbe colligendæ cupido teneret. Delatus in Styriam nova Episcopatûs dignitate auctam invenit. Vicaria potestate ad id tempus Gurcenses Præsules utriusque Provinciæ sacra procurabant. Visum Eberhardo Salisburgensi id onus gravius, quàm ut unus ferendo par esset, decimo septimo seculi Anno per Carolum Frisacensem Præpositum cum Honorio Pontifice egerat, onus dividi, & suum Styriæ Episcopum nominari pateretur. Pontifex collaudato Eberhardi consilio, Ottoni Frisingensi, Bertholdo Brixinensi Antistiti, & Godefrido Admontensi Abbati imperat, Diœceseos limites inspicerent, tum Ecclesiæ Salisburgensis, & Collegiatæ Seccovij sententiam ad se perscriberent; quibus cum Eberhardi vota probari intellexisset, Episcopatum Seccovij erigendi potestatem fecit. Nondum hìc studium, quo omnium commoda complectebatur Eberhardus, quieverat, novo oneri geminatum honorem adjecturus à Friderico Cæsare, ut Seccovienſem, & Chiemensem à se recèns institutum Episcopum Imperij Præsulibus accenseret, petit, & impetrat. Tum Anno XVIII. Carolum Frisacensem Præpositum Seccovienſi mitra exornat, virum non modò multa laude jam dudum inter sacra versatum, sed & de dignitate, antequam adiret, nuper oratoris munere Româ functus, egregiè meritum. *Leopoldus redit.* *Episcopatus Seccovienſis erigitur.*

Reſiſtit Theodora Ducis conjux.

Theodoræ Leopoldi Conjugi hæc Eberhardi conſilia minùs placebant. Miſſâ ad Pontificem epiſtolâ prolixè queritur, ſe inſcia, & abſente marito intra ſuam ditionem innovari nihil debuiſſe; expectandum Ducis reditum, nullum in mora periculum videri, prærogativas novo Epiſcopo adjectas, quæ authoritati, juríque Ducis detraherent; imperaret itaque Eberhardo, cœptis deſiſteret, donec negotium à præſente marito componeretur. Honorius, ſive querelas eas juſtas, verásque ſentiret, ſive Principem placaturus, ſevero mandato Salisburgenſem monet, quidquid adversùs authoritatem Ducis hucusque actum, emendaret; ſi quid ab eo cedi opus eſſet, vi, & arrogata poteſtate abſtineret, à volente, lubentéque impetraret, Leopoldo juſtè irritato ſe non minùs offenſum putaret. A Duce in Europam reverſo litem Epiſcopo motam nulli veterum ſcriptorum meminere. Credibile, negotium à Friderico Cæſare Norimbergenſibus in comitiis compoſitum, quibus cum Eberhardo adfuiſſe in diplomate ibidem edito legitur.

Damiata iterum amiſſa.

Vix alterum annum inter domeſtica, & publica Imperij negotia in Europa Leopoldus egerat, de amiſſa Damiata triſtes nuncij advolant. Perculit ea jactura tantò acerbiùs Ducem, quantò majori impendio illud virtutis ſuæ monimentum conſtitit. Cauſa infelicis exitûs potiſſima Friderici ſocordia, qua profectionem ex anno in annum diſtulit, improvida Pelagij Legati Albanenſis Epiſcopi in ulteriorem Ægyptum aſpirantis expeditio. Copiarum, quæ ad manum erant, virtute, & ſpe auxiliorum, quæ Fridericus ſe miſſurum parùm fideliter promiſerat, fretus ad oppugnandum Cairum, veterem, ut quidam putant, Memphim, proficiſcitur; Fruſtra Joannes Rex Hieroſolymitanus, fruſtra Tribuni pernicioſo conſilio interceſſerant, obteſtati, nè in certum diſcrimen res Chriſtianorum adduceret, præſtolaretur ſaltem, donec ſupplementa, quæ Cæſar promiſiſſet, ſe adjungerent: concedendum denique fuit, ut quantum inter pedi, & armorum tractationem interſit, internecino documento diſceret. Invitus licèt Rex Joannes Pelagium comitatur; Memphim tendentibus exercitum ſuum Sultanus objicit; at viribus ſuis diffiſus, ſimul ac in conſpectum venêre, in tutiora receſſit: inde miſſo legato, ſi Sultani terris excederent, ceſſurum regno Hieroſolymitano, urbem nuper deletam reſtauraturum pollicetur. Damiatæ nihil incommodaturum. Ejus poſſeſſionem ſibi ratam fore. Ditionem ſuam in viginti milliaria circa urbem extenderent; curaturum, nè ſuorum quispiam fines violaret.

Superbæ nimiùm conditiones offerri viſæ ab eo, qui ſimul metum fateretur, trepidatione hoſtium in majora compendia uten-

utendum censebant. Deductóque in regionis interiora milite castra ad fluvij ripam metantur, cujus alteram Sultanus insidebat. At callidus Barbarus nunquam sui copiam facere, omni ope Christianos trajectu prohibere. Tenuit ea ludificatio, donec Nilus intumesceret, Seraph, & Corradinus Soldani fratres suppetias venirent, tum enimvero hinc à Barbaris, illinc ab elementis velut indagine cincti serò temeritatem damnabant. Namque crescente Nilo naves hostes immiserant, atque interceptâ, quæ Damiatâ afferebatur, annonâ famem castris induxerant; reditum parantibus viam alibi Soldani fratres præcipiunt, alibi derivatus in campos Nilus & progredi, & subsistere prohibebat, corruptis eluvione, quæ supererant, cibariis, vitam demum, & reditum cessâ Damiatâ altero, quàm expugnata esset, anno, & restitutis captivis à Soldano emerunt. *Clades Christianorum.*

Acceptæ cladis dedecus in unam Friderici Cæsaris socordiam referebant, qui fidem fefellerit, subsidio se venturum dolosè spoponderit, quorum spe freti expeditionem suscepissent. Acerbiùs neminem, quàm Honorium Pontificem jacturæ dolor urebat; accesserunt vulgi querelæ, velut is non minùs, quam Cæsar res perdidisset, qui Friderici cessationem meticulosâ conniventiâ aluerit: nec is aut damna sarcire, aut abolere infamiam distulit: vehementioribus stimulis urgere Cæsarem, conventus Procerum indicere, in novum fœdus solicitare. Ea res Leopoldum Ducem sæpius è Patria excivit, cùm identidem domestica negotia revocarent, ut adeò octo, qui supererant, vitæ annos rara quiete, perpetua ferè inter itinera ultro, citróque commeando exegerit. Verulis collocutus cum Cæsare Pontifex communi consilio decreverunt evocandos Veronam sub Novembris medium Anni XXII. principes. Profectum illuc Leopoldum, etsi veteres Historici non memorent, credibile tamen, cùm eos præ ceteris adesse Papa voluerit, quibus litora, situs locorum in Palæstina perspecta. Iis comitiis, cùm peractum nil esset, Friderico in Sicilia studiosè haud dubiè moras trahente, Leopoldus Viennam se retulit, deducto secum Alberto Bernardi quondam Ducis Saxoniæ Filio secundò genito, cui vel sub præsentis anni exitum, ùt Australe, aut sequentis principium, ùt Garstense Chronicum refert, Agnetem primò genitam collocavit. *Ob quam Fridericus Cæsar male audit.* *Leopoldi varia itinera.*

Vix unus, altérve mensis abierat, cùm Honorij Pontificis literis interpellatur: illuserat more suo Fridericus Cæsar sanctissimo Patri, & splendidis promissis spem fecerat expeditionis propediem in Palæstinam adornandæ. Fidem mereri videbantur tum verba principis, etsi jam toties fefellerit, quòd Jolantæ Joannis Hierosolymarum Regis filiæ, & hæredi jurejurando conjugium

promiserit (Constantia enim Augusta Catanæ XXIII. Junij obierat) miris lætitiis Honorius ob negotium, ùt putabat, tandem feliciter confectum incesserat. Tum hæc, tum alia, quæ in conventu apud Ferrentinates celebrato acta, continuò expeditis ad Principes tabellariis significat. LEOPOLDUM insuper multis laudibus cumulatum vehementer hortatur, socium se sanctissimo bello daret, fortitudini ejus ab se summa quæque tribui; iret, & crucem reciperet: quantus in armis esset, sensisse jam ad Damiatam Barbaros: victoriam illam, quæ alieno vitio nuper corrupta fuisset, novis instauraret. LEOPOLDUS etsi quidem, si res posceret, promptum se, paratúmque ostendisset, sed quòd penitius, ac Pontifex Friderici animum inspexisset, sacræ militiæ tesseram non suscepit. Non multò pòst tamen opportunam occasionem Hungaria obtulit, qua suam adversùs Romanam sedem observantiam egregio documento probaret.

Invitatur Leopoldus à Pontifice ad bellum sacrum.

Recusat, & cur?

Reversus nuper è Palæstina Andreas Mariam Theodori Lascaris Græcorum Imperatoris filiam adduxerat, quam Belæ filio matrimonio jungendam, & coronâ ornandam curârat. Nunc alienato repentè à nuru animo filio imperat, uxorem continuò abdicaret. Metu adactus, sacrilego Patris imperio Bela invitus paruit. Mariam post duos conjugij annos toro removet. Edoctus ea de re à regni Præsulibus Pontifex Belæ severo mandato nunciat, conjugem nullo jure exautoratam illico reciperet. Mandatum Bela accepit, ùt qui dudum sic cogi optabat; quo dilecta conjuge potiretur: Mariam in thalamum revocat. Necessitatem facti Patri excusat. Non idem socero in nurum, qui marito in uxorem animus. Converso jam in filium furore, nî illico Mariam palatio expellat, si parere differret, acerba quæque minatur. Iram Patris veritus Bela sub anni vigesimi tertij finem regno excedit, & in tutelam LEOPOLDI se conjicit. Hic regium exulem amicè complexus, collaudatâ prolixè adversùm Apostolica mandata reverentiâ, potestatem commorandi in Austria, donec conciliato Patre in Hungariam tutus rediret, facit. Solicitum procul dubio Andream filij ad LEOPOLDUM fuga habuit. Nam modico pòst tempore facti pœnitens, præcipitem iram Papæ excusârat, adjectis precibus: curaret, nè causâ filij à LEOPOLDO bellum Hungariæ moveretur. Pacis quidem securum Andream Pontifex jusserat: alteris verò ad LEOPOLDUM Anno XXIV. datis literis ejus in profugum regem benevolentiam multis laudibus cumulavit.

Exulem Regis Hungariæ filium Belam recipit.

Operæ, quam piè adeò Regi exuli, & marito per vim viduato navârat, haud absimile pretium anno altero respondit, cùm Margaretham Ducis filiam Henricus Friderici Filius, in Germa-

niæ

niæ Regem tribus ab hinc annis ab Engelberto Colonienſi unctus, duxerat. Fuitque illud connubium tantò majori Leopoldi gloria celebratum, quantò nobiliores ſponſæ Magarethæ poſthabitæ, nam haud ita pridem Francofurti Epiſcopus Angliæ eas nuptias ſorori Regis ambierat. Primislai Ottocari filiam adhuc impuberem Fridericus Pater deſpondit. Sed procerum ſuffragiis, hac repudiatâ, illâ non admiſsâ, aliorum fortunam & vota Margaretha tenuit. In pompæ, & lætitiæ auctarium eodem tempore, eadémque urbe bini alij Leopoldi liberi matrimonium iniere. Henricus natu major cum Agnete Hermanni Thuringiæ Principis filia in manus convenit. Conſtantia Henrico Marchioni Miſniæ ſe nupturam recepit. Finitis nuptiarum feſtis Schardingam Leopoldus abiit, caſtrum obtento jam Ludovici Bavariæ ducis conſenſu extructurus, à medio opere Imperatoris literis in Italiam evocatur.

Margarethæ filiæ cum Henrico Rege Germaniæ nuptiæ.

Schardingam Leopoldus extruit.

Peſſimè per Europam ad eam diem Fridericus audierat, quod promiſſam toties expeditionem incredibili rei Chriſtianæ damno in infinitum differret, morarum cauſas alias ex aliis obtruderet, opum etiam inducias, quas in biennium Anno MCCXXV. à Papa poſt ductam Jolantam extorſerat, paſſim proſcindebant, velut qui regni titulo, & uxore contentus, in belli labores perjurio ſe obſtrinxerit. Altera parte Papa ſtimulos admovebat, ut, antequam biennium elaberetur, expeditioni neceſſaria compararet. Igitur tot ludificationibus, & moleſtiis ſuis finem, ſed nova nempe ſimulatione facturus, Cremonam Principes convenire jubet, ut communi conſilio, quantum quisque copiarum, ſumptuúmque in id bellum conferret, decernerent. Quin in ſenatum Principes convenirent, Longobardi obſtitere. Quòd enim à Friderici inſidiis ſibi malè metuerent, vias omnes intra montium clauſtra munimentis & milite obſepſerunt. Ut adeò Henrico Regi, multísque procerum intra Rhæticas alpes hærendum fuerit. Saxoniæ duntaxat Principes per Auſtriaci ditionem profecti ad Imperatorem pervenerunt. Utri genero, an Henrico Regi, an Alberto Saxoni ſe Leopoldus adjunxerit, incertum; itineris duntaxat, & fœdi, quod tum Auſtria vidit, flagitij annales meminere.

Leopoldus in Italiam proficiſcitur.

Diutius jam Leopoldus vivebat, ac Henrici ambitio ferret: imminebat jam dudum hæreditati ſceleratus filius; ventilante tacitè latentes igniculos Ottocaro Marchione Moraviæ. Nè cogitata perficeret, præſentis Patris metus abſterruit. Nunc abſente & moraturo, ùt rebatur, diutius Patre facinus levi negotio conficiendum putabat. Sive enim & Henricus Medlicenſis (quem defunctus Anno XXIII. Leopoldi patruus ejusdem nominis uni-

Ejus filius rebellat.

cum filium reliquerat) jam obierit, atque ejus hæreditatem ſibi à Patre negatam iniquè ferret, ſive eo adhuc ſuperſtite alibi ſibi patrimonium impius juvenis conquirere decreviſſet, in caſtrum Heimburgum armatus irrumpit; Theodoram omni Matris reverentiâ exutâ contumeliosè ejicit, tum adversùs vim, & Patrem animum æquè ac locum obfirmat. Intellecto Henrici ſcelere Leopoldus continuò ex Italia refertur, paucorum dierum labore arcem, & rebellem filium in manus ſuas dare ſe adigit; nec aliâ pœnâ Princeps ſupra ævi illius conſuetudinem mitis filium multavit, quàm quòd malè partis ſpoliârit; veniam precatum eadem facilitate in gratiam recepit, qua nuper in poteſtatem redegit.

Matrem caſtro ejiecit.

A patre ſubjicitur.

Etſi verò anno ſuperiore convenire Cremonam Principes, Longobardorum vitio nequiverint, nihilo tamen minùs ineunte Anni XXVII. æſtate copias ſuas in Apuliam deduxerunt. Octoginta millia confluxiſſe Chronicon Neoburgenſe aſſerit; cúmque aut morarum jam cauſa nulla ſuppeteret, aut quæcunque afferrentur, Papa rejiceret, Brunduſino portu Fridericus ſolvit. Sed velut animi causâ legiones circumduceret, ſalutato obiter mari in portum rediit, ægritudinis, & adverſantis venti obtentu; at quem demum ventum propitium nanciſceretur, cui ſecundus nullus erat, quisquis jurijurando congrueret, & vela in Orientem deferret? Utrùm Leopoldus acceptâ Crucis teſſerâ in hanc expeditionem ſe dederit, an ſuo hortatu ceteros duntaxat Principes in bellum animârit, non perinde pronum eſt affirmare; inſigne ejus, quo res orientis curâſſet, ſtudium ſingulari epiſtola dilaudatum à Pontifice: in clientelam acceptum Ducem Raynaldus ſolùm commemorat. Eodem anno Leopoldum fuiſſe in Styria è diplomate legitur, quo VII. Idus Novembris Gyrienſi Carthuſiæ jura firmavit. Aquisgranum profectum ad pompam, qua filia Margaretha in Germaniæ Reginam ſolenni ritu V. Kalendas Aprilis inaugurabatur, cohoneſtandam, Godefridus Colonienſis teſtatur.

Leopoldus ſecundò Cruce inſignitus.

Nondum hic Leopoldi itinerum finis, bis adhuc illi Italia, ſemel adeunda Bavaria, & Suevia, donec in longiorem viam ſe dare lege communi cogeretur: anathemate nuper à Gregorio IX. perculſus Fridericus iterum conſilium belli in Palæſtina faciendi aut reſumpſerat, aut ſimulârat. Iterum Germaniæ ordines ad Ravennam convenire Anno XXVIII. imperavit. Leopoldus, ùt Urſpergenſis narrat, jam Venetias XIV. Kalend. Aprilis attigerat, cùm turbata Cæſaris conſilia interceſſione Pontificis, & vetitos convenire proceres nunciatur, ſive quòd Gregorius mallet Fridericum in Oriente pugnantem audire, quàm in

Varia ejus itinera.

Italia

Italia otiosè deliberantem cernere, sive quòd moliturum quidpiam adversùm se formidaret. Reverà distracta jam tum in partes Italia nihil pacifici ominari sinebat; cùm Frangepanios clientelis, opibúsque inter Romanos potentissimos sibi Cæsar adjunxisset, Gregorio Joannes Hierosolymitanus, Thusciæ, & Longobardiæ nobiles permulti Papæ palàm studuerunt. Rebus sic constitutis Germaniæ Leopoldus se reddidit, atque directo in Bavariam itinere equestribus ludis cum Henrico Rege, multísque Procerum pridie Idus Maij interfuit. Datum id à Duce nostro honori Ludovici Bavari, cujus filius Otto ea die Baltheo & Gladio decoratus; propè aberat, quin ea humanitas vitâ Duci constaret. An dolo malo, ut in insidias pertraheretur, invitatus à Bavaris, an vindictæ opportunitas iras fortuitò acuerit? asserere non ausim. Vetus odium fuisse Garstense Chronicon persuadet, quod ad annum vigesimum quintum narrat Andream Regem Hungariæ, & Ludovicum Ducem Bavariæ in Leopoldum conjurâsse. Causas divinare quidem, afferre non licet. Filium in tutelam nuper acceptum injuriam suam Andreas duxerit; apud utrumque ingens gloria bello pacéque collecta, tum & potentia Leopoldo invidiam conflârit; nisi & denuo rebellis in Patrem Filius Henricus ambos concitârit; structas ejus vitæ sæpe insidias tum à Duce, tum à ceteris per Bavariam nobilibus, quas tamen, DEO optimum Principem protegente, feliciter evaserit, Australe Chronicon refert. Meliori in Suevia hospitio usus est, ubi non securè modò commoratus, sed & inusitato honore auctus rediit. Huc Henrici Germaniæ Regis aulam comitatus, ab eodem Augusto genero inter ceteros, quos tabulis ad Eslingam Anno MCCXXVIII. IX. Kalend. Septemb. datis favores contulit, obtinuit, ut Ducali pileo coronam regiam imponere posthac Austriacis liceret, in beneficiorum possessionem non ritu ceteris communi, sed equo insidentes immitterentur.

In Bavaria vitæ periculum adit.

Dum hæc in Germania agerentur, Fridericus publicato per Europam anathemate de imperio amittendo solicitus in Palæstinam trajecit, mense Augusto Ptolomaidem tenuit; nè interea hostis Gregorio in Italia deesset, Raynaldum Spoletanum sibi suffecit; & verò omni is ope adnisus est, nè Papa abesse Cæsarem aut gauderet, aut sentiret. Gregorius cùm in fulminibus sacris jam præsidij nil cerneret, copias & ipse collegit, delatóque Joanni Solymæo castrorum imperio, non urbes modò, quas nuper Pontificiæ ditioni Raynaldus decerpsit, recuperat; verùm & magnam Apuliæ Campaniæque partem hosti extorquet; non diu possidendam. Quippe Fridericus confecta cum Sultano propudiosis conditionibus pace, Italiam Anno XXIX. æstate invectus,

ctus, modici temporis impendio, ablata recepit. Consternatus inexpectatâ fortunâ Cæsaris Gregorius, solicitis literis ad Ecclesiæ defensionem Principes extimulat, LEOPOLDUM, postquam fœdam pacificationem exposuisset, per fusum Christi sanguinem Perusij XV. Kalend. Augusti. hortatus, simul ac evocaretur, armatus Italiam irrumperet. Sed sua demum utilitas Friderico arma excussit: etsi enim, priùs ac in Orientem solveret, nullo fructu solicitati ad defectionem Principes à Gregorio fuissent, verebatur tamen, nè repetitum anathema religionis quid populo demum injiceret, pacem offert, quam ambabus ùt ajunt ulnis Pontifex complexus. Delecti utrinque, qui res controversas dirimerent; à Friderico in hunc finem evocati Patriarcha Aquilejensis, Archiepiscopus Salisburgensis, Episcopus Ratisbonensis, LEOPOLDUS Austriæ, Otto Meraniæ, Bernardus Carinthiæ Duces: Cæsare ad oppidum S. Germani præstolante LEOPOLDUS Romam accessit; juratâ pro Friderico obedientiâ Legatos impetrat. Cum his demum ad sancti Germani tabulæ pacis prodromæ die II. Julij Anno MCCXXX. in hunc modum confectæ: staturum se mandatis haud multò pòst Româ afferendis si juratus Cæsar promiserit, anathemate solutus esto. Postquam his, tum & ceteris, quas Pontifex dictârat, conditionibus subscripsisset, à Sabinensi Episcopo Ecclesiæ V. Kalend. Septembris restitutus est. Assertam, non item stabilitam pacem Duci nostro videre mors indulsit, nam tot laborum, & itinerum molestiis fatigatus V. Kalend. Augusti ad S. Germani diem supremum obiit. An olim bello, an conciliata nunc pace Ecclesiæ utilior, non facilè definieris. Operi nobiliori non potuisse immori longè certissimum. Defuncti cadaver barbara quadam illius ævi consuetudine membratim concisum, & ferventi aqua decoctum in duas partes divisere. Ossibus in Austriam deportatis, viscera & carnem in monachorum S. Benedicti senaculo (capitulum vocant) montis Cassinensis, teste Godefrido Colonienſi, terræ mandârunt. Justa illi à Vaticanis Patribus persoluta Australe Chronicon addit.

A Papa evocatur adversùs Cæsarem.

Cum Papa paciscitur pro Cæsare.

Moritur.

Pater illi LEOPOLDUS primus Virtuosus, mater Helena Belæ Tertij Hungarorum Regis filia. Quo anno in lucem editus, memoriæ proditum non habemus. Magistratui gerendo jam parem, dum pater moreretur, fuisse, Diploma persuadet Wolfgero Patavienſi Præsuli super vetere in Parthenonem Niderburgensem jure anno elapsi seculi XCIII. V. Kalend. Aprilis, ab Henrico Cæsare Spiræ datum, cui inter alios principes mox à parente LEOPOLDO, subscriptus testis legitur. Styriam anno prioris seculi XCV. à morte Patris, à morte fratris natu majoris Friderici Au-

Ejus ortus.

Auſtriam Anno XCVIII. regendam ſuſcepit. Conjugem adſci- *Uxor.*
vit Theodoram Manuele Comneno Auguſto genitam, nuptiis ſplendidiſſimo apparatu Viennæ Anno ſeculi hujus ſecundo in aula recèns ædificata celebratis. Septem liberos ex ea ſuſcepit, ma- *Liberi.*
tre fœcunda magìs, quàm felice. Mares tres, Leopoldum, Henricum, Fridericum, fœminas unâ plures, Agnetem, Margaritham, Conſtantiam, Gertrudem. Leopoldo primogenito infelix lapſus ex arbore, in quam juvenili levitate conſcenderat, Anno XVI. cervices eliſit; illatus Clauſtro-Neoburgi tumulo, poſtquam alterum luſtrum vivendo nondum expleviſſet. Anno VII. natus, VIII. Kal. Aprilis. Henricus an violenta morte, an morbo incertum, Anno MCCXXVIII. periit. Exulem apud Ottocarum Moraviæ Marchionem obiiſſe recentioribus videtur; cadaver in Neoburgenſi Baſilica humatum Enenkelius affirmat. Indignus optimo parente filius, nec aliâ, quàm nefariâ tentati parricidij memoriâ annalibus notus, *crudelis* cognomentum tumulo intulit, quòd obtentâ, ùt meminimus, primi flagitij veniâ patri fratríque necem molitus ſit. Fridericus Leopoldo ſuccedet paternæ ditionis, non perinde virtutum, aut felicitatis hæres. Agnetem Albertus Saxo, Margaritham Rex Germaniæ Henricus, Conſtantiam Henricus Marchio Miſniæ An. XXXIV. uxores accepere; cum Gertrude Landgravius Thuringiæ Anno XXXIX. Neoſtadij matrimonium iniit.

Sed quidquid peccaverint filij, virtutum ſuarum ſplendore Leopoldus penitus obruit. Spectata virtus hoſtibus metuendum effecit. Belli non minùs ſciens ac abſtinens, niſi neceſſitas poſceret, perpetuam ferè ſuis provinciis pacem conſervabat. *Virtutes variæ.*
Multis iraſcendi voluntatem metus excuſſerat, omnibus cauſas principis modeſtia ſubtraxit. Nullus non, quàm irritari, tam vinci difficilem Leopoldum intelligebat. Arma, ùt ſparſim memoratum eſt, ſæpius induit, ſed quibus non tam ſuæ, quàm alienæ utilitati, aut veriùs pietati & juſtitiæ militavit. Nemo ab ejus potentia vim ſibi inferendam metuit, niſi cui fortè invidia hoſtem Leopoldum finxerit. Principibus miſeris ùt certum in ejus armis & regione, ita frequens aſylum. Andream, Ladislaum, Belam Ungaros adjutos deſcripſimus. Alexium Conſtantinopoli profugum (cujus neptem Theodoram conjugem *Expeditio in Hiſpanias.*
fuiſſe Fuggerus teſtatur) benignè ſuſceptum protectúmque idem aſſeverat. Quanto amplificandæ Eccleſiæ ſtudio teneretur, opibus viribúsque in Palæſtina conſumptis abundè monſtravit. Aliam inſuper expeditionem adversùs Mauros in Occidentem Anno XII. ſuſcepit, ab Alphonſo Caſtellæ Rege invitatus. Sed nonniſi poſtquam debellatum eſſet, Calatravam cum copiis tenuit.

Siquidem eam victoriam, quanta erat, suo prodigio DEUS, non manibus militum deberi voluit: desiderati duntaxat Christianorum viginti quinque, cùm ducenta Maurorum millia præter centum quinquaginta mille captos cecidissent. Defunctus apud Regem gratulationis officio, LEOPOLDUS in Arragoniam ad agnatum Regem invisendum discessit.

Liberalitas in loca sacra.

Foris armis impios perditum; domi cultores, cultúmque pietatis munificentiâ promotum ibat. Admontenses, & Seccovienses occurrentibus sibi, dum ex aula Philippi Anno II. rediret, præsulibus suæ posthac tutelæ securos jussit. Cùm eodem anno sacris solennibus, quæ Divæ Cunegundi nuper ab Innocentio inter sanctos relatæ Bambergæ adornabantur, adsuisset, reversus eidem Divæ in adsito pomæriis Græcensibus colliculo sacram ædem construxit Equitibus Teutonicis postea à filio Friderico collatam. Monasterium, quod Campililj Cistercienſibus in domicilium Anno VI. erexit, suum aliquando Mausolæum esse voluit, nè scilicet vanæ duntaxat magnificentiæ, sed & pietatis monumentum extaret. Runensibus perpetuum censum è ferri fodinis suis donavit. Alpes Neicistallenses ab Elisabetha Gutenbergica ultima voluntate eisdem legatas ratum habuit. Gyrienſe Cœnobium ab alterius instituti viris tum inhabitatum, veteribus è Chartusia incolis Anno IX. restituit, & amplioribus fundis locupletavit. Ecclesiam ibidem suis impendiis condidit, atque binis post annis ab Hispanica expeditione reversus ab Eckberto Bambergensi Episcopo consecrari procuravit. Inter curas ea semper LEOPOLDI antiquissima visa, nè quid inter se, & sacrum reipublicæ ordinem simultatis existeret. Litem illi Manegoldus Patavienſis super usurpatis Ecclesiæ suæ juribus, speciatim Viennensis tutelâ intentârat. Uterque comitiis Anno XV. Augustæ aderat, cùm Manegoldus ad tribunal Cæsaris causam detulisset, ultro LEOPOLDUS legum, quibus tueri se haud ægrè poterat, præsidia adhibere omisit, atque Philippum pro Episcopo scisscere sustinuit. Pietate Ducis aliorum quoque, quibus facultates suppetebant, excita liberalitas. Vivente etiamnum Divo Seraphico, quem mors Anno XXVI. cælo intulit, bina ordinis Cœnobia, Græcij viris unum, virginibus extra Judenburgi Muros alterum excitata. Anno seculi trigesimo, à morte Divi Dominici nono, ejus Religiosi ædem Petovij obtinuere; aream in ædificium cedente Mechtilde Friderici de Petovio Vidua, opes suas Eberhardus Salisburgensis antistes, Bernardus de Petovio, Wulffingus de Stubenberg, & uxor contulere. Anno XXIX. Stainzensium Canonicorum Collegium Luitoldi Wildonensis liberalitate surrexit.

Ordinum Religiosorum in Styriam ingressus.

At

At decus multò augustius, & præsidium longè firmissimum, quod sanctius Palladium non immeritò dixeris, Styriæ Anno MCC. accessit, in quem Cellarum Marianarum initium vetus persuasio, & inscripta templi propylæo verba referunt. E tenuibus initiis in eam celebritatem, quam hodie miramur, locus rusticæ duntaxat plebeculæ olim notus evasit. Sub seculi undecimi finem Marquardus Carinthiæ Dux, cui ea pars, quæ nunc Styriæ est, tum parebat, sacram Divo Lamberto ædem inchoârat; Henricus filius impositò ab se fastigio plurimis fundis in valle Avelenz auctam sancti Benedicti religiosis tradidit; at quoniam vallis porrecta longiùs, quàm ut cælo præsertim turbato plebs in templum commeare absque gravissimo incommodo posset, hyeme etiam nives vias omnes præstruerent, in interiora montium quempiam religiosorum mittere visum, qui animas sacris mysteriis vicinior procuraret. Viro insignis pietatis ea provincia obtigit. Eodem loco, quò nunc augustæ fabricæ templum tot Monarcharum donis, & tabulis prodigiorum testibus illustre conspicitur, ædiculam è ligno in Ecclesiæ speciem conformat, erectæ in medio aræ cubitalis magnitudinis statuam imponit, ea è tilia elaborata, suisque distincta coloribus Divam Virginem manu dextra Parvulum sustentantem referebat. Matre pyrum, filio contrà matri pomum, simplicia nempe, & ad rusticæ plebeculæ gustum accommodata dona porrigente. Prodigiorum primitias Henricus Moraviæ Marchio, & uxor Agnes, ab aliis Cunegundis dicta, Henrici Ducis Austriæ de Medling filia abstulere. Triennio ferè par nobile conjugum Paralysis conclamata à medicis salute afflixerat, cùm à Wenceslao Bohemiæ quondam Duce per insomnium admonentur: morbo si expediri vellent, non opem aliunde, quàm è Cella B. Virginis peterent, illuc se peregrinaturos voto obstringerent. Somno Divini quidpiam inesse morbus cum Sancto evanescens probavit. Iter cum magno famulorum numero ingressos è via aberrare contigit; adfuit continuò an Divus Wenceslaus, an cælestis quispiam genius peregrini habitu tectus, errorémque dedoctis iter monstravit. Gratiis Sospitatrici persolutis ædiculam in justæ magnitudinis Ecclesiam converterunt. Fama prodigij per Hungariam, Bohemiam, Austriam, Styriam è vestigio sparsa undique populos è remotioribus etiam terris excivit.

Cellarum Marianarum Origo.

FRIDERICUS I.

Bellicosus.

DUX STYRIÆ IV.

Friderici genius.

FOrtunam ampliſſimam, quam ordo naſcendi negârat, præmaturus fratrum obitus FRIDERICO aſſeruit; ſed ceu oblatæ præter opinionem felicitatis impatiens, partam alieno infortunio dignitatem nec ipſe ſat proſperè tenuit. *Bellicoſi* nomen majore reipublicæ damno, quàm ſuâ gloriâ ſibi confecit, nihil majori conatu quàm pacem devitare viſus inquies animus, ſi belli cauſas non inveniret, faciebat, multum ſanè à parente moribus, ſed & fortunâ diverſus. Interea ferociam Domini luebant provinciæ, cùm irritati principes; nunc ſinguli, nunc ſociati irruerent: Bohemo Ungarus, Ungaro Bojus, velut in orbem ſuccederet. FRIDERICO ad miſerorum gemitus ſurdo, ùt qui villarum incendiis ſuam gloriam, quàm quo maximè illuſtrandam cenſeret. Et verò ſi bellis ultro oblatis, quàm ſolicitè quæſitis exerere fortitudinem maluiſſet, primis illum heroibus excelſitas animi exæquârat. Quàm in accerſenda pericula prohus, tam in ferendis fortunæ caſibus fortis, ut turbulenti genij veniam hoc nomine mereri propemodum videatur. Vinci quidem, non perinde trepidare docilis, in rerum omnium deſperatione ipſe ſolus erectus ſtare. Si modò ex cladibus vitam, ſpem etiam melioris fortunæ, & vindictæ propoſitum auferebat; nec unquam hoſtem victorem metu redituri non multò pòſt ultoris abſolverat.

Ætas.

Quo ætatis anno hæreditatem adierit, ſatìs non liquet, vigeſimo proximum, aut non admodum exceſſiſſe conjicere pronum. Nam Henricum Cunringium Rectorem Auſtriæ in Diplomatis, & FRIDERICUM adhuc puerum in Auſtrali Chronico compellari legimus. Si, quod meminimus, uxorem, ſimul ac pubertatis annos attigit, duxit, decimum octavum annum nunc egreſſum credibile. Illud certius, gladium ſtrinxiſſe in acie priùs, quàm eo ſolenni ritu accingeretur. Hic enim honor Anno XXII. illi in Benedictinorum monaſterio, quos Scotos vocant, Viennæ à Gebhardo Patavienſi Antiſtite IV. Nonas Februarij collatus, poſtquam bello victor exiiſſet, in quod FRIDERICUM, ſimul

Gladio accingitur.

ac



Cui tota Sub armis,
Sub clypeo, et galea vita peracta fuit. Ennius.

Christ. Dietell sculpsit Gracy.



ac mortuo patre regimen auſpicatus eſſet, defectio procerum pertraxit. Præcipui perfidiæ authores Hadmarus, & quem ſuprà meminimus, Henricus Cunringii fratres fuere optimi Patris Hadmari degeneres filij, & accommodato ad mores convitio paſſim Canes dicti. Opibus & clientelis, & poſſeſſione modus illis jam amplior, quàm ut privatæ fortunæ conditionem tolerarent. Incendebat novandi libidinem ætas principis injuriæ obnoxia. Henricus haud dubiè ignaviæ notam inſuper timebat, ſi præclaram invadendi Ducatûs occaſionem negligeret, poſtquam Rector Auſtriæ dictus ad ſupremam dignitatem ſe proximè admotum videret. Procerum multos oſtenſa ſpe amplioris fortunæ conciliârunt, alios tenuiores largitionibus ſibi adjungebant. Bohemum Ottocarum vetus cum Auſtriacis æmulatio facilè in armorum ſocietatem attraxit. Informato tacitis coitionibus ſcelere hunc in modum manus operi admovêre. *Belli origo.*

Bohemi, dum minimè timerentur, in Auſtriam irruunt, rapinis, cædibus, incendiis regionem evaſtant. Henricus, & Hadmarus in relictos à Leopoldo Theſauros involant, impunitatem certiſſimam ſui flagitij duplici compendio affirmandam rati, cùm ipſi partes ſuas in bellum his opibus egregiè inſtruxiſſent: Fridericus belli nervo deſtitutus de vindicta cogitare nè quidem auderet. Expilato ærario Bohemorum exemplum imitati Crembſium, & Steinam Auſtriæ oppida incendunt; peſſimo utrobique conſilio, quo res ſuas, non, ùt rebantur provehebant, ſed penitus afflixerant. Nam alios jacturæ ex incendiis dolor, metus vicini mali alios abalienârat, omnes immanis furti fœditatem deteſtabantur, nec jam ùt hoſtes, ſed latrones, & graſſatores publicos aſpexerant, qui non injurias, quas obtendebant, ultum irent, ſed opibus duntaxat alienis inhiarent. Ad hæc cùm nec ſacris peperciſſent, templa rapinis profanâſſent, à Gebhardo Patavienſi ſacro fulmine percuſſi, multis ſui horrorem ingeſſerant. Certatim itaque damnatis latronum partibus ad Fridericum confluunt, in incendiarios, furésque, ut duceret, poſcunt. *Bohemi irruunt.* *Cunringii Theſauros Friderici furripiunt.* *Incendiis graſſantur.*

Fridericus, ùt ſat militum ad manus habuiſſet, illicò ad perduelles inveſtigandos abiit. Nec iis jam animi, ùt ferè ſervis accidit, quos una præſentia domini timore concutit, coram armato inſuper conſtitere, in argentum nempe, non item in ferrum principis generoſi. Quaquà Fridericus occurreret, ſtragem inferebat, repetitis velitationibus veriùs, quàm præliis, levi momento ſeditioſos oppreſſit, ùt qui fortitudinem omnem in expilando ærario nuper abſumpſiſſet. Quot quot bello capti, non ùt milites, ſed prædones meritò habiti, pars carnificis ferro ſublati, pars è reſti pependere. Hadmarus per inſidias interceptus, *A Friderico vincuntur.*

ptus, conditionibus haud dubiè duris ſubinde dimiſſus, eodem anno obiit; Henricus, fugâ primùm vitam ſervârat, petitâ dein flagitii veniâ Thyrnſteinenſi oppido multatus eſt. Seditionem hac ratione profligatam anno trigeſimo primo veteres annales meminere, quemadmodum cum Bohemis conventum, tacent, ſimillimum vero eſt, aut acciſis perduellium viribus, aut jam priùs, audita Regis ſui Ottocari morte (quem eodem, quo Leopoldus anno obiiſſe Chronicon Auſtrale ait) ſponte receſſiſſe. Sed non ideo FRIDERICO ſatisfactum, qui aut inultus offendi, aut levi placari non didicit. Imperandum tamen iræ tum fuit, & differenda in commodius tempus vindicta: etſi enim rebellium vires utcunque protritæ eſſent, neque tamen ſat conſtabat, an cum armis etiam tumultuandi conſilia excuſſa? quæ proinde oblata rebellandi opportunitate irritanda non videbantur; nec virium abunde in hoſtem, qualis Bohemus erat, comparari tum poterat, regione incendiis, ærario ſumptibus exhauſto. Acceſſit, quòd Imperator Fridericus Ducem cum cæteris principibus Aquilejam evocârit de pace Germaniæ deliberaturus. Celebratis Anno trigeſimo ſecundo ſub Paſchæ tempus comitiis Cæſar in Apuliam pacem cum Saracenis: Dux in Auſtriam bellum Bohemis altero anno facturus revertitur, quo damna majora ſuis provinciis accerſeret, quàm hoſtibus inferret.

Thyrnſteinenſi oppido multatus Cunringius.

Fridericus Aquilejam abit.

Belli cauſa illa, quam diximus, preſſus ad eum diem injuriæ ſenſus; altera principi pacem exoſo ſat ponderoſa ſe obtulit, quòd domi quieta omnia reperiſſet. Delectus militum, quàm fieri poſſet maximos hieme per provincias haberi imperat; lectiſſimus miles ſub ſigna convenerat, ſtabátque in Auſtria jam ſub veris finem accinctus. Exeunte Junio in Bohemiam FRIDERICUS ipſe deduxit. Expeditionis initia longè lætiſſima, inundatâ florentiſſimis copiis Bohemiâ quocunque pedem figerent, metum & ſtragem circumferebant, torrentis inſtar impetu omnia perrumpunt, nemine, qui ruentibus ſe objiceret, tentare auſo. Ottocaro ſuſceptum primo præliandi conſilium idem metus excuſſit, nam revocatum è campo, in quem deduxerat militem, ſylvarum latebris continuò abdidit. Caſtrum Vetau, quod Bohemi inſuperabile jactârant, non improbo labore expugnatum, cetera per otium, ac obſiſtente nemine ſubacta. Exultantem lætis ſucceſſibus principem è medio victoriarum curſu graviſſimus morbus, è quo ægrè vitam extulit, avocavit: quanquam eodem tempore & tuendæ ſuæ provinciæ cura à Bohemis bellum averterat. Exitialis ſanè, ſi quis alius, hic annus Auſtriæ Styriæque accidit, ſimul ac FRIDERICUS in Bohemiam movit, velut claſſico eodem evocati, hinc Hungari, hinc Bavari in arma

In Bohemos ducit.

Læta belli initia.

con-

consurgunt, pro clarigatione incendia oppidorum fuere. Otto Bavarus in Austriæ fines illatus, totam eam regionem incendiis & rapinis fœdè habuit, castro Laimbach, ceterísque, per quæ incendiarium agmen rapuerat, exustis. Quô ille se offensum quereretur, non liquet: an fors Ottocarus exciverit, an Fridericus cum Rege Germaniæ Henrico adversùs eum conspirârit. Illud, è quo conjicere hoc licet, Chronicon Australe refert: Henricum Regem Friderici affinem cum aliis principibus infensum Ottoni fuisse, bellóque appetitam Bavariam subjugâsse. *Bavari irrumpunt in Austriam.*

Gravior procella Styriæ incubuit, in quam Andreas Hungariæ Rex à Bohemo, ùt credibile, solicitatus ferro, & flammâ desæviit. Cùm miles abesset, agricolæ arma adversùs prædones corripiunt, non alio fructu, quàm ut post lares etiam vitam amitterent. Siquidem populabundum illud agmen, ùt hostem conspexerat, more quemadmodum aliàs suo, tunc verò etiam callida simulatione se sensim subducit, donec extra fines suos Styros extraheret. Nec hi quidquam doli suspicati, vindictæ cupidi, & successu læti fugitivos alacriùs, quàm prudentiùs insequuntur, præeunte cautè hoste, atque sic fugam attemperante, nè extra paratum insidiis locum Styri tenderent. Cùm in hos rudem militiæ plebem pellexissent, frontem & ora fugitivi obvertunt, alij à latere, alij à tergo coorti solutis habenis in ordines Styrorum irruunt. Trepidatum sanè non leviter ad periculi magnitudinem, unde, quî vivi aut liberi abirent, non apparebat. Neque tamen honesti aut non inulti exitûs curam abjecere. Desperatio, & Nobilium, quorum multi se agmini miscuerunt, exemplum, hortatúsque animos incendebant. Post longum, & sanguinarium certamen victoria penès Ungaros stetit, de qua gaudere non admodum ausi, cum æquata ferè clade ex arena recesserint. Ne styri vincerent, hostium numerus obstabat: nè plures capti cædem evaderent, virtus & accensa desperatione ferocia effecit; ex iis vix quinquaginta se neci subduxerunt. *Hungari in Styriam.* *Styrorum clades.*

Fatalem paci hunc annum dixeris, eodem & vicina Carinthia intestinis motibus agitata, Dux & Episcopus Babenbergensis Eckbertus collisi alternis cædibus in mutuam perniciem grassabantur. Armis initio Episcopus superior, demum ab Henrico de Vinkenstein interceptus Friderici operâ libertatem obtinuit, postquam verni jejunij tempus intra carceres exegisset. Styriæ populatione Hungari generosè defuncti in Austriam sub autumni finem effunduntur. Vires omnes in villarum incendia, & agendas prædas versæ, Rege Andrea cum filio Bela copias ducente. Höffelinum direptum, Thevino probè ab opibus repur- *Hungari Austriam. diripiunt*

gato etiam faces admotæ. Ubi exercitum FRIDERICUS objecit, fortuna & animi adhæsere. Ultro progredi non ausi pacem petunt, an solo metu, an clade quapiam extortam, Chronicon Australe non addit. Sed nec è re FRIDERICI erat, tam necessariæ pacis occasionem aspernari, qua bello sic exiret, ut nè coactus videretur. Firmatis utrinque pactis dein splendido Nobilium comitatu stipatus Neostadium ad FRIDERICUM invisit. FRIDERICUS suâpte natura in luxum & magnificentiam pronus tanto splendidiùs hospitem excepit, quantò impensiùs sibi curandum putabat, nè nupernis populationibus exhaustas Austriæ opes Hungarus putaret. Rex multa honoris significatione vicissim Ducem in Hungariam invitârat. Quò quidem binis pòst annis vel Andreæ ingratiis profecturus erat, & fortè jam tum destinârat; etenim pacem eam mala fide coaluisse, temporis, quo durârat, brevitas, & nullo novæ injuriæ irritamento abrupta persuadet. Induciæ veriùs dicendæ mutuo consensu initæ, quo respirandi aliquod spatium nacti vires in bellum, quod animo informârant, colligerent.

Pax initur.

Friderici soror nubit Misnienſi.

Funestis facibus, quibus paulò post Austria arsura erat, lætiores nuptiarum tædæ interpositæ. Celebratæ eæ in Austria fuere inter Constantiam FRIDERICI sororem, & Henricum Marchionem Misniæ, pompâ, & Nobilissimorum hospitum frequentiâ maximâ. Aderant præter Provinciæ utriusque proceres Theodora mater, Reges Hungariæ, & Bohemiæ, Duces Carinthiæ, & Saxoniæ, Archiepiscopus Salisburgensis multâ præsulum coronâ stipatus. Hos si dies excipias, totus annus in comparandum belli apparatum abiit. Et opportunum illi tunc è Carniolia ad tolerandos sumptus subsidium accessit. Defuncto siquidem sine hærede Marchione de Crainburg FRIDERICUS in ejus hæreditatem immigravit. Fridericus II. Imperator non ratum modò habuit, verùm ut uni duntaxat Imperatori obnoxius posthac esset, Ducis titulum assumeret, concessit, cùm ad eam diem non nisi Domini, Comitísque nomen usurpâsset, quemadmodùm è FRIDERICI Ducis literis Pataviæ Anno MCCXLI. & è Cæsaris Anno XLV. datis liquet. An porro hoc anno, an postquam conciliatus denuo FRIDERICUS Cæsari, ea gratia collata sit, Petrus de Vineis non exprimit. Eodem diplomate Duci Austriæ indultum, Filiorum senior Regem posthac se diceret, fas esset; Coronam tamen non ab alio, sed Imperatore reciperet.

Fridericus Carniolia potitur.

Ducis titulum obtinet.

Et Regis in Auſtria.

His ille opibus, & copiis multò quàm antehac instructior anno trigesimo primo in Hungariam irruit, hospes sanè Andreæ tantò magis nunc inexpectatus, quantò benevolentiùs hominem nuper invitârat. Bellum totum utì impotens vindictæ studium sua-

Fridericus in Hungariam dirè grassatur.

ſuaſerat, ita non ſat militariter, & pro dignitate principis geſtum; velut Ducis ſui furiis, & intemperie agitati milites, barbarâ ferociâ, & licentiâ in omne genus hominum graſſabantur, non à profanis, non à ſacris theſauris manus abſtinuerant. Flammis ſævitum atrociùs, quàm Chriſtianorum modeſtiam deceret, nullius ſexûs, nullius ætatis ratio habita; niſi qui latebris vitam ſervare occupâſſent, ferrum nemo evadebat. Militem Andreas domi continuit, an quòd paucitati ſuorum diffideret, an quòd majus operæ pretium ſe relaturum putaret, poſtquam frigeſcente primo impetu ipſe integer feſſos, vel rei proſperè geſtæ fiduciâ ſecuros adoriretur? Nec ſpes ſefellit, redierat in Auſtriam Fridericus diſpoſitis in vicina ſtativa, unde evocari, ſi res ferret, commodè poſſent, militibus. Prædam, quàm opulentiſſimam abſtulerant, læti abſumebant. Cùm nunciatur, ducenta Ungarorum millia versùs Auſtriam movere partitis in tres exercitus copiis, aliâ Andream, Belam, & Colomannum filios aliâ viâ incedere. Ad fines Auſtriæ vicino triginta millia objicit. Priusquam ad manus ventum eſſet, quo panico terrore afflati, neſcio, in fœdam adeò fugam vertuntur, ut nemo unus frontem obverteret, etſi tercentum duntaxat Ungari fugientes inſequerentur. Inde Andreas nullo reſiſtente progreſſus, quidquid villarum, oppidorum, arcium Viennam usque occurreret, funditus evertit, expilatis per otium domibus ignes pari, qua nuper Fridericus, ferociâ injicit. Ex altera Danubij ripa non abſimili humanitate Bohemi tendebant. Auſtria, quà tranſibant, omni exuſta in Stadelowe caſtra fixerant, unde tamen inuſitata è pluviis inundatione, quæ triduum tenuit, recedere brevi coacti ſunt. Hærebat adhuc in Auſtriæ viſceribus Hungarus. Eminus buſta, cominus & prope Viennæ portas volitantia impunè hoſtium ſigna è muris viſebantur. Militum noſtrorum animis adeò altè adhuc terror inſederat, ut nullis precibus, pollicitísve in pugnam emoveri poſſent. Pacem Hungarus, quòd rogari vellet, intolerabili pretio vendebat; Fridericus, qui, ſi tandem aliquandò demittendus ad preces animus eſſet, hac monetâ rixas, quàm quietem emptas maluiſſet, reluctatus diu, demum fatali neceſſitati, & procerum conſilio ſe permiſit. Multis librarum millibus ea pacis nundinatio conſtitit, quibus perſolutis Rex ſplendido convivio à Duce acceptus in Hungariam rediit. Diuturnitatem amicitiæ, & jurijurando fidem ſecuta Ducis calamitas affirmavit.

In Auſtriam Ungari.

Et Bohemi.

Pacem emit Fridericus

Fridericus periculo expeditus, velut qui è recenti naufragio emerſi, poſtquam mentem diſcriminis, & metûs imagine confuſam receperunt, non jam unde evaſiſſet, ſed quanto ſalus

constitisset, ponderabat. Bellum majori decore propulsatum à finibus, quàm damno intra viscera patriæ toleratum identidem animum laniabat, pacem pecuniis, & quod supra pecunias erat, precibus ab se emptam non immeritò eum pudebat, qui bello præveniri à quopiam, injuriam credidit. Nec de vacuo ærario dolor minùs usserat, cujus restituendi spes aut nulla, aut certè non propinqua, cùm è fumante adhuc tum regione, quid argenti redigeretur, non appareret. Nec is FRIDERICUS fuit, qui animum ad patientiam subegisset, ut dum mora quadam Provinciæ respirarent, damna sua sarciri expectaret; celeriora honestis antehabuit, cùm compendiariam ad opes viam scelus obtulisset, inde medelam facere decrevit.

Vexat provincias exactionibus.

Ægri propudiosa pace & jacturâ animi cruciatus inducturus deliciis, in libidines se effundit. Inopiæ consulturus ærarij, in spoliandos cives convertitur. Atque cum multi sua armis tuerentur, mutuis cædibus, & incendiis sævitum est. Quidquid nuperna populatione Hungari ad supremam diligentiam reliquum feciissent, probè supplevit. Immanibus vectigalibus merces onerat, cives exactionibus, & novis tributorum nominibus penè opprimit. Qui divitiarum accusarentur, variis de causis, quæ cupido principi deesse non poterant, emungit. Viennenses præ ceteris asperiùs habiti, quòd facultatum ampliorum culpâ laborarent. Non à viduarum, aut pupillorum bonis manus abstinet. Missi in claustra & cœnobia satellites, qui una eademque die divisis turmis impetum in omnia facerent, si non, quantùm nummorum ad manus esset, continuò repræsentaretur, effractis violentè arcis, quidquid reconditum deprehenderent, abradebant; stolidissimo consilio, quasi magìs princeps ditesceret, si civium opes suas, animos alienos faceret, aut his conciliatis, non meliori jure civium opes suas reputare posset. In provinciarum spoliarium, & prædonum receptaculum Neostadium, & arx Starenberga delecta, huc thesauri omnes comportati, & adjectis ad vetera novis munimentis custoditi. Alibi satellites pecunias, domi Dux pudicitiam Virginum, & Matronarum expugnatum ibat. Si quam elegantior forma commendârat, illa se in FRIDERICI torum rapiendam constituere sibi poterat. Non parentum preces, non puellarum renitentium tristes vultus, & lachrymæ, non alieni thalami reverentia adversùs effrenem libidinem valuere. Alias per contemptum luxuriæ suæ sociis violandas objecerat. Repulsam dare, aut fortiùs obniti parentum & maritorum multis capitale fuit. Hos verso in ferociam amore fictis criminibus oneratos palàm neci dare, aut per subornatos sicarios è medio tollere. Brunhildem civis Viennensis conjugem, specioss-

Rapinæ.

Friderici libido.

simam

simam fœminam deperibat. At illa ad mensuram pulchritudinis pudica, variis artibus tum à FRIDERICO, tum ab ejus libidinis ministris tentata, nullis blanditiis minísve induci potuit, ut sui copiam faceret. FRIDERICUS irâ juxta ac amore æstuans voluptatis & vindictæ sitim adjectâ insigni ignominiâ explere statuit. Civium primores cum conjugibus & filiabus convivio excipit, & invitata Brunhildis aderat. Cum vino jam hilares, genio quàm maximè indulgerent, conducti in facinus ministri in triclinium irrumpunt. Brunhildis è mensa abripitur, in FRIDERICI conclave deportatur, illatóque stupro ad maritum remittitur. Non hospites duntaxat, sed universa civitas, postquam scelus vulgatum est, impudentis libidinis atrocitate perculsa fremuit, illatæ injuriæ dolore, tum odio, iráque incensi non timidè minas jactabant, & triste aliquid ausuri in principem videbantur, nisi civium prudentiores, quibus Patriæ & tranquillitatis studium, quàm vindictæ majus erat, occultis nunciis monuissent, concitatæ plebis furori se quamprimùm subduceret. Periculo intellecto Dux per urbis mœnia furtivè egressus, in Starenbergam arcem Neostadio vicinam, satis, ùt ea ferebant tempora, munitam, evasit.

Nè communi consilio arma adversùs Tyrannum ordines corriperent, nondum eluctatæ è suis malis Provinciæ, patriæ amor, & corrivatæ tot prædis in unum principis ærarium pecuniæ obstitere. Unica in Cæsare spes supererat, qui immedicabili ceteroquin malo suprema authoritate remedium afferret. Omnium utriusque reipublicæ procerum nomine literæ expediuntur, Ducis adversùs rempublicam, & privatos perperam acta minutim perscribunt. His pondus longè maximum mater Theodora adjecit, quæ bonis omnibus exuta à filio, carceres non evaserat, nisi properatâ in Bohemiam fugâ libertatem furata propemodum fuisset. E Regis consilio in aulam Imperatoris profecta lachrymis, & quod supra has est, materno nomine causam suam animorum motu incredibili egit. Cæsar etsi querelas justas, verásque, & FRIDERICUM pœnâ dignissimum agnosceret, tamen quòd in ipsum suo genio propensior, & Leopoldi Patris merita recurrerent, lenioribus primùm verbis dehortari. His frustra consumptis acriores objurgationes addere. Operam demum suam toties ludi impatiens, ad dicendam coram Imperij senatu causam evocare, alia ex aliis loca, quibus se sisteret, offerre. Cùm nè sic quidem contumacia frangeretur, Augustæ comitia coguntur. Ex ordinum sententia Cæsar pronunciat. Jam nunc insignia Ducis FRIDERICUS ponito, Provinciis ad eum diem suis excedito, si tergiversari ausit, Imperij armis adigitor.

A Cæsare corripitur.

Exautoratur.

Cetera ejus delicta.

Partem porro duntaxat criminum ſuprà delibavimus, plura & atrociora, quibus ſibi rigidiorem ſententiam extortam teſtatur, literis ad Wenceslaum Bohemiæ Regem datis hunc in modum recenſet. Præter voluntatem Cæſaris Ungariam hoſtiliter ingreſſum Regem irritâſſe, ut is in Imperij fines irrueret, ad pacta Imperij Majeſtate indigna adigeret. Regem Bohemiæ, Magdeburgenſem, Patavienſem, Ratisbonenſem, Brandeburgenſem, Friſingenſem Epiſcopos, Bavariæ ducem, & Moraviæ Marchionem iniquè juribus & proventibus, quibus per Auſtriam, & Styriam fruebantur, ſpoliâſſe; quin & Theodoræ matri annuum cenſum, & omne vitæ ſubſidium intervertiſſe; illi carceres, illi ubera, niſi fugâ ſibi conſuluiſſet, ſecturum impia & belluina crudelitate minatum. Tum quæ in ſe peccaverit, Cæſar ſubjungit. Quòd, cùm honori Ducis id daturus per Styriam (anno nempe trigeſimo quarto) iter faceret, mille pondo exigere non dubitârit, cauſatus tantum ſibi nummorum neceſſarium, quibus Bohemiæ & Hungariæ bellum inferret. Rejectis, ùt par erat, poſtulatis ferociter reſpondiſſe, nè ſe, ùt antehac, ſerviturum Cæſar expectaret. Quòd cum Mediolanenſibus tacitè conſpirârit, inſidias vitæ ſtruxerit, Pontificem adversùs Cæſarem concitârit; ad hæc ſeniorem Montanæ, Aſſaſſinorum, ùt vocant, principem magnâ pecuniæ vi oblata in cædem, dum Imperator bellum in Styria faceret, conduxiſſe. Caſtra quædam ſibi ultima voluntate à quopiam donata Ducem violentè occupâſſe. Ravennam, Aquilejam, Moguntiam, Auguſtam, tum ad celebranda comitia, tum ut crimina, quæ objiciebantur, dilueret, evocatum, etſi primùm ſe venturum ſpoponderit, nunquam paruiſſe. Quosquos Cæſaris & Imperij clientes nôſſet, indignè tractâſſe. Legatos ſuos in Auſtriam ad cognoſcendam cauſam miſſos contumeliosè habuiſſe. Alios à Duce Boſniæ ad Imperatorem honoris causâ expeditos, muneribus, quæ ferebant, ſpoliâſſe. Verbo, quidquid per ſummam licentiam libuiſſet, ſemper feciſſe. Iſtud demum velut coronidem, & quo ultimam flagitiis manum impoſuiſſet, extremum ſubjungit: Marchionem Miſniæ, & ſororem Conſtantiam in toro conjugali compoſitos prima nuptiarum nocte aggreſſum; ne inde ſurgerent, detinuiſſe, donec doti renunciarent. Marchionis etiam comitibus minatum carceres, niſi in eadem verba jurârint, inſuper habito, quòd Sacramento ſecuritatem hoſpitibus addixerit, de dote, ut quid remitteretur, nunquam petiturum, eâdem religione ſpoponderit.

Prævidebat equidem Cæſar FRIDERICUM, ſi vis abeſſet, parùm verbis movendum; non priùs adeò pœna per Auſtriam publi-

publicata, quàm accincti ſtarent, qui curiæ ſententiam armis fulcirent. Eam Provinciam Wenceslao Regi Bohemiæ, & Ottoni Duci Bavariæ demandat, quibus neminem ardentiùs in ruinam FRIDERICI incubiturum non vanè ſperabat, quòd privatis quisque injuriis exacerbati dudum vindictæ imminebant. Bavaro Rudiger Patavienſis, Eckbertus Bambergenſis, Sigefridus Ratisbonenſis Epiſcopi ſe junxere; cum Burchardo Duce Carinthiæ Bertholdus Patriarcha Aquilejenſis, Eberhardus Salisburgenſis Archiepiſcopus advolant. Eadem die, & penè horâ, ceu dato ad aſſultum ſigno in Auſtriam diverſis viis irruunt, alia omni parte claſſica perſtrepunt, latè cædes, incendia, undique terror ſpargitur; populo, ut ferè accidit, errata Principis adeò acerbè luente, ut peccare adhuc FRIDERICUM, quàm ſic plecti maluiſſet. Prima ferè Vienna deditionem fecit, elato è Principe Urbe defectionis vexillo certatim minoris nominis oppida ſe victorum arbitrio permittunt. Lincium à Duce Bavariæ, & Rudigero Patavienſi nequicquam omni vi oppugnata fortiter reſtitit.

Cæſaris Duces occupant Auſtriam.

Inclinato jam anno Cæſar ipſe copias ex Italia in Styriam deduxit (an eò usque illa à vi immunis extiterit, an Carinthi, & Sociorum armis delibata, non meminere annales) loca munita permulta vi expugnata, alia deditione in fidem recipit, pleraque munimentis exuit, Proceres ad dicendum Sacramentum ejurato FRIDERICO alios volentes evocat, alios adigit, atque convitium Duci facturus, uxorem ejus abducit. Subactâ Styriâ Viennam tetendit hiemem ibidem cum Theodorico Trevirenſi, Sigefrido Moguntino Antiſtitibus, Burchardo Duce Carinthiæ, Henrico Landgravio Thuringiæ aliísque primatibus exacturus. Mox ad ordinandum rempublicam manus admovet, Ducatum Auſtriæ, Styriæque ad Imperij ditionem adjungit, Viennam Civitatem liberam pronunciat. Illi, & univerſæ Auſtriæ Eckbertum Bambergenſem Belæ Regis Hungariæ avunculum, Ottonis Meraniæ Ducis filium, Bertholdi Aquilejenſis Fratrem præficit, Virum ſtrenuum, & belli artium cum primis gnarum, eodem adhuc anno obiturum. In curarum partem adeſſe juſſis comitibus de Henneberg, & Conrado Burggravio de Nurenberga, Conradi curæ ſingulariter Viennam adversùs FRIDERICI molitiones cuſtodiendam committit, & præſentium Imperij ordinum opportunitate uſus filium Conradum natu minorem Germaniæ Regem deſignat, exautorato Henrico, quem perduellionis reum jam biennio carceri mancipatum tenebat. Rebus hunc in modum compoſitis Paſcha Ratisbonæ celebraturus; An. MCCXXXVII. diſceſſit.

Styriam Cæſar.

Venit Viennam.

Fridericus Dux Neostadij se continet.

FRIDERICUS ad primum imminentis tempestatis nuncium caput procellæ subtraxit; nè spem tamen omnem abjeciſſe, aut causam ipse suam destituere videretur, in vicinam Viennæ urbem Neostadium se cum fidissimo quoque includit, unde è propinquo sese iis, qui adhuc in fide perstiterant, ostentaret; tum ut periculi communione sponte susceptа magis amicos obstringeret, tum, ut remittente tempestate promptior ad erigendam fortunam accurreret. Nec FRIDERICI latebræ, nec consilia Imperatorem utique fugerunt. Cur ab urbe adeò vicina, & inimica arma abstinuerit, non reperio: An quòd tacitè adhuc FRIDERICO faveret, & depressum ad tempus potiùs vellet, quàm perditum? an rei sum̃am eripuisse contentus nil pensi haberet, exiguam vastæ ditionis laciniam à Duce teneri, nec longioris obsidionis metu copias atterendas duceret? cùm ominari non ex vano posset, pauca, quæ supererant, ceu ultimas spei tabulas mordicus retinendas, quas ex immani naufragio extulisset. Præter Neostadium, & quòd suprà diximus, Lincium Medlingam, ùt Starenbergam arcem, in potestate FRIDERICI mansisse Fuggerus refert. E Dynastis, qui proscripto adhæsere, fuisse Bertholdum de Treun Mareschallum, ùt vocant, Gundackarum de Starenberg, Ortolfum de Volckenstein, è literis FRIDERICI Neostadij Idus Novembris Anno XXXVI. datis compertum habemus.

Episcopis insidias struit.

Quietè hactenus, & modestè intra muros FRIDERICUS agebat, in rei bene gerendæ occasionem intentus, quam non multò pòst nimia Præfectorum Austriæ fiducia obtulit. Fortè Neostadium versùs Rudiger Patavienſis, & Conradus Frisingenſis abierat, itineris causâ colloquium in ea regione cum Styriæ Proceribus, & Aquilejenſi Patriarcha indictum. Securitatis ergò Nurenbergicus validam militum manum profecturis addiderat, ipséque ducebat, FRIDERICI copiolis decuplo superiorem, virtuti etiam parem futuram, nisi pro ararum, focorúmque recuperatione pugnantibus rabies vires humanis ferè majores addere consuevisset. Re per exploratores cognita è latebris suis FRIDERICUS cum Alberto de Bogen, quem pridem in suppetias advocârat, prorepit, militem opportuna in statione locat, sylvulæ & tumuli interjectu absconditum, reversuros à colloquio Præsules præstolari alto silentio jubet, donec signo ab se edendo evocarentur. Ipse interea tum per se, tum per exploratores regredientium iter observat; dum locum insidiarum præterveherentur, studiosè quiescit, quo majorem terrorem repentè à tergo imminens afferret, jámque per campum, Steinfeldam dictum, incedebant, cùm suos prorumpere imperat admissis illico equis, sublato clamore, & edito è concussis armis fragore maximo tanto impetu

petu feruntur, ut hosti vix tantum moræ relinquerent, qua frontem converteret, minùs in qualemcunque aciem se componeret. Momento totus ille comitatus interfectis paucis dissipatur; Nurenbergicum cum plerisque militum fuga abstulit. Ambo Præsules multíque nobilium in manus Friderici venere, præda vel eo nomine maxima, quòd ex ea amplioris non multò pòst secuturæ fortunam pendere Dux putaret. *Et capit.*

Nec ex vano; ùt Episcopos, Procerésque Neostadij captivos detineri vulgatum est, passim oppida celeri deditione occupare victoris gratiam concertant; universa Austria se Duci submittit. Cæsar de prosperis Friderici successibus edoctus, hinc Styros in Austriam immittit, inde gravi mandato nobilibus imperat, Comiti Ebersteinio se quantocyus, copiásque sociarent, omni ope progressiones Ducis sisterent, tum jam occupatis depellerent. Fridericus, ùt excelsitate animi erat ad temeritatem propior, primùm in Styros movet, quibus levi negotio intra montes suos retrusis, Tulnam advolat, quò adventâsse sub Anni XXXVIII. autumnum Ebersteinium cognôrat, eâdem, qua nuper felicitate usus memorabili clade fœderatos profligat, aliis aliò fugâ dilapsis Ebersteinius Viennæ se injicit. *Oppida Austriæ recuperat.* *Styros profligat.* *Et ceteros fœderatos.*

Nihil ea urbs aut Austriæ universæ exemplo mota, aut Friderici fortunâ territa, una adhuc jugum detrectârat; adeò altè injuriarum memoria insederat. Metus etiam ipsâ hac morâ accrevit, qui & multos Procerum ab eo consilio absterrebat, nè pertinaciam Fridericus iræ, ùt experti erant, immodicus, acerbiùs ulciscereturj nec de concepta semel ferocia remisere quidquam cives, etsi diuturna jam obsidione muros Fridericus verberaret, annonæ inferendæ spem omnem præciderit; postquam cellas penarias exhausissent, canes, aliáque obscœna in alimentum verterunt, sed demum famis acerbitas deditionem persuasit ratis, si quid etiam truculentius victor statuisset, mollioris lethi genus esse ferro cæsum citò emori, quàm famentem diu se mori sentire. Præter spem humaniter Cives Fridericus habuit, suo nempe jam malo eruditus, severitate immodica populum in breve quidem tempus à scelere, in longum à Principe alienari. Viennâ expugnatâ in potestate Austria erat; nondum tamen debellatum, nondum Ducis dignitas recuperata, donec integra Cæsaris sententia staret. Is non ignarus eorum, quæ Fridericus absente se egerit, hactenus dissimulavit potiùs, quàm probavit, cùm Longobardi, & Pontifex plus satìs negotij in Italia facessèrent, ut adeò curas, copiásve in Austriam extendere non vacaret. Multa nihilominus Friderico obtinendæ veniæ spem affirmabant. *Viennam fame domat.*

Cæsar in Fridericum pronior.

Præsules, quos captos suprà ad Neostadium meminimus, liberaliter habitos FRIDERICUS eodem adhuc anno dimiserat, eáque humanitate devinxit, ut operam suam prolixè addicerent, & stetere promissis. Rudiger vadum pertentaturus mox anno trigesimo octavo se ad Cæsarem contulit, quem in castris Brixinæ obsidione intentum offendit, reperítque jam utcunque suápte mitigatum, tum, qua valebat, facundiâ multò placatiorem Duci reddidit; adjunxere subinde optimatum alij preces, quas Margarita FRIDERICI soror, Cæsaris nurus, cumprimis fulciebat. Visum præterea fuit è dignitate non esse pœnæ insistere, cujus præter vanum nomen reliquum FRIDERICUS nihil feciſſet. Quò enim titulus Ducis negaretur ei, qui potestatem recuperavit? cùm vires desint, quibus redigatur in ordinem, recipiendum in gratiam, nè invito Cæsare imperare videatur; è venia etiam laudem clementiæ accessuram. Unà Imperatoris plurimùm intererat suis partibus Austriacum asseri, qui in utramvis partem se daret. Magnum momentum allaturus eo tempore putabatur, quo omni studio Pontifex ad defectionem Germaniæ principes adversùs Cæsarem solicitabat, & reapse jam magnam ab Imperatore gratiam hac de causa inierat.

Occasionem præceps Alberti de Beham severitas præbuit, is Pataviæ multis annis versatus, inde à Rudigero, nescio cur, ejectus Romam adiit; quòd virum sedis Apostolicæ studiosum Pontifex accepisset, in Germaniam anno trigesimo septimo remittit, Legati potestate & mandatis instructum, excommunicationem FRIDERICI Cæsaris ut publicari procuraret. Venienti Otto Bavarus Landishutæ hospitium concessit. Missio inde ad Salisburgensem, & Patavienſem antistites tabellione pro potestate edicit, Austriacum, quòd arma cum Bohemo in Cæsarem expedire nollet, fidelium cœtu moverent; cùm se difficiles præbuissent, novum mandatum à Pontifice obtinet, nî extemplò præsules pareant, iisdem pœnis obedientiam exsculperet. Mox Albertus nullo discrimine in omnem partem fulmina intorquet. His Salisburgensis, Patavienſis, inferioris ordinis præsules, aliíque nobiles afflati: eædem diræ & in FRIDERICUM decantatæ. Tribus è Teutonico ordine, totidem Abbatibus, quinque sacerdotibus ab Alberto imperatum, feralem sententiam per Austriam vulgarent. Sed nempe ùt pœnarum etiam levium horrorem insolentia aggerat, ità frequentia vim asperrimarum enervat. Contemptum pro obsequio reddidere plerique. Rudiger velut in Ecclesiæ hostem sacrâ militiâ legiones initiat, Albertus scriptas adversùs Pruthenos copias opponit. Salisburgensis & Austriacus Cæsaris Faventiam obsidentis opem querulis literis implorant: his denique

Fridericus excommunicatur.

Conciliatur Cæsari & dignitati restituitur.

que conatibus effectum, ut Otto Alberti partibus renunciaret, Ratisbonenſibus Comitiis Albertus Bavariâ excedere juberetur, FRIDERICO Duci adempti nuper tituli, & dignitas anno quadrageſimo redderentur.

Num inita hoc anno amicitia Ducem inter & Cæſarem ad obitum illius conſtiterit, non perinde aſſeruero. Brunnerus nobilis Bojorum Annalium ſcriptor dubitat, Fuggerus affirmat, Hundius abdicatis Cæſaris partibus Pontifici ſub annum quadrageſimum quartum adhæſiſſe contendit. Innocentij Papæ per id tempus benevolentia, Imperatoris in FRIDERICUM beneficia eam controverſiam in annalibus ſuſcitârunt. Litigantium argumenta, quoniam FRIDERICI hiſtoriæ partem faciunt, adduxiſſe non omiſero, arbitrari lectori fas eſto. Binas, ajunt, FRIDERICUM literas ad Innocentium dediſſe, alteris ſignificâſſe prodigia, quibus eâ tempeſtate Divus Colomannus inclaruit: alteris poteſtatem erigendi in Auſtria Epiſcopatûs, quò ejusdem Divi exuvias transferret, poſtulâſſe; totidem Epiſtolas repoſuiſſe Pontificem: alteram VI. Idus Majas anno quadrageſimo quarto, ſequente alteram VIII. Idus Martias, utramque ſolita benevolentiæ ſignificatione conſcriptam; iis FRIDERICUM dilecti filij nomine compellatum, in neutra alieni animi indicium legi. Poſtremâ quidem nil, ùt eventus docuit, impetratum; Abbates tamen S. Crucis, Zwetalenſis, & Runenſis juſſi diſpicere, an è re Eccleſiæ & Provinciæ videretur. Primâ verò Epiſcopo Paſſavienſi Imperatum, Sancti Colomanni diem ſacro ritu per Auſtriam ſtata quotannis die celebrari curaret.

An Fridericus Conſtanter Imperatori adhæſerit?

Alterum eſt, Ducis in Albertum de Beham propenſio: orta inter FRIDERICUM & Rudigerum Patavienſem ſimultate, quod Epiſcopus prædonibus de Waldek faviſſe crederetur, caſtrum Eberſperch, & arcem Obernbergenſem ditionis Patavienſis Dux anno quadrageſimo quarto occupârat; illo vi expugnato & everſo, Obernbergam deditione Henrici Waldecij acceptam amplius muniit, annona & omni defenſionis apparatu abunde inſtructam comitibus de Schaumburg, Bernardo & Ulrico ea lege conceſſit, ut inde Bavariam eruptionibus infeſtarent, Alberto tutum receptaculum adversùs Bavari inſidias præberent; cui mox operam egregiè navârant, obſidione caſtri fortiter in ſesquialterum menſem tolerata, & Ottone re infecta abſcedere coacto. Tertium eſt, Gertrudem ex fratre Henrico neptem expetitam ab Imperatore Sponſam aſpernatam Auguſtum conjugium, niſi pacem cum Eccleſia feciſſet. Ductam nimirum patrui exemplo Gertrudem exiſtimant. Adhæc præter Duces Saxoniæ, Bavariæ, Brabantiæ, Colonienſem, Moguntinum, Salisburgen-

Friderici cum Patavienſi diſſidium.

sem Archiepiscopos, appellatum etiam ab Innocentio FRIDERICUM: latam in Cæsarem anno quadragesimo quinto excommunicationis sententiam tueretur, dejectóque subrogari quantocyus alterum urgeret. At eodem planè tempore ducentos lectissimorum equitum Veronam FRIDERICUS adduxerat, Cæsari adversùs Longobardiam magno auxilio futuros. Vicissim ab Imperatore, quæ concessa aliàs Ducibus Austriæ, novis literis firmata; potestas insuper FRIDERICO tabulis mense Junio anno quadragesimo quinto Veronæ traditis facta crucem coronæ regiæ desuper inferendi; hoc ornamento Archiducem Austriæ creatum fuisse Brietio persuasum est. Simillimum adeò vero est, FRIDERICUM dexterè amicitiam Cæsaris ad rationes Ecclesiæ attemperâsse, ut nè Innocentius hostem sentiret, nec se neglectum Imperator quereretur.

Veronam copias Cæsari adduxit.

Restitutum pristinæ dignitati Ducem hostium classica nunciârunt, familiaria nempe regnantis FRIDERICI indicia. Primus anno quadragesimo primo populabundo agmine Bohemus irruit: Ducis avaritia & levitas hostem accersiit. Ducatu nuper à Cæsare exutus, Regi se Austriæ partem, quæ ultra Danubium sita, cessurum receperat, si in veteres titulos reponeretur; an duntaxat, ut quiesceret, an ut auxilio adveniret, pactus à Rege sit, scriptum non reperi. Nunc Bohemus operæ suæ pretium armis repetebat. Cùm fidem liberare Austriacus non cunctaretur modò, sed civitatem Laha Bohemorum præsidio ejecto, civium proditione interceperit. Hiemis inclementia, & intuta à Ducis milite hiberna bellum abrupere. Wenceslaus in Bohemiam reverti compulsus pacem haud gravatè ea conditione admisit, ut juri, quod nuperna stipulatione in Austriam obtinuit, renunciaret, si filio suo Uladislao Gertrudis FRIDERICI ex Fratre neptis nuptui traderetur, consilio sanè quæstuosissimo, quo exiguam terræ portionem nondum possessam ad tempus negligebat, ut in totam, quà latè patebat, Austriaci ditionem sui sanguinis hæredem aliquando immitteret. Pacem diuturnam inquies haud dubiè FRIDERICI animus esse non sivit, nam à quo hostilitati initium, causæve datæ, Chronicon Australe non memorat. Pugnatum semel iterúmque fuisse, compendio hunc in modum refert. Reducem ab Hungarico bello trajecto Danubio Ducem signa in Moraviam anno quadragesimo tertio vertisse, appropinquante cum valida manu Wenceslao in Austriam revolâsse, meliori eventu Anno quadragesimo quinto ad Styriam pugnavisse, victum prælio Bohemum; Ulricum Carinthiæ Ducem, multósque nobiles è fuga in captivitatem retractos.

Bohemi Austriam invadunt.

Paciscuntur.

Sed

Sed antequam ista evenirent, bello universa Hungaria conflagrârat, è busto adeò vicino facilè in Austriam delatæ scintillæ, quas in luculentum incendium, & suam demum perniciem FRIDERICI cupiditas irritârat, è veteris æmuli ruina compendium quærentis. Bellum Hungariæ longè funestissimum, quantum ad FRIDERICUM attinet, brevi narratione perstringemus; cladem, qua nunquam propiùs exitium florentissimum regnum admotum est, si tamen tunc abfuit, passim Historici deplorant. Nobilissimæ urbes eversæ, concisi exercitus, opibus & incolis evacuatum, quantum erat, Regnum redactum in solitudinem, exulare Rex compulsus. Si, quæ Dubravius aliíque referunt, vera sunt; non aliud facilè regnum fœdior calamitas afflixit: narrant reducem è Dalmatia regem vix tantum hominum numerum reperisse, qui in qualemcúnque exercitum sufficeret. Cùm alimentorum nihil supereſſet, canum, catorum, ceterorúmque animalium, quæ communis naturæ horror à mensis removit, cadavera propè in deliciis fuisse, quin cæsorum à Tartaris hominum cadavera avidè conquisita, & humanas passim carnes venum prostitisse. Feras quotidiano ejusdem carnis gustu allectas, in vivos etiamnum præter morem in siluisse, discerpsisséque. Jumentorum defectum pensâsse homines, jugóque in collum impositò, currus & aratra per vias & agros egisse. Strages ea edita à binis crudelissimis gentibus, Cumanis, & Tartaris. Iis nuper rogantibus Bela indulserat, ut domicilia figerent; horum quinquies centena millia Dux Bathus anno quadragesimo primo infudit, proculcatâ herî Austriâ, & Poloniâ superbè feroces. Quibus se Cumani ex unius anni hospitibus effecti hostes junxerunt. Vel vicino periculo, vel à Rege, vel innata bellandi rabie excitus FRIDERICUS accurrit, obsessúmque in castro quidem Cutenum Cumanorum Regem eò desperationis compulit, ut, nè vivus in hostis potestatem veniret, duabus primùm Reginis, tum aliis comitibus interfectis, viscera suis ferrum immersérit. Narrant tamen alij Cutenum ab Ungaris è fenestra in præceps datum, quòd Tartaros ab eo invitatos suspicarentur, eáque cæde Cumanos irritâsse.

Bellum in Hungaria adversùm Barbaros.

Auxiliares Fridericus adducit.

Inde Pestinum Tartarorum consilia exploraturus abiit, ubi post cæsas ad regni fines Palatini, & altero prælio Hugolini Colocensis præsulis copias munitis castris se cum exercitu Bela incluserat. Hostem, si sors ferret, tota acie aggressurus. At profligato ad Sajum fluvium propè Agriam Colomanno Regis fratre, de summa rei desperare continuò Ungari, milites fœdâ fugâ in sylvas montésque dilabi; Bela copiis nudus in Austriam profici-scitur, specie Reginam, quam non ita pridem præmiserat, consolandi, reipsa, ut securitati consuleret. Advertit haud dubiè

Bela in Austriam fugit.

is metus FRIDERICUM, Regem prolixa honoris ſignificatione excipit, omni officiorum genere dolorem mitigat, hísque blandimentis abſterſa ſuſpicione miram credulo fiduciam ingenerat. Donec in inſidias pelliceret, ab hoſpite ſui nimiùm ſecuro haud gravatè impetrat, ſecum in arcem quandam Auſtriæ munitam animi causâ abiret; ùt intra muros receptus, tum demum ſed ſerò ſe deceptum Bela ſentit. Poſitâ larvâ FRIDERICUS hoſpitem aggreditur: meminerit ſe haud ita pridem per iniquam violentiam (tempus deſignabat) provincialibus Auſtriæ tributum imperâſſe, pecuniæ ſummam non ſpernendam extorſiſſe. Si liber abire velit; jam nunc nummos redhibeat, in poteſtate ipſum ſe ſua cernere, è qua alia conditione exitum non ſperaret. Quid faceret actus in caſſes Bela? Fruſtra Dei, hominum fidem implorat, fruſtra ſacroſancta hoſpitij jura violari inclamârat. Æris tantum, quo Ducis cupiditatem expleret, non ſuppetebat, mundum Reginæ muliebrem, vaſa aurea mille argenti libris æſtimata tradit. Cùm hæc nondum poſtulata FRIDERICI æquarent, tres Ungariæ comitatus poſſidendos tranſcribit, pretioſum denique juxta, atque infidum hoſpitium ſerò deteſtatus, in Dalmatiam cum conjuge proficiſcitur.

Fridericus Regem detinet.

Avaritiam, non item veteres, quibus in Hungariam dudum æſtuabat, FRIDERICI iras Bela explevit. Rege digreſſo, quæ adhuc intacta à Tartaris, Hungariæ regionem cis Danubium ſitam milite & omni malorum genere inundat, Jaurinum non multò pòſt amittendum expugnat. Si Cromero fides, eam crudelitatem in ædes, homines, quaquà ferebatur, exercuit, ut qua parte nunc FRIDERICUS, quà nuper Tartari ſævierint, è locorum quidem ſitu, non item è veſtigiis dignoſceres; ut non mirum à Batto Tartarorum Rege ad armorum ſocietatem invitatum, ea tamen lege, (quâ non receptâ nullius legationem Barbarus admiſerat) ut ejurato Deo nulli facturum ſe vitæ veniam voveret. Quoniam, utì par erat, non audiretur, efferæ belluæ Auſtriam invadunt. Viennæ? an Neoſtadio? (Matthæi Pariſij obſcurior narratio dubitare cogit) ſe circumfundunt. Accurrit FRIDERICUS milite alioquin inſtructus, commiſsóque feliciter prælio urbem imminenti ruinæ eripit; prodigij inſtar habitum, innumerabilem multitudinem exigua manu non obſidione modò depulſam, ſed & extra Germaniæ fines ejectam.

Hungariam infeſtat.

Vincenti in Auſtria, alibi pernicies parabatur. Irâ, & dolore turbidus nuper à FRIDERICO Bela receſſerat. Triſte otium, longum exilium, fœda regni facies eas nubes indies glomerabant, qua parte tempeſtatem effunderent, non ambiguas. Ut Tartarorum profectio tutum in Hungariam reditum indulſit, è Dalmatiæ

Bello impetitur ab Hungaris.

matiæ latebris in ſolium, & vindictam adversùs FRIDERICUM Bela anno quadrageſimo tertio refertur; niſi fors oſtentatio illa tantùm armorum, & potentiæ nondum penitus à Tartaris protritæ fuerit. Nullo telo emiſſo, cùm utriusque exercitus in conſpectum veniſſent, pax concluditur, aut in commodius tempus bellum differtur, quod tribus pòſt annis recruduit. Bela interea in ordinandam rempublicam, & belli apparatus ſtrenuè incubuit, FRIDERICUS nunc in Bavaria, nunc in Longobardia pro Cæſare, ùt ſupra meminimus, pugnabat. Ex Italia reverſum jam paratus Ungarus præſtolabatur. Atque ſive res fortuito acciderit, ſive ſcenam ad incutiendum terrorem ſtudiosè compoſuerint, eodem die tres feciales advolant; à Bohemo, Bavaro, & Ungaro: bellum præ foribus propediem futurum. Ad Trojanos lu- *Pugnat.*
dos invitatum, aut periculum ad FRIDERICUM non pertinere crederes, adeò triplici illa denunciatione nihil commotus convivium, cui tum cum hoſpitibus aſſederat, eadem frontis hilaritate inter jocos & ſales ad finem perducit; militum ſupplementis legi juſſis ad Leitham Belæ obviat, Neoſtadio non procùl pugna conſeritur. FRIDERICUS inter primos ordines generoſo equo ſublimis in hoſtes fertur. Quocunque agmen raperet, ſtrage latè edita viam aperit, non animis, non pedibus Hungari, & his miſti Cumani conſtitere. Parta erat Victoria, hoſtibus concitato curſu in fugam effuſis. Inconſultus FRIDERICI ardor lætitiam corrupit, dum *Occiditur.*
à ſuis ſejunctus longiùs, fugientes inſequitur anno quadrageſimo ſexto Die XV. Junij lanceâ ſecundùm oculos ſauciatur, & equo dejectus trucidatur, ſerò iis, qui caſum Ducis ſpectârant, etſi admiſſis habenis volarent, in auxilium advectis. Dubitat tamen Stero, an non ab amicis interfectus. Quin ſunt, qui ſcribant, à Dynaſta de Pottendorff, cujus ſororem violârat, inter venandum injecto in collum equi freno præfocatum, & gladio trajectum; ejus rei monumentum in Campililienſi cœnobio exſtare, ubi adjectum ad FRIDERICI effigiem, frenum & funem vetus tabula exhibeat.

Mors FRIDERICI audita civibus, nec dolore multùm ægris, nec infelicis casûs inſolentiâ attonitis; quis enim aliud lethi genus ominaretur, cui vivere rixari fuit? Reſtitutus in dignitatem ab injuriis quidem civium abſtinuit, curâ tamen juſtitiæ à laude clementiæ longiùs cedere videbatur, & plerosque inexorabili rigore offenderat. Cadaver ad Sanctæ Crucis in Auſtria conditum eſt. Morienti liberi è duabus uxoribus, ſi fortè ſuſcepti, nulli tamen ſuperſtites. Perpetuum cum neutra conjugium coluit. Primam ignoti nominis, & dubiæ etiamnum ſtirpis (Mariæ Belæ IV. Ungari uxoris ſoror, Laſcaris filia putatur) anno vigeſimo *Geminâ ejus divortium.*

sexto ductam post triennium dimisit, ab hac cum Agnete Ottonis Meraniæ Ducis filia in manus anno vigesimo nono convenit, Anno quadragesimo tertio Frisaci in Carinthia repudiavit. Ab illa quidem volente patre secessit. Sacrilegum fuisse istud divortium, Leopoldi pietas suspicari vetat. Illicitum Chronicon Australe appellat, fortè quòd sacri tribunalis sententiam anteverterit. Causa, si conjicere licet, sanguinis nexus exstiterit, quo Theodora mater originem à Græcis ducens FRIDERICUM sponsæ illigavit. Alterum præsentibus Eberhardo Salisburgensi, Seccoviensi, Lavantino, plurimisque aliis præsulibus peractum Rudiger Patavienſis probavit, nec severius aliquod decretum à Papa in Ducem legitur, etsi Romanæ sedis authoritatem Agnes implorârit. Theodora mater octavo post filij mortem die dolore contabuit. Cum FRIDERICO universa Babenbergicorum gens illata tumulo, postquam trecentis annis Austriæ, quatuor supra medium seculum Styriæ imperâsset.

Theodora mater moritur.



OT-


OTTOCARUS
II.
Emitur Sola Virtute potestas. Claud.
Christ. Dietell sculpsit Gravey.



OTTOCARUS II.
DUX STYRIÆ V.

MInus sibi à Friderico vivo, quàm mortuo, malorum illatum continuò cives sensere. Defuncti sine liberis hæredem neminem non vicinorum Principum ambitio scripsit; lautum adeò patrimonium studia in immensum accendebat; hinc Bavariæ, & Carinthiæ Duces, illinc Hungariæ, Bohemiæque Reges, aliique imminebant, nec Cæsare inter Candidatos nomen profiteri dedignato. Alij hæreditatem necessitudinis jure repetere, alij, nè color cupiditati deesset, prensatis studiosè Austriacorum connubiis seriùs in gentem Austriacam, non segniùs in spem immigrare; alij largitionibus, armis alij sibi jus conficere; nulli visa iniqua ambitio, quòd tanta esset hæreditas, ut captari mereretur. Principum ambitionem proceres divisis studiis, prout quemq; utilitas traheret, sustentabant, ipsæ adeò inter sese in partes sciissæ Provinciæ, alternis militum grassationib⁹ fœdè habebantur, & quem aliquando dominum habere cogerentur, sæpius ante hostem sensere: potentiores ceteris Hermannus Marchio Badensis, OTTOCARUS Bohemus, & Bela IV. Ungarus fuere. Quid quisque egerit, quibus nixus rationibus ad Provinciarum regimen aspirârit, nunc ennarrandum: scio Ducibus Styriæ accenseri à multis Hermannum; atqui illius imperium intra desideria duntaxat constitit. Nec Stephanum Styriæ imperâsse ignoro, sed brevis admodum temporis imperium, interrupto tantisper OTTOCARI regimine, obtentum, & historiæ ejus innexum, una narratione concludendum putavi.

Provinciarum Austriæ & Styriæ candidati.

Primus hæreditatem sibi deberi Hermannus Badensis uxoris nomine contendebat. Ea Gertrudis erat Friderici ex Fratre Henrico Medlingensi, *Crudeli* dicto, neptis. Marito primo Uladislao Wenceslai III. Bohemiæ Regis filio, Moraviæ Marchione, octavo post nuptias mense Anno XLVII. extincto, altero anno in Badensis torum concessit. Hermanni vòtis Bohemi, & Hungari armata intercessione obstitere. Sed præ his indigenæ proceres Austriam crudeliùs lacerabant, quos diversorum principum amor in patriam non armavit tantùm, sed efferavit. Fridericus Cæsar possessas fiduciario jure provincias sibi vendicabat, & Ottonem Comitem Eberstеinium Styriæ Austriæque Præfectum jussit. Opportunum Hermanni rebus accidit Imperatoris cum

Innocentio diſſidium. Effecerat Papa denique, ut Anno XLVI. Friderico diris devoto, exclusóque Conrado filio Henricus Thuringiæ Landgravius Rex Germaniæ diceretur, filium Thuringus in Germania, cruce ſignati in Italia Patrem armis opprimerent. Adversùs hos cum Saxone, Bavaro, Miſnenſi Auſtriaci, Styríque nobiles ſuppetias Anno XLVII. Friderico venere. Eberſteinius, quemadmodum diſceſſum Friderico excuſabat, hoſtibus impar, revera ut dominationem nepoti impetraret, ad Cæſarem Veronam abiit. Magnum etiam ad rem conficiendam præſidium Bavarus attulit; quamvis enim initio iisdem, quibus Hermannus, ſtudiis teneretur, at cùm duobus Regibus aut volentibus, aut invitis obtinere quidpiam deſperaret, in Hermanni partes ſe dedit, rivalem, qui parte contentus eſſet, amplexus præ illis, qui totum prenſabant. Hac occaſione & viribus uſus Hermannus Viennâ, aliísque Auſtriæ infra Onaſum urbibus potitur. Gertrudis abſtracto à Friderico Cæſare marito, eidem, Auſtriæque nuper ſacris interdictæ Papam conciliârat; ſed ejus tum benevolentia major, quàm vires. Literis Lugduni Idibus Februarij Anno MCCXLIX. datis à Guilielmo Hollandiæ Comite, electo Germaniæ Rege, pro Hermanno flagitârat, curaret, ut in totam uxoris hæreditatem mitteretur.

In Styriam, ùt maximè vellet, penetrare nunquam potuit. Proceribus à Badenſi alienis, Friderico Cæſari addictis. Nè Badenſis digreſſo nuper Eberſteinio huic ſpei propinquior immineret, Legatos, quibus ſe Auſtriaci aliquot Hermanno infenſi junxerunt, in Longobardiam miſerant petituros, ut alium quantocyus Præfectum nominaret. Amborum poſtulatis Cæſar poſt anni moram demum ſatisfecit, Auſtriâ Ottoni Bavaro, Styriâ Mainhardo Comiti Goritienſi parere juſsâ. Nec longiùs Hermannus imperavit, quàm latiùs. Expleto vixdum biennio vota illi, vitámque mors Anno L. III. Nonas Octobres abrupit; exuviæ Clauſtro-Neoburgenſi tumulo illatæ. Morienti bini cum Gertrude conjuge liberi ſuperfuere: Fridericus, & Agnes. Hæc Anno LXIII. Udalrico Carinthiæ duci collocata; ille in atrocem calamitatem ſervatus, ab Andegavenſi capiendus, Anno LXIX. die XXIX. Octobris cum Conradino Suevo Neapoli ferro carnificis, procurante cum pluribus cædem Ottocaro, caput amittet. Gertrudem non æquè aſpera, neque tamen benigna fortuna, utì mox narraturi ſumus, excipiet.

Styriæ Præfectus Mainhardus Goritienſis.

Mors Hermanni.

Ejus liberi.

Ad Hermanni mortem eodem anno Friderici Cæſaris acceſſit; qua audita Mainhardus præfecturam, & Styriam illico deſeruit. Vacuæ Rectore Provinciæ tantò vehementiùs veterum Candidatorum ſtudia inflammabant, quantò omnia quàm nuper

Mainhardus Styriam deſerit mortuo Cæſare.

per proniora apparebant. Distracto in plures factiones imperio, nihil metuendum à Cæsare erat. Fridericus puer nondum è fœminarum ministerio eluctatus. Degebant quidem in Austria binæ è Babenbergica stirpe viduæ: Margareta Leopoldi Glorioſi filia, & neptis Gertrudis. Illa mortuo in carceribus, in quos pater filium rebellem compegerat, marito Haimburgi sedem fixerat; Gertrudis defuncto Hermanno Medlingæ. Sed præterquam quòd ordines universim muliebre imperium aversarentur, Gertrudis ambitionem immodicam singillatim oderant; nam quo exclusâ amitâ Margaritâ Austriam solam obtineret, tertiò matrimonium cum Romano Russiæ Rege iniit, evocatóque in subsidium Bela universam Austriam Ungarorum populationi objecit. Sed eo demum fructu, quo omnium à se animos averteret. Romanus proceres veritus filiolâ Mariâ gravidam deseruit. Ottocarus subinde ambitiosam fœminam non sine ignominia in Feistriz relegavit. Cùm & hìc variis ærumnis agitaretur, rerum humanarum prudenter pertæsa ad alteram amitam Constantiam in Misniam se recepit, reliquum vitæ in monasterio exactura.

Ordines de Duce deligendo deliberant.

In Margaretam Ordines magìs propendebant, nisi solitudinis amore capta vidua perpetuò degere statuisset. Cui tamen proposito interceſſisse Innocentium quartum, suasisséque cum Marchionis Misnensis fratre connubium, quidam referunt. Ea nempe cura solicitum habebat Pontificem, nè si addictissima Ecclesiæ fœmina clavo dejiceretur, in Conradi factionem Austria, Styriáque, ùt nuper, deficeret. Ergo indictis Anno LI. comitiis Tulnæ utriusque Provinciæ ordines conveniunt. Communi consilio Legatio in Misniam decernitur: evocandum inde pro Margarita conjugem, aut quemadmodum Fuggerus scribit, è binis Constantiæ filiis Theodorico, & Alberto alterutrum, qui pro Margarita matertera gubernacula capesseret; Theodoricum Margaretæ in Sponsum designatum Rhoo existimat. Legationem Abbas Scotensis, Dietmarus Neoburgensis Præpositus, Conradus Eberstorffius, Udalricus Hausbachius obiere.

Legati in Misniam mittuntur.

Consilium ordinum ad Regem Bohemiæ Wenceslaum non multò pòst effluxit. Sive id à Cunringiis proditum acceperit, sive è Legatis per Bohemiam profectis elicuerit? nihil jam morandum ratus, Legatos Pragam adductos specie humanitatis diutius detinet, tum denique splendido convivio exceptos aggreditur: ecquid in mentem venerit, è Misnia tot terrarum spatiis disjuncta provinciis suis Rectorem petere? quod ab imbelli & egeno Principe, adversùs potentissimos æmulos Regem Hungariæ, Bavariæ Ducem, auxilium sperarent? irritari hac ratione hostes verius, quàm reipublicæ consuli. Nullum illos ægriùs laturos, quàm

Detinentur à Wenceslao Bohemiæ Rege.

quem tutò contemnerent. Hodie rivales, cras in prædam manus ſociaturos; deligendum hoc rerum articulo, non quem ceterà vacuum una Auſtria locupletet, qui ſolas regnandi artes, quæ ſine viribus nullæ, afferat, ſed cui Auſtriæ acceſſione non totum, ſed amplius patrimonium accreſcat; cur adeò Ottocarus Moraviæ Marchio in Auſtriæ limine, & conſpectu poſitus diſplicuiſſet? edicerent; ſibi, etſi filius non eſſet, illo videri potiorem neminem eſſe debere, arcto cognationis vinculo innexum Auſtriacis. Principem manu, conſilio promptum, belli & pacis artibus vel in hac juventute clarum, opibus abundè inſtructum, & niſi inter domeſticos Auſtriaci optent, vicinum fortaſſe ſemper metuendum. Nunc quando filius ſuus eſſet, haud paulò plus roboris Auſtriæ adjectum iri. Ampliſſimas Bohemiæ opes, lectiſſimum militem Auſtriæ commodis, & ſecuritati juratum putarent, invictas fore adversùs quemcunque hoſtem provincias, id conſequi in poteſtate ordinum eſſe. E dictis & vultu loquentis animus identidem emicabat, ipséque ſub finem haud obſcurè ſignificat: non deliberationem nempe, ampliùs ſed annutum peti, repulſam haud impunè laturum. Non dimittendos Legatos, niſi in conciliandis procerum voluntatibus operam ſuam addicerent, quam ſi pertinacia ordinum eluderet, ferro viam ad clavum filio facturum. Illi quà metu, quà benevolentiâ Regis occupati abrupto itinere viam relegunt. Bohemi poſtulata Margaritæ, & ordinibus exponunt. Non iisdem animi motibus audita à ſingulis oratio; plurium tamen, quorum alios occulta dudum amicitia, metus præſens alios Bohemo addixerat, ſententia obtinuit: altera legatio decernitur, qua Ottocarus invitaretur.

Wenceslaus filium ſuum Ottocarũ obtrudit.

Jam ante, dum vix Legati abierant, Pater filium monuerat, dignitatem, quam deferendam prævidebat, quibuscunque demum conditionibus admitteret, quas nempe, ſi è re aliquando non eſſet, violaret ſecuriùs, quàm nunc prudentiùs repudiaret. Vias, quibus duci Pater filium volebat, ſuápte is inierat. Intellecta à Legatis ordinum voluntate Viennam advolat, urbes plerasque, partim dedentibus ſe ultrò civibus, occupat, partim Auſtriæ procerum, & Patris Wenceslai armis ſubigit. Margaretam ſibi Haimburgi pronubo annulo die ſecunda Februarij anno quinquageſimo ſecundo deſponſat, donec matrimonij ineundi poteſtatem ſublato cognati ſanguinis impedimento Pontifex faceret. Nec multò pòſt Româ Velaſcus ex ordine Minorum literas à Pontifice attulit, vetitus tamen legis gratiam Ottocaro facere, niſi in conditiones, quas Papa dictârat, jurâſſet. Inter eas præcipuæ erant: Guilielmo Germaniæ regi neglecto Conrado deferret,

Ottocarus Dux Auſtriæ.

ret, Pontificem tueretur. His è formula præſtitis, Nuptiarum feſta regiâ pompâ celebrantur, quæ præter Auſtriæ Styriæque nobiles Conradus Thuringenſis, Albertus Ratisbonenſis, Bertholdus Patavienſis, Bruno Olomucenſis cohoneſtârunt. Auſtriæ, & fidei, quam proceres jurârant, ſecurus eodem anno Styriam petiit. At hìc, non perinde acceptus, impetrare ab ordinibus nequivit, ut Sacramentum dicerent; nè tamen nihil Ducis ageret, Runenſium immunitates ſignato Græcij diplomate confirmavit.

Bela Auſtriam populatur.

Fortunam Ottocari ægris oculis Bavarus & Hungari aſpiciebant, præprimis Belam urebat filio ſuo hos titulos ambientem. Spe ſua evolutus, ſimul ac in Styriam Ottocarus abierat, in Auſtriam ferro, flammísque deſæviit. Tulnam usque evagatus, iræ parùm decoræ veſtigia relinquebat. Eccleſiæ perinde, ac Domus exuſtæ, & ſolo æquatæ, immenſa agricolarum multitudo conciſa, proles cum parentibus innumeræ in miſeram ſervitutem abreptæ, præter inauditam ab hominum memoria famem nihil ferè in Auſtria relictum. Jus armis multiplex obtendebatur: veteres cumprimis injuriæ recantatæ. Delatum erat à nonnullis procerum imperium; jus demum omne in Auſtriam à Gertrude Badenſis vidua ceſſum ſibi ajebat. Belæ Otto Bavarus favebat, tentatóque per Auſtriæ, Styriæque ſuperioris limites aditu copias jungere parabat. Succeſsûs irrita expeditio fuit, cùm vias omnes munimentis & milite Provinciales clauſiſſent; quanquam non tam cauſam Belæ ſoceri, quàm ſuam Henricus Ottonis filius agebat. Quippe Styri Ottocarum, ùt diximus, exoſi, miſſo in Bavariam Dietmaro à Weiſſenek ei Ducis inſignia detulere. Otto etſi hæc ornamenta ardentiſſimè filio optaret, admittere non audebat, acerbiſſimum ab Ungaro bellum haud vanè veritus, quem armis dudum ad eam dignitatem graſſari noverat; differendam tantiſper, quam abjicere cupiditas non ſinebat, opimam adeò ſpem tutiſſimùm ratus, Dietmarum orat: in Ungariam iter ſuſciperet. Si animum Regis in vota procerum flexerit, ſibi inter primas curas futurum, nè Bavarum imperâſſe Styriæ, præter hoſtes, quemquam pœniteat. Conceſſurum ſe quidem fuiſſe, ut vel Belæ ingratiis Henricus magiſtratum adiret, niſi quietem Styriæ ſuæ domûs incrementis præhaberet. At præſagire ſibi animum, nec Duci, nec reipublicæ conſultum iri; implacabili ſoceri odio generum, certæ vaſtitati regionem objici.

Henrico Bavaro Ducatus à Styris defertur.

Otto Henrici pater Belam conſuli jubet à Legato.

His mandatis inſtructus Dietmarus in Hungariam tendit, perſuaſurus ſcilicet, ſi ſuperis placet, Regi, ut generi, quàm filij majorem rationem haberet. Bela nullis ambagibus Dietmaro

Bela Ducatum pro filio Stephano poscit.

mentem exponit: se non Henrici duntaxat socerum, sed & Stephani Patrem meminisset. Non esse, cur has opes cum id generis dignitate conjunctas alterius potiùs, quàm filij sui lucrum velit; non dubitare se, quin par saltem Henrico Stephanus Styris etiam videatur. Adhæc velut aliud agens innuit, alioquin sperare, se ex eo OTTOCARI patrimonio non modicam partem felicibus armis decepturum. Denique Legatum ingentibus donis, majoribus promissis aggreditur, si, ordinibus ab Henrico aversis, Stephano suffragia conciliaret. Emptus in novam Legationem Dietmarus Styriam repetit, quid utrobique ab se actum, in frequentissima curia recenset. Belæ humanitatem, Stephani dotes eloquentiâ mercenariâ exaggerat, ultimum denique arietem admovet; immensa dona, quæ devinciendis procerum animis perferenda Rex tradiderat, in medium ponit. Quid multa? ad effusum coràm aureorum imbrem plerique succuti,

Et impetrat.

nutare. Neglecto Henrico principem adeò aureum evocandum conclamatur.

Omnium, quæ hactenus acta, ignarus Otto indies à Dietmaro erudiri expectabat, num è sententia res cecidisset. Moræ demum impatiens, Henricum abire, quo animo socer esset, & quo loco res suæ, coràm explorare jubet. Fecit imperata Henricus, atque cum adhuc Styri & Austrii aditus occlusos tenerent, per Alberti Tyrolensis, & Mainhardi Goritiensis ditionem, se in Hungariam penetrat. Nullo artificio opus erat, ut Belæ cupiditatem studiúmque pro filio detegeret. Quî enim sibi cedendam provinciam polliceri auderet, pro qua nuper tantum auri in largitiones, tantùm etiamnum in bellum profusum? apparebat jam Styriam à Bela velut pro victa intra Austriam aspici, nec tantopere solicitum, ùt precarium ab ordinibus regimen filio obtineat, quàm ùt istud cum ceteris belli fructibus auferat. Spei proinde irritus, & tristibus de Patris obitu nunciis excitus in Bavariam refertur; & verò non in curia tantùm, sed in campo etiam Belæ feliciter res evenere; evastatâ Austriâ, & Moraviâ, pugnâ etiam superior evaserat. Tot malorum pertæsus OTTOCARUS de pace Belam appellat; quin properandæ pacificationis necessitatem Bohemiæ negotia imposuerunt. Defuncto siquidem sub Septembrem Wenceslao Patre ad cernendam quantocyus regni hæreditatem iteratis nunciis urgebatur, nè quid intestinorum motuum à quibusdam suspectæ fidei existeret.

Henricus Bavarus frustra ad Belam socerum proficiscitur.

Moritur Wenceslaus pater Ottocari.

Pax inter Ungarum & Bohemum.

Sequente vere ambo Reges Posonium convenere. Pax maximo Ungari quæstu in has leges coaluit: OTTOCARUS Austriam quidem, & quantum Styriæ, quæ cis veterem Cetium, nunc Hartbergensem, & Semeringium montes, olim Puttinensem, quo-

quoque comitatum complexa, per Neoſtadienſem tractum porrigitur, ſervaret; Ducis tamen Styriæ titulo abſtineret: reliquam verò, tum inferiorem, tum ſuperiorem Ducatûs regionem (dempta Anaſi valle) ad vallem Anaſi protenſam Ungari poſſiderent. Prona hunc in modum Belæ omnia: procerum animos nuper auro conciliârat, ceſſionem Ottocaro extorſerat. Nihil itaque cunctatus filium in poſſeſſionem immittit; Stephanus, quemadmodum in membranis publicis legitur: *Primogenitus Belæ IV. Illuſtris Ungariæ Regis, Dux Styrenſis* Anno LIV. proclamatur. Inuſitato omnium ordinum gaudio nuncius accipitur, diem illum nunc omnes inter feliciſſimos computare, qui pacem tanto tempore fruſtra exoptatam reduxerit. Ad cumulum lætitiæ altero anno ſacrum prodigium natura adjecit. Reperta ſiquidem Salvatoris Cruci affixi imago, quæ in colle Mariano uno ſupra Græcium milliario, è pini radice procrevit. Ea in Deiparæ Baſilicam Ciſterico Runenſi adſcriptam olim Straſindl, nunc Strasengl dictam, translata peregrinantium pietate colitur.

Stephanus Belæ filius Dux dicitur.

Lætis initiis diſpar exitus reſpondit, Præfectorum avaritia, arrogantia, aſperitas omnia perdidere; demandârat Bela Stephano Zagrabienſi Comiti, & Sclavoniæ Proregi, ut Styriæ rempublicam pro filio procuraret. Ab hoc ſubinde, quòd hominis ferociam Ordines non ferrent, Stephanus, Princeps Styriæ, per ſe rempublicam adminiſtrare occepit. Verùm & ipſe in aula Græcenſi verſatus populum juxtà ac proceres nullo diſcrimine accipere, adversùm immunitates agere, vectigalibus, exactionibus dirè vexare, multis pecuniariis ultra jus, fásque auctis emungere. Si quando ſe privilegiis tueri tentarent, ſi queruli ad Stephanum, Zagrabiâ revocatum, quo invito nullus ad Principem aditus, accederent, homo ex faſtu, & inurbanitate compoſitus per contemptum reſpondebat: emptitium ſe populum meminiſſent; quo dicto dona in proceres nuper effuſa deſignabat. Ignorabat nempe homo arrogans, nunquam ignavâ verecundiâ nobiles mentes erubeſcere; proximum à rubore ad furorem tranſitum eſſe. Penitiſſimè ea vox animos feriebat; ùt qui hinc intelligerent ſe inter mancipia haberi. Ergo jam tum è malis, quibus ſe induerant, exitum circumſpiciunt. Re tamen nondum maturâ utcunque odia comprimunt; quæ novis Præfecti injuriis quotidie robuſtiora evadebant, ſparſa in plures iræ contagione; donec Anno LVIII. in apertam ſeditionem, & altero in Ungarorum exitium deſierint.

Styri alienantur ab Ungaris, & cur?

Mandatum neſcio quid Sigefrido Mehrenbergenſi Dynaſtæ, quod is non illico, aut ſatìs curatè expleverat. Ut renitentem in

obsequium redigeret, arci Dravo adsitæ militem ex Ungaria accitum circumfundit. Amici & vicini periculo commotus, sed magis Præfecti odio stimulatus Fridericus Petovienſis Mareſchallus, ùt ajunt, Styriæ, clanculum sub signa provinciales colligit. Doloris communio brevì justum illi exercitum conflavit. Castra minùs solicitè à tergo Ungari custodierant, quòd hostem præter obsessos nullum putarent. Intempesta nocte Fridericus irruit, somno, & improvisi periculi horrore confusos magnam partem concidit, reliquos castris ejicit. Stephanus ipse jamjam manibus tenebatur, feliciter tamen fugâ elapsus Marhburgum evasit. Nunciato instare Fridericum, nec hìc quidem consistere ausus, revolutus in equum, Dravum natando trajecit; rectáque ad Ducem tendens de Petovienſi, à quo probrosè ejectus Provincia esset, acerbè conqueritur. Irrogatam Præfecto contumeliam memorabili pœna expiaturus ipse approperat, exercitu, quem à Rege Patre impetrârat, Petovionem cingit, certus non discedere, donec in potestatem redegisset. Ruinæ urbem opportunus Udalrici Archiepiscopi Salisburgenſis Româ reducis in castra adventus subduxit. Is ad primam obsessæ urbis famam accurrerat, non tam Fridericum, quàm se ea impugnatione lædi queritur. Urbem Salisburgenſi ditioni subjectam, beneficiario duntaxat jure possessam à Friderico commonstrat. Post molestam & diuturnam concertationem in hunc demum modum lis componitur: Stephano hactenus Præfecto potestas abrogetur, Petovionem Duci Udalricus cedat, à Duce verò mille & quingentas argenti libras recipiat. Stephanus Princeps eam Styriæ clavim intentiore cura servandam prudenter existimans, Petovione posthac cum conjuge habitare decrevit, id præterea comodi habiturus, nè castrorum, urbiúmque Præfecti, Ducis Viciniâ absterriti, suâ licentiâ populum irritarent.

Mehrenbergam obsidet Stephanus Præfectus.

A Friderico Petovienſi depellitur.

Stephanus Dux Petovionem cingit.

Recedit.

Interpolata hic potiùs, quàm extincta odia fuere, quæ nisi mutato capite consananda amplius non erant, quod altero mox anno evenit. Provincialium quidam per villas & castra populabundi excurrerant, prædarúmque sat multum è Teutonici ordinis & Parthenonis Gössenſis agro abegerant. Delatâ ad Stephanum querelâ damna sarciri imperat, nè moræ aut exceptioni locus esset, villæ fundíque reorum sequestrò ponuntur. Justa hæc, etsi rigida sapientibus visa, apud paucos invidiam Duci conflârant. Verùm atrox aliud, quod animo conceperat, & ad proceres effluxerat consilium, patientiam Ordinum abrupit; ferebatur, manicarum compedúmque numerum bene magnum confieri clanculum jussisse, diem designâsse, qua potentiores procerum honoris specie in Aulam Petovienſem pelliceret, hac pro-

Proceribus insidias struit.

proditione interceptos, victósque in Hungariam mitteret. Res hæc in plebem ſparſa, incredibile dictu, quanto furore momento omnium animos impleverit. Excutiendum Hungaricum jugum eâdem adhuc horâ decernitur: licèt acerrima hyems ſævierit, æſtu vindictæ inclementiam frigoris corrigente, velut ad propulſandum extremum periculum concurritur, arma, quæ cuique furor & rabies miniſtrârat, corripiunt, in oppida & caſtra Hungaro militę inſeſſa, cæco, ſed felici ubique impetu irruunt, præſidiarios trucidant, ejiciunt. Non vis, non conſilium Hungarorum adversùs eum torrentem valuit. Spatia dierum non amplius undecim ea expeditio tenuit, & jam Ungarorum nemo intra Styriam conſpiciebatur; duntaxat Petovium adhuc ſervârant. Hæc intra Styriam Cetio monte concluſam acta; nunc in alteram, eámque, quæ à nuperna diviſione adhuc hodie Auſtriæ accenſetur, deſcendimus.

Styria ejiciuntur Ungari.

Tutus ab Hungaro OTTOCARUS interea in varios hoſtes variâ fortunâ arma convertit; primæ expeditionis ſucceſſus æquitati cauſæ abunde reſpondit; ſacra illa erat atque in Prutenos decreta. Ad Idola magnam partem populus ille non ſolùm defecerat, ſed eos, qui Chriſti religionibus jurati reſtiterant, dirum in modum divexabat; non domibus, non agris, non vitæ etiam parcere; quotidianis his excurſionibus ſtrenuè ſe Conradus Ludovici Landgravij Haſſiæ frater, Divæ Eliſabethæ levir Magiſter Pruſſiæ à Friderico juſſus objecit, multitudini inferior Pontificem implorârat. Ab hoc continuò bellum ſacrum in rebellem DEO populum decernitur, copias crucis teſſerâ inſignitas OTTOCARUS deduxit. Tum ejus virtus, tum hoſtium ignavia brevì finem bello impoſuit. Prælio, an velitatione territi potiùs, quàm victi, Duces ſuis quisque oppidis ſe includunt. OTTOCARUS militem Chriſtianorum poſſeſſionibus nocere vetitum, agros, primùm ædésque hoſtium evertere imperat, tum munitionibus, quibus Duces ſe injecere, admovet. Illi deſperata defenſione vitam duntaxat pacti deditionem faciunt, ſed juſſi univerſim omnes aut Chriſti jugo, aut ſecuri cervices, ſubjicere mutata religione pars maxima vitam redemere, ſacris undis à Brunone Olomucenſi abluti. Pertinaciores ad unum omnes conciſi. Bello patrato aliquamdiu in Provincia perſtitit, veritus, nè metu, qui haud diuturnus officij Magiſter eſſe conſuevit, ſoluti in ſuperſtitionem priſtinam relaberentur. Ut perpetuum levitati frænum injiceret, Regium Montem, nunc Sambiæ Metropolim, ad oram maritimam condidit. Ejus tamen urbis ortum quidam ad ſecundam, quam ſuo loco narrabimus, expeditionem referunt.

Ottocari prima in Pruſſiam expeditio.

Altera in Bavariam. Dispari fortuna rem in Bavaria Anno LVII. gessit. Discordiæ & non unius Provinciæ fax Philippus Salisburgensis Archiepiscopus extitit. Belli, in quod Styri & Ottocarus sæpius operam contulere, originem perstringere juvat. Decretum Alexander IV. VII. Decembris, Anno LVI. ediderat, jubebátque, intra anni spatium sacris ordinibus initiari curarent, quotquot ad eum diem Episcopi fuissent; hoc mandato se potissimùm notari Philippus interpretabatur, quippe jam decimus annus abierat, quo in Salisburgensem Præsulem electus sacros ordines respuebat, spe ductus, ut si frater Ulricus adhuc improles aliquando obiret, rejecto pedo in Ducatûs Carinthiæ hæreditatem succederet. Nè verò tempestas, quam imminere prudens prævidebat, imparatum obrueret, loca primùm receptaculo futura munierat. Henricum Bavarum præprimis metuebat, cui novum hostem objecturus Mense Decembri Viennam proficiscitur; Ottocarum injecta haud dubiè Carinthiæ spe & fortasse promissa, in fœdus pertrahit.

Udalricus subrogatur Philippo Archiepisc. Salisburg. Nec vanus Philippi timor fuit. Freti enim Pontificis mandato electores Philippum dignitate excidisse pronunciant, Udalricum Seccovienſem invitum, reluctantémque subrogant. Probavit acta Pontifex, literísque ad Chiemensem Episcopum Henricum datis, Philippo imperat: Romam ad dicendam causam se sisteret, munitiones & castra Chiemensi traderet. Obsequi detrectantem anathemate percellit; quo fulmine actus in rabiem Philippus Henricum & Udalricum ditione omni exuit, Ulrici fratris Carinthiæ Ducis, & Ottocari auxiliares copias evocat. Pro Udalrico Henricus Bavarus, & Stephanus Styriæ Dux pugnabant. Fideliùs quàm feliciùs Ottocarus promissa implevit.

Ottocari in Bavariam expeditio. Sub annum quinquagesimum septimum in Bavariam movet, incensísque, quà incederet, oppidis, Ecclesiis, villis juxta Frauenhoffenum metatur. Henricus, cui priùs ferè adesse hostem, quàm venturum, nunciatum erat, in interiora Bavariæ se tantisper receperat, donec copias ampliores contraheret, quarum partem non exiguam Ludovicus Palatinus de fratris periculo monitus adduxerat. Ut convenere ambo exercitus, accelerato itinere in hostem ducunt, castráque non sat providè locata circumsident. Ottocarus, cui nec pugnandi animus, nec aliâ viâ exitus patebat, ad astum convertitur, unius diei inducias petit, & impetrat, spe ductus fore, ut acturis ea fiducia incuriosiùs hostibus inobservatus elaberetur. Usúsque noctis quæ Divi Bartholomæi festum secuta, beneficio, collectis silentio vasis castra deserit. At Bavari prædam eam non dimissuri, fugientes ad Muldorffium assecuti sistunt. Ottocarus Ducis officio

cio hoc in periculo egregiè functus; qui hostem distinerent, Legionariorum agmen, donec fluvium alij trajicerent, ad pontis aditum locat; probè instituta infelix casus evertit, namque prægravatus multitudine pons solutâ compage omnes in subjectum Oenum effuderat. Tum enim verò à pugna ad cædem conversi Bavari, alios integros quidem, sed sociorum casu territos gladiis, alios cum aquis luctantes sagittis aquatilium more conficiunt. Agmen intra turrim extra Muldorffij pomeria elapsum injecto igne Ludovicus concremat. Ceteri, qui Muldorffio se incluserant, post nonum obsidionis diem additis tamen pactis dimissi. Ea clade tria ferè millia absumpta; OTTOCARUM, etsi & ipse cum paucis ægrè evasit, non tamen ea clades absterruit, quin dejecti Archiepiscopi gratiâ Bavariam immisso milite iterum, & tertiò infestaret.

Res porrò Philippi prostratas Udalrici æmuli captivitas altero anno non mediocriter erexit. Is nuper à Philippo ejectus cum exilij socio Chiemensi Romam abiverat, Pontificem stimulaturus, ut iniquum mitræ usurpatorem severioribus mediis in ordinem redigi procuraret. Nunc Româ reversus, pacéque ad Petovionem composita Salisburgum tetenderat, quò eum Styri jam biennio antè à Stephano jussi deducendum susceperant. Adornari iter tam occultè non poterat, ut Ulrici Carinthi exploratores falleret, à quibus commonitus cum expedita militum manu insequitur. Primus de periculo Episcopum Udalricus Liechtensteinius edocuit, initóque consilio è plurium sententia decretum, Rastadium versùs illico iter relegendum, unde Tauri montis transitu prohiberi Ulricus possit. Seriùs, ac res posceret, deliberatum fuit; jam Rastadium hostis tenebat, nihilo tamen minùs Styri conserto prælio Carinthos in fugam egere. Evaserant omne periculum, si aliquod in securitate latere putâssent; dum negligentiùs & metu soluti Rastadij agunt, collecti è fuga Carinthi redeunt, incautósque opprimunt. Udalricus cum paucis in Piber diffugit, inde mutata veste, occultâ viâ, & sinè strepitu Salisburgum iturus; sed prodito consilio, ab Henrico Rottenmannio Admontio exiens intercipitur, & arctæ custodiæ in Wolckensteinensi castro mandatur; post aliquod tempus jubente OTTOCARO dimissus secundò Romam abiit. Canonici interea, cùm infirmior Udalricus videretur, quàm ut dignitatem suam tueretur, cum Philippo in gratiam redeunt. Eâ tamen cautelâ, nè quid adversùs mandata Pontificis peccaretur.

Udalricus Archiepiscopus in Styriam venit.

Capitur.

OTTOCARUM Bavarico bello adhuc impeditum haud paulò lætiores è Styria nuncij interpellant. Ejectis, ùt diximus, Hungaris continuò legatos in Austriam anno sexagesimo misere, &

Ottocarũ Styriæ ordines invitant.

Ottocarum tum Viennæ commorantem ad capeſſendum Styriæ regimen invitârunt. Expedita omnia, paratas ordinum voluntates, vacuam depulſis hoſtibus Provinciam referunt; ſed quoniam Stephanum cum exercitu rediturum non metuere non poſſent, ut auxiliares cohortes aut ipſe adduceret, aut deducendas curaret, orant. Ottocarus diſſimulato, quo maximè æſtuabat, gaudio, hæſitanti ſimilis oblatam dignitatem admittit, velut, qui gratiam faceret, non qui ambierit. Milites, nè mitteret, induciarum religione, quas cum Hungaro pepigerat, prohiberi ſe ajebat, iis finitis, quod optimum factu videretur, conſtituturum, invitum tamen ſe non fore, ſi quos ſponte offerebat, mille equites Otto Comes Hardekius in Styriam ductaret, eum Dynaſtam, ſibi non obnoxium, pactis induciis non teneri. Sed nec Ottocarus tegendæ diutius cupiditati par, rigida hyeme Legatos ſecutus in Styriam approperat, receptísque in fidem ordinibus Henricum Liechtenſteinium præficit; cui intra anni ſpatium Wocho de Roſis Bohemus ſubrogatus. Nè poſt actas nati Salvatoris ferias Græcij ultro moraretur, ſuſpecta Ungarorum molimina obſtitere.

In Styriam venit.

Jam inde ab accepta in Styria clade in Ottocari acta ad Auſtriæ fines velut è ſpecula Bela evigilârat, nil dubius, Bohemum quavis rima ſeſe intra montes Styriæ inſinuaturum, nec præſtolari aliud, quàm ùt unde unde ſpecies quædam, & honeſti color offerretur, illico in Provinciam extortam revolaturum. Quid præſenti legatione pertractatum, quid ab Ottocaro reſponſum, maxima indignatione audiit. Ducis in admittenda dignitate facilitas immensùm Hungaros irritârat. Cùm ea animi intemperie agitaretur, filium Stephanum pulſum, in aulam adveniſſe nunciatur, qui Hardecij comitis metu è Styria profugerat. Tum enimvero iræ impotens, non expectato induciarum fine cogi militem, & Auſtriæ infundi jubet. Non Hungari duntaxat, ſed quidquid Barbarorum iis immixtum degebat, ſeveris imperiis excitum. Sub Julij initium centum quadraginta millia ex adverſa Moravæ ripa conſtitere. His Ottocarus centum equitum millia objecit: quos inter, ùt mos ævi illius ferebat, ſepties mille equos ferreis loricis cataphractos immiſcuit. E prima velitatione non admodum lætum omen Germani retulere. Exercitum ſuum in civitate Laha, & vicina regione Ottocarus continuerat, egreſſos inde pabulatores, ſui ſecuros evagari Hungari ſæpius conſpicati, quadraginta millia propè Stezium in adjecta valle noctu recondunt. Altero die, (VI. Kalendas Julij) cùm ſolitâ fiduciâ pabulatum manè exeunt, centum Ungari admiſſis, ùt gentis mos eſt, equis procurrunt, in palantes invecti, alios cædunt, alios ſub caſtra & urbis muros inſequuntur. Ma-

Hungari Auſtriam infeſtant.

Magìs ferè, quàm ſociorum cædes, hoſtium audacia Ottonem Hardecium, & Conradum comitem Plagenſem incendebat; caſtigandam temeritatem exclamant; luculentum argumentum eſſe, ut contemptui miles Germanus haberetur ab iis, qui tantilla manu ſub totius exercitûs oculis erumpere, caſtris imminere auderent. Et obtinuit eorum ſententia animoſior, quàm cautior. Quingentos ſecum in hoſtem rapiunt. Conſpecto Germanorum globo Hungari, quod petebant, aſſecuti, ſimulatâ fugâ ad vallem citatis equis referuntur, fugientium veſtigiis Hardecius inſiſtit. Mox ubi ſe cum cohorte in paratas inſidias induiſſet; tum verò intellexit, quàm non contemneretur miles Germanus Hungaris, qui quadraginta millia in quingentos parâſſent. Nec jam illi, ùt antea de ſumenda audaciæ pœna, ſed redeundi venia cogitare, At fruſtra precibus vitam ab efferatis deprecati, fruſtra viribus adversùs tantum militem tuiti, ad unum omnes cum Hardecio, & Plagio ceciderunt; denis pauciores an fugâ, an latebrâ ſalutem ſervârunt. *Velitatio Auſtriacis infauſta.*

Funeſtum omen, quòd è belli initiis capi conſuevit, melior demum fortuna in hoſtes avertit. Quatuordecim dies abierant, cùm uterque exercitus in conſpectu poſitus diverſam Moravæ ripam oberrabat. Nè Ungari pugnare inviti cogerentur, aut Bohemi poſſent, fluvius obſtabat. Ottocarus prælij avidus nunc fecialibus, nunc immiſſis in amnem velitibus nequicquam hoſtes in pugnam identidem proliciebat; Bela contrà ab univerſi certaminis alea abhorrens id ſolùm curare, nè in alteram ripam, quòd ſæpe tentârant, Bohemi eniterentur.

Ottocarus ſub extremum otij impatiens Belam per Meyſſovium Dynaſtam Auſtriacum compellat: ignavæ cunctationis finem aliquando faceret, honori ſuo conſuleret. Europæ ludibrio Regum duorum famam objici, circumferendos per ora hominum, velut qui tot legiones tantis ſumptibus oſtentationis causâ circumducerent, aut mutuo aſpectu ſeſe oblectaturi convenìſſent. Ageret proinde, atque ut ferro litem decerneret, Germanos trajectu fluvij nè ultro arceret, ſi id minus è re videretur, in Auſtriæ ripam ipſe militem ſuum transferret. Ab ſe, donec exſcendiſſent, nihil hoſtile tentatum iri, quatuor dierum inducias polliceri. Placuit Belæ poſtrema pars conſilij; alia præterea res ad confligendum permovit. Partem exercitûs ad ſuperiorem fluminis ripam Ottocarus commoditatis causâ, & fugam Ungari credebant, abſtraxerat; pars alia Juſtitij fiduciâ, ſolutiori diſciplina in caſtris verſabantur. Re comperta Stephanus Belæ filius copiis celeriter III. Idus Julij ad ripam alteram appulſis, in diſperſos invehitur; dum ad arma diſcurritur, in ordines *Pugnant cum Hungaris Bohemi.*

distribuuntur, cadunt permulti. In qualemcunque aciei formam compositi impetum hostium eò usque reprimunt, donec accitus è superiore ripa OTTOCARUS adveniret. Tum enimvero atrox pugna recruduit. Diu inter cruentas vices ad Chressenprunnam certatum fortunâ, quàm in partem se flecteret, ambiguâ. Ubi Germanos nunquam fatigari, nunquam pugnam remittere, primores Ducum certis ictibus configi, Stephanum graviter saucium è prælio efferri Ungari conspexere, cadere animis & loco sensim moveri. Stratis primis ordinibus, cùm ultro semper porrigeretur periculum, postremi in aquam desiliunt, viâ in fugam apertâ consestim primi sequuntur. OTTOCARUS contrà trepidis ferociter instare, fugientium terga cædere, nè quis à ripa deviaret, partitas in diversa agmina copias obviam mittere; sed sponte illi in cladem ruebant, in quam impulsos hostis voluit. Adeò ferri metus, oculos animósque confuderat, ut nihil discriminis in aqua viderent; affluente multitudine, in fluvium præcipites alij super alios incidunt perituri tardiùs, aut evasuri, si minùs festinâssent; alij armis graves & prælio fatigati, alij illabentium pondere pressi, alij internatantium objectu, nè Brachia expedirent, irretiti hauriebantur. Mersis quatuor millibus, sexdecim omnino millia periere. Bela, qui ex adversa ripa eventum prælij præstolabatur, ad cladis fœditatem illacrymatus, vix tantum animum revocârat, ut collectas exercitûs reliquias in tutiora subduceret.

Et Vincunt.

Nec paucis funeribus Bohemo victoria stetit. Plures prima illa trepidatione, multi inter præliandum strati, multos sinè vulnere, sed æquè sinè spiritu post pugnam repererunt, quos nempe receptus, auctúsque intra ferreos thoraces æstus præfocârat. OTTOCARUS direptis, quæ omni annona & armorum apparatu referta hostis reliquerat, castris, victore exercitu, nè colligendi Hungaris spatium esset, Posonium usque regionem omnem exurit. Progredi parantem pro pace supplices à Bela legati interpellant; remissi ad Ottonem Marchionem, Brandeburgicum, & Ulricum Carinthiæ Ducem, qui subsidiarias copias adduxerant, cum iis pacis negotium pertractare jubentur. In has leges utrinque juratum est: Bela Styriæ toti, & juri omni renunciato: Petovium deducto inde præsidio reddito: Bela junior regis filius, Marchionis Brandeburgici filiam, OTTOCARI ex sorore neptem uxorem ducito. Qui prior in pacta pacémve peccârit, undecim selibrarum argenti millibus multator. Anno altero, sexagesimo primo, magna celebritate uterque Regum Viennæ tabulis subscripsere. Bela præsertim comitatu longè splendidissimo, & superbo vestium luxu opes regni ostentabat. In urbem invectum præter duos filios, Russiæ Serviæque Reges; ab

Pax initur.

ab his quinquaginta Duces sequebantur. Ad pompæ augmentum Ottocarus clientelares in Austria Dominos ad dicendum Sacramentum evocârat. Bela sive eo procerum conventu territus, sive illi aliunde injecta suspicio Ottocarum fraudis aliquid adversùm se machinari, nondum tradita nuru, cum filiis occultâ fugâ se subduxit, scriptísque Posonio literis, sponsam filio postulans, transmitti ab offenso licèt Rege obtinuit. Nuptiarum festum regiis impendiis ab Ottocaro sponsæ avunculo An. LXV. in campo prope Fischam adornatum. Ut verò celebris victoriæ perpetuum monumentum exstaret, octo pòst annis in pugnæ loco urbem Marcheggium idem condidit.

Aliud hoc Viennensi regum congressu matrimonium præterea decretum, deinde patuit. Mox enim à soluto conventu Ottocarus ejectâ Margaretâ Cunegundem, è Constantia Belæ filia & Hostislao Russiæ Rege genitam III. Kalendas Novembris toro admovit, deductámque in Bohemiam Pragæ nascentis Domini die regiis insignibus ornari secum à Wernhero Moguntino curârat. Divortium noxâ caruisse, sunt, qui scribant, & penè persuadent, quòd nullus offensi Pontificis, nullus dictatæ pœnæ meminerit. Jussum à Papa Moguntinum æquitatem repudij dispicere refert Pessina, tacet sententiam. Sed nec aliam divortij causam in annalibus reperias, ac ab annosa & infœcunda Margareta abhorruisse Ottocarum, hæredis desiderio conjugem mutâsse. Margareta relicta XV. Kalendas Novembres è Bohemia Crembsium se jussu mariti contulit, quo in loco residuo vitæ tempore commorata anno sexagesimo septimo finiit, in Campililienſi cœnobio humata. Inter velatas Virgines eam nunc, quin & ante secundum matrimonium vixisse aliquibus persuasum; multi propinato ab Ottocaro veneno periisse arbitrantur. Si res, ùt Dubravius juratus ceteroquin Ottocari laudibus Historicus narrat, se habuit: sanè negotium non è Christianarum legum formula pertractatum est. Alternis contentionibus nimirum se conjuges lacessiviſſe: à marito uxorem sterilitatis insimulatam, hanc in maritum orbitatis culpam detorsisse. Dirimendæ liti id medium ab Ottocaro Margaretæ propositum, & approbatum, è Nobili servitio puellam daret, cum qua experiretur: si prolem anni intervallo ex ea non susciperet, Margareta culpâ vacaret; si secùs eveniret, par ipse Veneri, & matrimonio solutus haberetur. Post decimum mensem editum à pellice filium Nicolaum Oppaviæ Ducem aliquando futurum; tres Dein ordine filias Vortembergo, Straconiensi, & Cravaro Baronibus collocatas. Lautam dotem, qua natales cohonestaret, singulis adjectam à Patre, dicere solito: ubi dos adest, nullum vitium vitio vertitur.

Repudiatâ Margaritâ ducit Cunegundem.

Pax cum Bela confecta Bohemorum arma ab Hungaria avertit; inita eodem tempore cum Salisburgenſi Archiepiſcopo in Bavariam accerſivit. Res ita habuit; Udalricus nuper captivitate ſolutus Romæ, quò abierat, à Papa Urbano IV. impetrârat, ut Salisburgenſem Eccleſiam OTTOCARO tuendam committeret; Henricus Bavarus dignitatem Defenſoris, ſibi veteri jure debitam, in quemvis alium, multò magìs collatam in æmulum indignè ferebat. Dolori medelam è vindicta facturus, in Salisburgenſem ditionem invadit. Multis oppidis impetu captis Salisburgum aſſilit, parti, quæ trans aquas ſita, inſpectante Udalrico ignem ſubdit. Sed fulminis ſereno cælo excuſſi omine territus ab obſidione diſcedit, niſi cæleſtium irarum metum honeſtiorem obtenderit, nè OTTOCARUM timuiſſè videretur. Jam enim Brunonem Olomucenſem Epiſcopum (Styriæ is præfecturam à morte Roſenbergici, Græcij Anno ſexageſimo ſecundo die III. Junij extincti, obtinuit) adventare audierat, OTTOCARI mandato is arma expediit, directóque Salisburgum itinere, quidquid cis Taurum montem Archiepiſcopo antè paruerat, Udalrico aſſeruit, Philippo jam nullibi conſiſtere auſo. Res Udalrici eæ victoriæ, non animum erexere. Imbecilliorem ſe agnoſcebat, quàm qui labefactatam tot cladibus rempublicam, Eccleſiæ ſplendorem integrum redderet. Procerum pars non exigua adhuc Henrico Bavaro ſtudebat, curarum tædium, & quietis amor haud dubiè etiam in conſilium adhibita. Communicato itaque cum Eccleſiæ proceribus propoſito moleſtam dignitatem abdicare decernit. Aſt conſilium mors Urbani Pontificis retardavit. Anno demum ſexageſimo quinto facta à Clemente venia Seccovienſi Eccleſiæ ſe reddidit. Ut verò Clemens Philippi in veteres ſemper ſpes imminentis molimina authoritate ſua frenaret, ipſe Salisburgo Epiſcopum dedit Uladislaum Henrici Probi Lignicenſium Ducis & Annæ OTTOCARI materteræ filium.

Ottocarus Salisburgenſi, adverſus Bavarum aſſiſtit.

Udalricus renunciat Archiepiſcopatui.

Parùm apud Bavari animum abſentis Pontificis reverentia potuit, qui Conſobrinum OTTOCARI adeò vicinum Henrico, vivere ſinè hoſte nefas putabat. Poſtquam Hallinenſis oppidi, nè Uladislao ſe ſubmitteret, pertinaciam confirmâſſet, in Salisburgenſem, & Patavienſem ditionem illatus, triſtem ubique ſolitudinem à tergo relinquit. Peragitur populatio tantâ diligentiâ, ùt omnem OTTOCARI celeritatem anteverterint. Nihilo tamen minùs ille ad reddendas ſaltem vices accurrere, bipartitò exercitum in Bavariam immittit, partem copiarum Brunoni traditam per Salisburgum tendere, & Hallinenſes ad obſequium compellere jubet, ipſe decem millia per Chambenſem Provinciam traducit. Cum Ratisbona munitiones plurimas intra menſis ſpatium

Ottocarus ſecundò adverſùs Bavarum.

um ſubigit; altera parte Bruno Hallinum aſſultu captum in rebellionis pœnam ſuccendit. Hoſte nullo in conſpectum, nedum in prælium, quòd unicè avebat Ottocarus, venire auſo, niſi id veriùs prudens conſilium, quàm metus fuerit; quippe fames, quæ lateri in exeſa nuper exhauſtáque regione perpetuò hærebat, neceſſitatem recedendi impoſuit; ùt receptum celeriùs indiceret, etiam ſtagnantes eluvionibus campi coëgerunt. In vacuam milite regionem mox Bavari revolârunt, transmiſsáque Ilzâ in Patavienſem ditionem, & Bohemiam usque excurrunt. Patavium belli furto occupant, civium quorundam proditione adjuti. Sed fortunâ ſuâ impotentiùs uſi, cùm domibus flammas ſubdunt, ſacris theſauris manus injiciunt, cives flagitium ſuum deteſtati, correptis armis ſacrilegos è civitate exturbant. Pacem demum inter Henricum, & Ottocarum Guido Cardinalis, arbiter ab ambobus delectus, in conſilio Viennenſi anno ſexageſimo ſeptimo reſtituit.

Expertus jam ſemel felicitatem Ottocari, ſæpius obſequium Pontifex, ut in Prutenos denuo iret, perſuaſit. Proficiſcenti ſupplementa militum Bernardus, & Henricus comites Pfannebergici, Fridericus Petovius, Hertnidus Wildonius, Wulfingus Stubenbergicus, Udalricus Liechtenſteinius Styriæ proceres, ſui quique agminis Duces junxere; majore voluntate bellum iſtud inchoatum, quàm fructu finitum. Nullo ferè operæ pretio facto redeundum fuit, quòd ſolito mitior anno ſexageſimo octavo hyems, ſolum uligine inſtabile, & paſſim paludibus lentum in militares vias non durârit. Sed nempe ſterilis Gloriæ jacturam utilitate penſari principes facilè patiuntur; irritum cecidiſſe conatum Ottocarus non admodum deinde dolebat, cui altero anno multum intererat militem extero bello vacuum, & integrum ſub ſignis habere: nè Carinthiæ hæreditas alterius fieret. Novæ diſcordiæ iterum autor Philippus, notum à Provinciarum damnis nomen, homo cujus ambitionem nulla dignitas, cupiditatem nulla poſſeſſio æquârat. Id rebus ejus peſſimum accidit, quòd adverſarium nactus dominandi libidine ferè parem, viribus haud paulò ſuperiorem, Ottocarum: utrumque mors Ulrici Carinthiæ Ducis colliſit, cujus hæreditatem Philippus frater avidè expectabat, Ottocarus dudum blanditiis variis, quibus ſenes deliniri conſueverunt, captârat.

Ottocarus in Prutenos ſecundò movet.

Re infecta redit.

Et è voto artes ceſſerunt, multis, antequam moreretur annis, cum orbus æquè ac liberûm exſpes viveret, inter eos conventum: certam pecuniæ ſummam, ſi Ottocarus numerârit, Carinthiâ, & Carnioliâ potiretur. Conſcius ejus nundinationis Philippus non modò pactis non interceſſerat, Bohemorum nem-

Carinthiam emit.

pe auxilio egens, sed prolixè annuit, suo se Archiepiscopatu locupletem abunde asserens. Archiepiscopatu exutus, nè esset, cur ob inopiam fraternis titulis inhiaret, inter primas curas Ottocarus habuit, ut digno sacerdotio ditaretur. Nec segniùs eam causam complexus Ulricus frater. Defuncto hoc anno Gregorio hortatu Ottocari Aquilejam ipse iter suscepit, Patriarchæ dignitatem pro Philippo postulaturus. Sed petitioni immortuus, fratrem pedi & fascium candidatum reliquit. Audito Ulrici obitu sine mora Ottocarus proficisci Brunensem Præpositum, & in sua verba adigere ordines jubet. At frustra fuit Præsulis authoritas tabulis armata, ceteroquin inermis, Philippo in munitiores urbes jam recepto. Nè vim continuò Philippo admoveret, metus ab Hungaria Ducem continuit. Parùm aberat, quin Ottocari socrus Constantia geminos reges ad arma concitaret, levi quidem delicto, sed ùt obducta recèns cicatrix leni affrictu, ità inimicitia non multò antè posita exigua etiam offensæ specie recrudescit. Belæ nuper defuncti patris thesauros exhiberi sibi flagitârat, indulgere sorori in ejusmodi postulato nihil admodum Rex Stephanus metuebat. Illa præpostero generi amore seducta ternas è gemmis sublectas Ottocaro dono transmittit. Cognito sororis furto injuriam cum Ottocaro Stephanus expostulat, munus Rege indignum, & fœdissimum spolium reddi poscit. Pudore simul, & irâ concitatus Bohemus responsi loco ad Hungariæ fines exercitum stitit; huc & copias suas Hungarus adduxit. Stabat jam paratus utrinque miles, repetundarum causam ferro acturus, cùm eadem, quæ gladios indidit, manibus excussit; adnitente Constantia uterque Regum in Insulam infra Posonium sitam congressi amicitiam integrârunt.

Cum Hungaris dissidium.

Carinthiam & Carnioliam armis occupat.

Major in edomando Philippo difficultas, quem pacato Ungaro in ictum destinârat. Labacum nonnisi effractis admota viportis patuit; urbes Carinthiæ ante obsidionem, non tamen ante pugnam jugum admisere; acie victo, captóque æmulo in victoris potestatem concesserunt. Philippus in Austriam prope Crembsium deportatus, privatam fortunam tolerare assuescit, tradito, unde sumptus vitæ necessarios petat, Crembsensi telonio, & arce Pörsenbegensi. Agnes Ulrici vidua alteri Ulrico comiti de Heunburg ab Ottocaro collocata, ut imparibus nuptiis, & splendor natalium & memoria obliteraretur.

Hungari Moraviã & Austriam infestant.

Locupletis Victoriæ gaudium Austriæ, & Moraviæ calamitas funestavit. Stephanum sive opportunitas ad ægrè faciendum æmulo invitârit, sive quod credibile, & scriptum à quibusdam reperio, Philippus adhuc integer, sed malè à Bohemo metuens Regem exorârit, ut Carinthiam in Austria tutaretur, quinqua-

quaginta Hungarorum, & Cumanorum millibus Moraviam, Auſtriámque inundârat, oppida incendiis hauſerat, regionem omnem viginti millibus in ſervitutem abreptis incolis vacuârat. Bellum non uno nomine moleſtum, quod inſuper ſæviens præter morem hyems inchoare non ſiverat, declinare Ottocarus ſatagebat, miſsóque ad Stephanum Legato, amicè de violenta invaſione conqueritur. Ecquid media pace hoſtiliter ageret nullâ injuriâ laceſſitus? militem ex amica juxtà, & aliena terra revocaret, ab inferendis ultro damnis ſuos abſtineret, illata ſarciret. Nihil pacati impetrari potuit, inficeto hoc reſponſo Legatus eluditur, quodnam militis probrum Hungariæ Regem Bohemus putaret? nunquam ſervandis Moraviæ, Auſtriævè finibus aut conductum, aut conduci ſe paſſurum, ſibi præſtandam Hungariæ Rempublicam, alienarum rerum cuſtodiâ nulli ſtipendia facere, ſuis quisque, ut ſalva ſint, vigilaret. Manifeſtum adeò contemptum eodem adhuc anno ultum Ottocarus ibat; niſi inuſitatum hyemis gelu arma ſuſpendiſſet. Ineunte anni ſeptuageſimi primi vere profectionem copiis è Carinthia in Auſtriam edicit. Judenburgum ingreſſo ab exploratoribus refertur, ad Semeringij montis pedem exercitum Stephani caſtra metatum præſtolari. Non curarum minùs quàm irarum ea hoſtis audacia Ottocaro injecit. Delectus militum per Styriam fieri, adducíque à nobilibus imperat, fidei procerum anxius evocatos in aulam compellat, ſimultates, quibus ab ſe eos diſſidere non obſcuris indiciis nôrat, bona fide ponerent. Reſpondente liberè Henrico Pfannebergico, vitam omnium ſuis obſequiis devotam putaret, ſi, quæ ad eam diem Styris ablata detineret, redidiſſet; multa voluntate poſtulatis annuit. Securus jam fidei, habito cum iisdem conſilio, rationem, quam conſtituerat, profectionis immutat; flexo Campililium itinere in Auſtriam emergit, &, quo incertus conſilij Stephanus hæreret, rumor diditur deducendas in Moraviam copias. Affectatis viæ erroribus rumori fides affirmatur; cùm repentè Poſonienſes ad partes ſuas Bohemiæ, Auſtriæ, Styriæ, Poloniæ, Brunſwici ſigna volitare conſpiciunt. Ei potiſſimùm urbi inhiabat Ottocarus, quòd magnam theſauri partem in illa repoſitam à Bela intellexiſſet. Urbem commeatu omni intercepto deditione occupat; arx vi dejectis præſidiariis in manus venit. Egeſtis inde theſauris vicina oppida, Fanum S. Georgij, Baſinium, Biberſpurgum, Tyrnavia, Altenburgum, ceu venatu in retia aguntur. Valbachium Ibani Comitis induſtria ſervavit, ſciſſis riparum aggeribus, quibus caſtra non uno fluvio inundârat; damnis & moleſtiæ aquarum Germani impares, obſidionem ſolvêre; injurias fluminum ignibus, & villarum incendiis vindicavit Ottocarus. Jaurino imminentem, nè ultrà *Vincuntur.*

progrederetur, occurrens ſocrus permovit; audiebatur illa tantò proniùs, quantò vehementiùs latrans intus fames idem ſuadebat. Ceſſit utrique, & copias regno deducit. II. Idus Julij, anno ſeptuageſimo primo Epiſcopis Petro Patavienſi aliíſque ſponſoribus pax Pragæ confecta eſt; reddita Stephano, quæ eo bello ablata; diræ intentatæ, quisquis prior arma temerè ſtrinxerit. Et reſumpſit altero anno Ottocarus juſta indignatione commotus.

Novum cum Hungaris bellum.

Defuncto Stephano Ladislaus impuber ſucceſſerat. Ægidius Comes, neſcio ob quam cauſam, Reginam procerésque veritus, cum Georgio fratre in Auſtriam fugit. Ottocarus hominem benignè exceptum, oppidis Laha, Neoburgo, Stokeraviâ, Steina, aliísque, & mille libris in ſingulos annos ſolvendis donat; Poſonium ejus fidei committit. Hos favores injuriam ſuam interpretatus Henricus Ginſienſis (vivente is etiamnum Stephano Ottocari partes ſecutus, ingentia damna Hungariæ dedit) in patriam rediit, ortáque fortè in inſula prope Budam rixâ, Ducem Belam (fratrem uxoris Ottocari) trucidat. Hungari cædem continuò excuſare, nè pacem eo facto violatam cenſeret, rogare, inducias ſaltem petere. Reſponſum præcisè ab Ottocaro, necem affinis ab ſe inultam tolerari non poſſe, nec debere. Iram in immenſum exauxit Ægidij perfidia, nullâ injuriâ provocatus, deſertis Auſtriaci partibus Poſonium Ladislao prodiderat. In bellum, quod evitare non poterant, copias, quantas poſſunt maximas, contrahunt, populatorum agmina è Cumanis conflata in Auſtriam, Moraviam, Styriam, bis intra menſis ſpatium in Carinthiam immittunt, regiones has probè everrunt. Henricus Ginſienſis, priùs ac Ottocari exercitus conveniſſet, triginta ſuorum millibus invectus ſtragis nonnihil edidit. At Ottocarus ubi ſexaginta millia trahens Vagum versùs tetendiſſet, nullius amplius hoſtis frons conſpecta. Quatuordecim hebdomadum intervallo ad Rottenſteinium Danubius ponte junctus Tyrnavia, Nitria, Poſonium, S. Georgij Caſtrum, Sopronium, munitiones omnes lacui vicinæ, Jaurinum leges accepere. Hujus urbis Præfectus quinque Eccleſienſis Antiſtes in vinculis in Auſtriam abductus. Qua ratione poſtea depactum ſit, non reperio. Ad annum ſeptuageſimum ſextum reſtitutam inter Hungarum & Bohemum concordiam Auſtrale Chronicon memorat, pactíſque inſertum, ut Ottocarus binas ex auro coronas, ſceptra regia, aqualem itidem aureum rarioribus gemis diſtinctum, ceteráque, quæ nuper ſocrus ejus ſurripuerat, bona fide remitteret.

Senſim jam tempus allabebatur, quo Habſpurgicam gentem DEUS in Europæ dominationem evectam volebat. Vaſtæ depreſ-

depressi Ottocari ruinæ in novæ potentiæ fundamentum destinabantur omine sanè longè lætissimo, unde pronum conjicere, quantâ olim modestiâ & clementiâ gens Augustissima sceptrum tractatura sit, quæ per calcatam ambitionem, & severitatem tyrannidi proximam Imperium adierit. Quibus sibi vitiis Ottocarus perniciem maturaverit, ut minori lecturis fastidio exponam, huc omnia conjiciam, quæ superioribus annis prætermissa, consultò in hunc locum distuli. Ad tria potissimùm capita revocari possunt omnia, quæ miserum Regem in extremam calamitatem impulerunt: nimia in populum, procerésque severitas, vanis suspicionibus exaggerata; ambitio non superioris duntaxat, sed propemodum æqualis impatiens; in uxorem studium, turpi servituti, quàm regio amori similius. *Causæ ruinæ Ottocari.*

Styri ante alios impotentiam animi in Ottocaro non ferebant; non unâ injuriâ ægri, dudum alium principem circumspexere; novandi opportunitas omnibus, paucis voluntas deerat. E Prussica expeditione, in quam copias sociâsse Styriæ optimates narravimus, sub Septembrem redux Vratislaviæ eos aliquo tempore commorari secum jusserat. Navata recèns opera, & singularis, qua accipi se videbant, humanitas, nihil suspicionis admisit. Cùm ecce quadam die in conclavi adesse omnes jubentur; quid hoc mandato vellet, cupidè præstolantibus, se Ottocarus infert, jussóque in medium prodire Friderico Petovienssi imperat: siquidem vera nuper retulisset, palàm ediceret, quæ in aures sibi haud ità pridem insusurrâsset. E vestigio Fridericus, quos coràm adesse cerneret, se ad defectionem solicitâsse, de transferenda in alium principem Styria consilium iniisse; conjuratorum præcipuum Bernardum Pfannebergicum, Hertnidum Wildonium, Wulfingum Stubenbergicum, Ulricum Liechtensteinium nominat. Superûm illi hominúmque fidem obtestari, innocentiæ testes cælites, inferósque ciere, Deum vindicem, si fallat, audacter poscere: Fridericum urgere, pertexeret fabulam: quem illi principem designâssent? quo loco, tempore, quâ verborum formulâ in eas molitiones invitatus fuisset? quæ rei conficiendæ excogitata præsidia, enarraret. Henricus Pfannebergicus impudentiam mendacij, & atrocitatem calumniæ inter repetita convitia in os exprobrare; acriùs Wildonius excanduit, simul ardentes per indignationem oculos in Petovienssem evibrat, simul militari ferocia manum capulo gladij injicit: Equidem, ajens, si frustra verba sunt, hic, quo sæpe regis causam non infeliciter defendi, te perditissime hominum, fœdissimi mendacij reum peraget, hoc ego meam, & comilitonum innocentiam assertum ibo. Age vecors, si calumniandi libido ultra oris impu- *Styriæ proceres in Bohemiam in custodiam dat.* *Et cur?*

pudentiam quid reliquum fecit, si Deum malæ causæ ultorem non perhorrescis; I! terro decerne. Nihil prædamnatis sua facundia profuit apud judicem, cujus intererat, innocentes aut non esse, aut non videri, nisi fors & ea scena artificiosè composita fuerit, nè vendibilis quidem fucus deesset, quo ambitiosas suspiciones illineret. Plura loqui parantes silere, & singulos in singulos carceres abripi mandat. Bernardus Pfannebergicus in Burgsleiniz clauditur, Henricus frater Vratislaviæ detinetur, Liechtensteinius, & Stubenbergicus in Fren, Wildonicus in Chlingberg Bohemicis arcibus custodiuntur. Petovienſis sive gratiâ dein exciderit, sive simulatâ ad tegendam fraudem irâ in Aichorn deportatur.

Præludium hoc pœnarum fuit; quæ secuta demum, suspicionem injecere: præcipuum captivorum crimen divitias, & potentiam esse; ea, quæ objecta fuere flagitia, non tam puniri, quòd facta Dux crederet, quàm quòd fieri aliquando posse metueret. Expediuntur ad reorum agnatos nuncij: morte omnes absque spe veniæ multandos, eo solùm salvos præstari posse, si bona arcésque, quas in Styria possiderent, Duci continuò traderent. Petovienſi Swanberga, & Wurmberga adimitur; muri Wurmbergæ dejiciuntur, fossæque explentur. Bernardus Pfannbergicus Pekavio, & Fano S. Petri; Henricus frater Kaiserspergâ, Schalleggio, & Loschenthalio exuitur, relicto ei Rabensteinio; ceteræ arces diruuntur. Liechtensteinius Frauenburgum amittit; Muravium & Liechtensteinium insuper evertitur. Wildonij Eppensteinium occupatum, Gleichenberga, Premersburgum excisa. Stubenbergicus demum loci cognominis, tum Kapffenbergæ, Katschij, & Wulffingsteinij ruderibus vitam redemit. Haud absimilem arcium stragem suspicioſus princeps binis abhinc annis in Austria ediderat. Captivi post sex mensium carcerem, Palmarum die, Martij decimo septimo, anno sexagesimo nono custodiâ emissi diuturnam cum libertate iram abstulêre. Reddidit quidem ablata Styris Ottocarus, quod suprà meminimus, priùs quàm in Ungaros duceret, liberalitate tamen emolliendis animis parùm idonea, ùt ferè beneficiis usuvenit, temporis necessitate veriùs extortis, quàm sponte oblatis; quippe authorem sibi potiùs, quàm nobis tribuisse censemus, & accipere neuter, præstare uterque videtur. Anima nempe beneficij opportunitas temporis est.

Eorum arces in Styria occupat & diruit.

Verùm, si quid ea ponderis benevolentia habuisset, crudelissimum, quod sub idem tempus patravit facinus, vim omnem enervârat. A subacta Carinthia reversus in Styriam juxta Dravi ripas haud castro Mehrenbergensi procul iter fecerat. Sige-

fridus

fridus loci Dynasta morbo impeditus venienti seriùs occurrit. Dux suo genio, & recenti victoriâ tumidus contemptum interpretatus, quavis arte hominem intercipi, abduci in Bohemiam jubet. Pauci dies abierunt, cùm insidiis miser excipitur. Invitatus amicitiæ specie ad Ortolphum de Graez, cognomento Durrenholz militem inviserat; post salutationis officia perfidè in vincula datus; ab Ortolpho primùm tribuno, ab hoc Pragæ Ottocaro sistitur. Illi furorem, qui nondum resederat, viri aspectus, & æmulorum intenderat. Non causam cognosci, non audiri reum, non instruendæ defensionis moram indulgeri sustinet, momento hominem auferri ex oculis, raptari in furcam insana non minùs, ac dira vociferatione imperat. Truculentæ & iniquæ sententiæ barbarum quid etiam in pœna respondit: suspensus è pedibus inter diriſſimos cruciatus in seram noctem vitam extraxerat, elata, quantùm poterat, voce innocuum se identidem, oppressúmque calumniis ingeminans: ij gemitus furorem pro miseratione Ottocaro extorsere. Carnificem noctu immittit, qui impactâ in tempora clavâ vitam, dolorem, & vel maximè lamenta abrumperet. Cadaver subter patibulum defossum, ut tumuli ignominia pœnam ultra vitam extenderet; at infamiam DEUS prodigiosis honoribus abolevit: pluribus noctibus ardentes faculæ imminere tumulo visæ, creditúmque vulgò missas esse è cælo viri innocentiæ testes, sed Ottocaro fulgetra, quæ secuturum propediem fulmen nunciarent. Multis precibus, quamvis ægrè impetrârunt bini fratres, ut corpus refodi Dux pateretur; in Mehrenbergensem Parthenonem delatum marmoreo loculo condiderunt. Vulgus illi sanctorum honores subinde detulit, quod prodigiosam sæpe Sigefridi opem clientes experirentur. Non mitior æquiórve sententia fuit, qua in Moravia nobilem Austriæ Maissovium flammis addixit, alterum Milotæ fratrem securi subjecit. Crimen quidem hujus præter elegantioris formæ uxorem aliud non fuisse ferunt, quam matrimonio expedire properaverit, nè diu alterius beneficij amore, aut metu premere amorem cogeretur. Binis his cædibus alterâ istâ, Sigefridi alterâ in suam perniciem vindices imprudens armavit. Certâsse profectò Milotam, & Mehrenbergicos diceres, nè uni præ altero interitum suum Ottocarus minùs deberet. Ille nè vinceret, isti nè victus à Rudolpho viveret, effecere.

Sigefridus Mehrenbergius in Bohemiâ captivus abducitur.

Et occiditur.

Ottocari in alios sævities.

Altera, quæ præcipitem jamjam Ducis fortunam in exitium causa impulit, ambitio extitit: post funestum annorum viginti duorum à morte Friderici II. interregnum Germaniæ coronam Rudolpho, Alberti II. Comitis Habspurgici, & Heilwigæ Kyburgicæ filio coronam imperij Electores Francofurti, Anno

MCCLXXIII. VI. nonas Octobres detulere. Ut honores Rudolpho deferret ab se OTTOCARUS impetrare non potuit, intolerabile homini visum in secundis consistere, tot annis, quibus justitium durârat, superiorem agnoscere neminem assueto; ipse, quemadmodum gloriari sæpius auditus à mari Balthico ad Adriaticum Dominationem protulerat, terrarum amplitudine, opibus, Clientelis nulli secundus; regios titulos inter Domestica decora dudum numerabat. Rudolphus, etsi fors à Regibus genus duxisset, tum demum patrimonij non copiosissimi hæres ultra dignitatem comitis non assurgebat. Quin herì propemodum in aula OTTOCARI stipendia fecerat, domi Præfectus Prætorio; belli etiam, quod an adversùs Belam, an Stephanum Ungariæ Reges gesserat? operam suam navârat. Hæc illi innata animi sublatio, sed præprimis Cunegundis multò molestissima faciebat. Uxoriis lenociniis viri planè potens erat, & imperiis plus, quàm precibus maritum, in quam liberet, partem flectere solita; nullum illa convitiandi finem facere, identidem marito insultare, nunquam non Rudolphum fœdis coloribus expingere, ornamenta animi, splendorem originis mista contumeliis oratione elevare, in egestatem, virium infirmitatem multa acerbitate ludere, denique an herì servum, hodie dominum passurus esset? ad fastidium accinere. Aliam præterea causam scriptores Bohemi cum Dubravio tradidere: delatum ab Electoribus OTTOCARO Imperium, quam ille dignitatem superbè, & velut cum stomacho rejecerit, dictitans, quasi verò non quid ampliùs sit Regem esse Bohemiæ, quàm Imperatorem salutari? Irritatos eo contemptu Electores, ut par Regi referrent, in Rudolphum ejus nuper aulicum conspirâsse; sed majore gloriæ, & gentis suæ, quàm veritatis studio hæc dici, alij existimant; præterquam enim, quòd ejusmodi repulsa à genio, vitæque instituto OTTOCARI abhorreat, probè gnari, quanta per Germaniam esset Imperatoris authoritas. Ajunt, quà minis, quà largitionibus ordinum suffragia prensâsse, Lugdunum etiam ad Pontificem Legatos, & profusa munera misisse; at reposuisse Pontificem, idoneorum principum abunde extra Bohemiam esse.

Rudolphus I. Imperator eligitur.

Ab Ottocaro spernitur.

Ab uxore stimulatur.

Bellum decernit in Cæsarem.

Ergo certus experiri priùs omnia, quàm parere, in vim se strenuè comparat, cùm Henrico Bavaro amicitiam init, metu Rudolphi non multò post dissuendam. Toto Septentrione legati volitant, aulas Principum universas concursant, in armorum societatem precibus, promissis solicitant. Negotium, quod per legatos forìs, per se domi major ardore, quàm prudentiâ OTTOCARUS urgebat; rebus certè suis meliùs consuluerat, aut distulerat saltem exitium, si ad fortunæ, quam metuebat, rationem vul-

vultum, morésque attemperare noviſſet, ſi lenta properatis, molliora duris præhabuiſſet. Rarò ſiquidem inſitus à natura in principem amor ſic extinguitur, quin miſeratione vehementiùs accendatur. Auſtriæ Styriæque proceres clàm Rudolphum reſpicere intellexerat; ut metu perniciosa ſibi conſilia frænaret, eorum liberos obſidum nomine extorquet, quos diverſis per Bohemiam arcibus includit. Cùm nihilominus Hertnidus Wildonius, Bernardus Volkendorffius, Udalricus Vichovius, aliíque Rudolpho ſtudere non deſinerent, arcem, qua ſe tenebant, copiis cingit, obſides eorum machinis quibusdam imponi jubet; nî deditionem feſtinârint, ſe filios in ora patrum ejaculaturum minatur. Ad eum aſpectum robur animi concidit, victor intra portas recipitur; ceteris veniâ donatis Wildonius, & Volkendorffius cum liberis ſolum vertere jubentur. Eadem in Rudolphum fides exitialis Friderico Salisburgenſi fuit; ſimul ac Præſulem Norimbergam profectum audierat, Milotam tunc Styriæ Præfectum in Salisburgenſis ditiones immittit, igne & ferro pœnæ à villis & oppidis repetuntur, Friſacum cum ceteris dirutum, damno omni viginti librarum millibus æſtimato.

Obſides à proceribus petit.

Salisburgenſis ditionem invadit.

Imminere tempeſtatem è Bohemia dudum Rudolphus præviderat; Henrici Bavari, ſed Ottocari præſertim motus intentiore cura obſervârat. Receptâ Aquisgrani anno ſeptuageſimo quarto coronâ, indictíſque ſubinde in ſequentem annum Norimbergæ comitiis, ad altera Herbipolim poſt tres menſes celebranda ordines evocat; invitati Henricus, & Ottocarus venire renuunt. Multa ibidem ſalubriter ſtatuta. De tollendis cumprimis per Germaniam latrociniis actum, iniquos bonorum uſurpatores ſpoliandos, Bohemi & Bavari factionem opprimendam decretum. Nè vim ſententia obtineret, occultis Ottocari machinationibus effectum eſt. Re in Rudolphi conſcientiam adducta, tertiò convenire ſenatum Auguſtæ Vindelicorum proxima æſtate Anno MCCLXXVI. mandat, Ottocarum & Henricum, nî paruerint, læſæ Majeſtatis reos pronunciat. Id fulmen contumaciam demum infregit: Legatos pro ſe quisque expediunt, ille Bernardum Seccovienſem, hic Henricum Præpoſitum Oettinganum. Sed ſuos unà adversùs Ottocarum oratores Auſtriæ, Styriæque ordines Auguſtam miſere, Fridericum Petovienſem, Hertnidum Wildonium Styros, quibus ſe Fridericus Salisburgenſis adjunxit: Bernardum Volkendorffium, Udalricum Vichovium Auſtriacos.

Evocatur ad comitia.

Mittit Legatos.

Priores in curiam admiſſi multa, ùt iratis & miſeris acris eſſe facundia conſuevit, verborum vi Provinciarum calamitatem, Ottocari violentiam expingunt. Tyranni more primò graſſa-

Ordinum querelæ adversùs Ottocarū.

tum ad Magiſtratum eſſe, eodem ritu hodiedum gerere; non à profanis, non à ſacris cupiditatem, & manus abſtinere; iniquiſſimas ſententias ex affectata juris formula perferri. Qui ceteris paulò copioſior, eundem & reum cenſeri: fortunæ beneficia graviſſimis pœnis luenda. Damnari criminibus oneratum non ſuis, quemcunque ſuſpicio metuendum perſuaſerit; facultatibus everſos inſuper in captivitatem abripi, ad hunc diem multos detineri. In ſpem carcerum veriùs, quàm generis gigni liberos, beneficij loco dari, ſi in vincula patribus ſuccedant filij: quamvìs hoc conſilio admittantur obſides, nè redeant hæredes. Delicta Nobilium ſervilibus, barbarísque ſuppliciis plecti: alios intra domos ſuas concrematos, ferreis catenis alios intra latronum fæcem è communi furca ſuſpendi, alios ferocium equorum caudis alligatos per urbium compita raptari. In auctarium criminum privata adjiciunt: ſanctitatem thalami publicis adulteriis polluiſſe, vivâ Margaretâ ſuſcepiſſe è pellice liberos, repudiâſſe ornatiſſimam fœminam ſterilitatis obtentu, quæ ſcilicet poſt Styriam, Auſtriámque alias marito provincias paritura non erat; veneno denique innocentem ſuſtuliſſe. Salisburgenſis illata à Milota damna recenſebat, nec aliâ ſe cauſâ armis appetitum, quàm quòd Norimbergæ Rudolpho fidem addixerit, in clientelares poſſeſſiones immitti rogârit.

Poſt hos Ottocari, & Henrici Legati auditi. Oettinganus excuſatis pluribus, alia Bavari acta tuitus, modeſtè cauſam egerat; at non facilè dixeris, an Legati ordinum, an Seccovienſis Antiſtes fortunam Ducis magìs proſtraverint. Verbis tumidam, rebus vacuam orationem exorſus, argumentorum offucias ludo magìs quàm foro aptiores aggerat. Quidquid ad eum diem delirârat Ottocarus, tueri contendit; tum quo cauſam ſuam jugularet penitus, multa in Cæſarem, multa in aſſidentes ordines ad ravim declamat: Rudolphum Imperatorem vitio creatum; à Pontifice, ajebat, dudum diris devotum, à devotis eligi fas non fuiſſe; in eandem ſententiam plura latino ſermone ad Præſules perſequitur. Tum Rudolphus nonnihil commotus ad hominem: equidem ſi cum ſolis Sacerdotibus negotium aliquando ſit, latinè per me licèt, diſſerito, cùm me, meíque ordinis inſectandos ſuſceperis, eâ linguâ utitor, qua facultatem reſpondendi non adimas. At Bernardus Ottocari mente, & intemperie planè imbutus contentioſiùs debacchari, cumulare convitia, alternis Cæſarem ordinésque proſcindere; juſſus faceſſere, invitis aures acerbiùs obtundere. Manus jamjam injicere Palatinus parabat, niſi à Rudolpho monitus majorem publicæ fidei, quàm vindictæ rationem haberet. Philippus, cujus ſæpius

Legati Ottocari ad ordines acerbior oratio.

jam

jam meminimus, aliàs curiam acceſſerat, ſuam Carinthiam repetens.

Ottocari ſuperbiam, cujus imaginem Legatus bellè expreſſerat, edomandam omnes cenſebant. Armis tamen adhucdum abſtinendum, tentandum, an metu extundi obſequium ab arrogante poſſet. Fridericus Zolleranus, Norimbergenſis Burggravius, & Henricus Baſileenſis Epiſcopus in Auſtriam deſtinantur. Legationis ſumma erat: Auſtriam, Styriam, ceterásque ſtipendiarias Imperij provincias redderet, electioni Rudolphi nè ultro obſiſteret, ordinum ſententiæ ſubſcriberet, fidem Cæſari juraret. Efferbuit enimvero ultra modum ad poſtulata Ottocarus, oculis fulgurans, vocéque concitata: quod mancipij genus regem Bohemiæ ordines putarent, qui ſervo ſuo obſequium, fidem addiceret? Majeſtatem Regiam tanto probro fœdaret? non paſſurum ſe unquam capiti coronam, humeris purpuram hærere, cujus pudeat. Indignum profecto nimis Rudolphum Imperio, & ſervilis adhuc animi hominem, qui ampliorem fortunam, & modeſtiam non capiat. Nunc certo ſibi documento conſtare, nihil eo eſſe aſperius, qui è humili ſorte elevatus ſit; quando inſultare regibus audeat, qui è ſervitij latebris prorepſit in ſolium; nullis ſe nominibus Rudolpho obſtringi, ſtipendia nuper merenti curatè ſolviſſe, Auſtriam, Styriam dotalitiis tabulis ſibi obveniſſe, Carinthiam ære, alia armis comparâſſe; nihil in hæc juris Rudolpho. Si fortunâ ſuâ ebrius poſtulatis non deſtiterit, facturum ſe equidem, ut intelligat, quantum inter Regem, Ducémque veteranum, & hodiernum dominum, heſternum ſervum interſit, id ſaltem honoris relaturum Rudolphum, quòd ſe paſſus ſit exæquari Ottocarus famulo, quem hoſtem admittere dedignatus non ſit. Verborum acerbitati facta reſponderunt. An legatorum ſervos licentiùs locutos, an literarum à Rudolpho Bajulos (ſcriptores variant) nulla habita commeatûs publici ratione è portis ſuſpenderat. Veneficas etiam mulieres ſtimulâſſe in Imperatoris cædem ferunt.

Bellum in Ottocarū decernitur.

Ottocari ad Legatum Cæſareum reſponſio.

Nondum ſoluto procerum conventu Legati Auguſtam rediere. Vix fidem apud attonitos invenere, quæ de impotenti Ducis arrogantia retulere; una omnes voce conclamant: factum contra rempublicam videri, pronunciatur hoſtis Imperij, bellum in Ottocarum, ſociúmque ejus Bavarum decernitur. Suſcepto per Bavariam Menſe Octobri itinere ea provincia, velut per otium ſubjugata; Straubinga, Patavium portas ultro aperuere. Auxiliares Bohemorum copiæ primo congreſſu fuſæ, pars capti, pars in vicinos Bohemiæ ſaltus diffugêre. Henricus Dux deſperatis rebus ad Rudolphi denique Clementiam ſe vertit, amiciti-

Bavariā Rudolphus ſubigit.

am primùm cum Ludovico fratre integrat, à quo ob nuptias cum Mathilde, ſe non conſulto initas diſſidebat. In preces generi Ludovici, & Mathildis filiæ non gravatè Rudolphus conſenſit; Henricum in gratiam recipit, & affirmando arctiùs fœderi, Ottoni Catharinam filiam deſpondet. Mutuatus in belli ſumptus quadraginta ſex aureorum nummûm millia, regionem ſupra Anaſum dotis, & pignoris nomine attribuit. Pari facilitate Auſtriæ oppida Lincium, Laureacum, Ipſium, Tulnam, Neoburgum in poteſtatem venere, civibus claves ultro deferentibus. Octidui ſpatio tota cis Danubium Auſtria paruit. Expeditionem hanc porro Anni LXXVI. autumno ſuſceptam è diplomate liquet, quod VI. Kalend. Octobr. ad Pataviam in caſtris à Rudolpho ſignatum eſt. Unde & belli comites diſcere licet: Moguntinum, Salisburgenſem, Herbipolenſem, Ratisbonenſem, Chiemenſem Præſules, Ludovicum, & Henricum Bavariæ Duces, Landgravium Haſſiæ, Fridericum Burggravium Norimbergenſem aliósque.

Et in gratiam recipit.

Styria & Carinthia Mainhardi Tyrolenſis operâ Cæſari aſſeritur.

Quas hìc Rudolphus victorias armis cœperat, per Styriam & Carinthiam facundiâ ſuâ ſtrenuè proſecutus eſt Mainhardus Tyrolenſis, quò eum nuper Cæſar deſtinârat, ut Provinciarum poſſeſſionem uſurparet. Averſos ceteroquin à Bohemo ordines una liberorum, quos obſides detinebat, cura ab aperta defectione retardârat. Perrupit & iſtud obſtaculum Mainhardi dexteritas; ſolenni ritu Ottocarum abdicant, adſtrictáque Rudolpho fide ſuppetias in caſtra ferunt.

Viennam Rudolphus obſidet.

Ad Viennæ muros metabatur tum Cæſar; ea urbs proſperum victoriarum curſum tantiſper ſufflaminârat. Novembris initio oppugnari coepta, in ſextam hebdomadam hoſtem excluſit. Nihil non machinarum adhibitum, ut aut vi muri, aut metu animi expugnarentur. Auctus Styrorum ſupplementis etiam Hungaros in fœdus ſolicitavit; & addixit operam Ladislaus infenſus Ottocaro, quòd urbibus, quas nuper captas in Hungaria diximus, nondum Germanorum præſidium deduxerit. At munimentis, quæ nova Dux adjecit, Vienna confiſa, conditiones omnes ſuperbè reſpuit: licèt cives à deditionis nomine non abhorrerent, obſtabat ferociter præſidiarius miles; promptiſſimum quemque huc Ottocarus injecit, quorum pervicaciam egregiè ſuſtentabat Bruno, Olomucenſis Epiſcopus, urbis Præfectus, & Rudigerus Paltramus conſul, erecti ambo animi, & fide in Ducem præclari. At poſtquam agros, vineásque funditus exciſurum ſe minatus Rudolphus, ſi ultro reſiſterent, nihil jam aut Præfecti reverentia, aut militum metus apud cives potuit. Circumſtant Rudigerum: celeri deditione fundorum ſtra-

Deditione capit.

ſtragem anteverteret; ſi cunctaretur, vel Præſulis ingratiis ſuis ſe rebus proſpecturos. Ægrè à furentibus impetratum, ut decem adhuc dies obſidionem tolerarent, qua ſi ſuppetiæ non adeſſent, cum Cæſare paciſcerentur. Alteram Danubij ripam OTTOCARUS inſederat; nè in adverſam aſpiraret, Rudolphi copiæ, & pons antè diſſolutus prohibebat. Condicta die cùm nuſpiam Bohemica ſigna apparerent, Cæſarem intra muros admittunt.

Diploma Styris à Rudolpho datum.

Rudolphus Styros ob operam ſtrenuè navatam multis laudibus affectos non antè dimiſit, quàm publicis literis immunitatibus eorum caveret: iis porrò tabulis non veteres modò ab OTTOCARO, & Leopoldo Ducibus, Friderico II. Cæſare ratas habuit, ſed ſingularibus prærogativis ornavit: nè ſcilicet à Romano Imperio divelli unquam Provincia poſſet, aut principem, niſi quem ipſi optârint, haberent. Verba attexere juvat. *Nos attendentes immenſam fidem, & devotionem ſinceram, quibus Miniſteriales Styriæ ſupradicti, jugum oppreſſionis, & injuſtitiæ declinando, quod Majeſtatem noſtram, & imperij enormiter offendebat, noſtrum, & imperij juſtum, & dulce dominium totis affectibus ſunt amplexi, univerſos & ſingulos tam miniſteriales, quàm ceteros in eodem ducatu Styriæ conſtitutos fideles noſtros ſub noſtram, & Imperij recipimus ditionem, ut non niſi à nobis Imperatoribus, & Regibus ſucceſſoribus noſtris perpetuò teneantur. Si autem prædictorum Miniſterialium Styriæ favorabilis inſtantia noſtram providentiam pulſaverit, ut eundem Ducatum de manibus noſtris, & Imperij, alicui Principum, quem noſtra viderit dignum ad hoc ſublimitas, porrigamus; illum ad hujusmodi Principatûs honorem curabimus exaltare, de quo pars major, & melior Miniſterialium terræ Nobis duxerit conſulendum, nolentes, ut eis ex cauſa rationabili renitentibus, & invitis jugum novi Dominij, quod eorum ſtatui non conveniat, imponatur - - - - Ut autem tenor hujus Privilegij à futuris dictæ terræ Principibus ratus, & ſtabiliter teneatur, præſenti præcipimus ſanctione, ut dum Princeps, qui pro tempore fuerit, à Miniſterialibus Styriæ fidelitatis exigit Juramentum, ipſi ad præſtationem hujusmodi Sacramenti minimè conſtringantur, donec Princeps, & Dominus corporali ſuo Juramento promittat, ſe præſens privilegium in omnibus & ſingulis ſuis articulis ſervaturum - - - - Datum Viennæ duodecimo Kalend. Martij, Indictione quinta. Anno Domini Milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo ſeptimo, Regni vero Noſtri Anno quarto.* Eodem & Judenburgenſem civitatem literis ſuis communivit. XIV. Kalend. Februarij Viennæ exaratis.

Reliqua Austria se submittit.

Viennæ casum ceteræ urbes secutæ: neque tamen subacta Austria dici potuit, donec altera intra Ottocari castra Vienna integra persisteret. Aggredi porrò hostem validum, qui otiosus hactenus sua damna spectâsset, aut eum omittere negotium erat difficultatibus multis obsessum. Exercitus vel ipsis victoriis, & longiore obsidione imminutus: fames tantùm non in seditionem militem egerat; versis jam templorum, & Monasteriorum thesauris in annonæ pretium, non erat, unde posthac peteretur. In alteram ripam eniti spes non erat, quin cladem ante prælium hostis inferret. Quod si etiam excensio modico damno fieret, cum callido, & veterano duce res futura erat, quem invitum in pugnam elicere vel speratu arduum: castra invadere hac paucitate militum vix equidem consultum. Refocillare tamen aliquot dierum quiete militem, & in hostem ire constituit, quando cessatio & metûs confessio non minùs ac clades nocitura videbatur.

Pacis Consilia.

Hæc molientem Præsules adeunt, bellum deprecantur; fractum haud dubiè malis Ottocarum jam modestiùs acturum. Nihil se morari Cæsar reposuit, si modò æquis conditionibus rem transigere Bohemus patiatur. Brunoni Olomucensi, ut Regem conveniret, mandatum. Simul ac is pacis mentionem injecerat, è conspectu se quantocyus proripiat, jubet. Admisso post triduum non sinè stomacho assentitur: iret, & telam pertexeret, quam orsus fuisset. Ludovico Palatino pacificandi pro se potestatem fore. Fridericum Norimbergensem in id negotium Cæsar nominârat: utrique parti Episcopi adjuncti: è formula, quam Rudolphus dictârat, pax coaluit. Austriâ, quæ cis Danubium, Styriâ, Carinthiâ, ceterisque, quæ privata potestate occupârat, Ottocarus decederet, donec Imperij senatus de jure cognosceret. Austriam Transdanubianam, Bohemiam, Moraviam retineret quidem, sed beneficij nomine à Cæsare reciperet: Provincialibus obsides, Hungaris ablata, & captivos redderet: denique quo pax affinitatis vinculo arctiùs stringeretur: Gutham Rudolphi filiam Wenceslaus, ubi adoleverit, duceret, Guthæ Fratri Rudolpho Agnes Ottocari filia nuberet: spem simul monstratam Dubravius refert, fore, ut ablatas provincias pro dote uxor afferret.

Admittit Ottocarus

Nulla exceptione Ottocarus subscripsit, illud duntaxat gratiæ loco sibi dari postulârat, ut extra conspectum militum Sacramentum solenni ritu intra papilionem dicere liceret. Rudolphus occasionem, qua elatos viri spiritus ad modestiam deprimeret, avidè arripit, petitis connivet. In Kambergam Danubij insulam (ea in hanc ceremoniam delecta) cum quibus vellet, tran-

transiret; ambo exercitus eminus adstarent, ripam utramque prætexerent. Tentorium, quod in hunc finem erigendum Rudolphus pollicebatur, cum suis ipse subiret: id porro eo artificio fraudem tegebat, ut laxati funiculi beneficio machina dissolvi commodè posset. Adest Ottocarus duodecimo Kalendas Decembres provolutus ante Rudolphi solium, pro veteri ritu, & Provinciarum, quas hactenus possederat, numero, quinque Vexilla affert. Imperator supplicem comiter ceteroquin accepit. Austriæ, Styriæ, Carinthiæ servatis, bina Bohemiæ, & Moraviæ vexilla reddit; cùm ecce soluta momento compage pavilio in planum effunditur; affusum genibus Bohemiæ Regem ambo exercitus vident: ambo spectaculo quidem, quod lineis parietibus celari ignorabant, attoniti, sed diversis animorum motibus conciti; Bohemi indignari, fremere; Germani ridere, plaudere, hi lætitiam, illi iram ex mutuo aspectu intendere; Ottocarus eventûs insolentia non aliter ac fulmine perculsus tantisper hærere, collecto tamen mox animo indignationem apud se premebat. Ignominia, jactura, & super utrumque metus, quî à Cunegunde accipiendus esset, uxorium virum angebat. Affectatis viæ diverticulis in alterum annum reditum distulit, & pœnam.

Deluditur intra tentorium supplex.

Austria, Styria, Carinthia ei adimitur.

Adventanti in limine formidata dudum Ultrix occurrit. Pro salutationis officiis mixtæ acerbis cavillis contumeliæ fuere. Me profectò beatam te marito exclamat: rediisti præter spem Princeps generosissime, facturum in aula Rudolphi stipendia posthac credideram. Huc demum apparatus ille belli, & magnificæ nuper voces recidêre, ut intra modicos Bohemiæ saltus precarij, & clientelares reguli clauderemur? exciri nempe totus Septentrio debuit, ut trementem ad pedes servi Ottocarum videret. Ut inter generosas lachrymas supplices magnificè manus tetenderis, ùt amplexatus fortiter genua sis, famâ accepimus. Vendidisti ignava pacificatione provincias, quas nemo ullis cladibus ante vitam extorquere debebat. Emisti miseram potentiæ laciniam pudendis precibus, quibus ego nec orbis imperium comparârim. I nunc! & explicatum à Balthico ad Adriaticum mare imperium jacta. O te egregium patrimonij auctorem! quod nuper regni medium, pulchro compendio fines feciſti. Nè bello amissa repetas, scio te religione, heri tui reverentiâ, & magnitudine beneficij, quo te mitissimus tuus Mecœnas recèns obstrinxit, impediri. At si id mos fœminis indulgeret, nunc copias rapuerim, ditionem omnem recuperârim, imbellis viri socordiam expiaverim. Hæc clàm, hæc palàm quotidie imperiosa mulier occinebat.

Redux ab uxore asperè accipitur.

Pacta cum Rudolpho rescindit. Ottocarus, etsi suis fassus non semel esset, successu semper caruisse, quidquid conjugis consilio suscepisset: ludibrij tamen impatiens fecialem ad Rudolphum ire jubet, nî Viennam ceteráque redderet, bellum denunciet. Dissuadentibus, qui aderant, defixo in terram vultu deliberanti similis tantisper hæret; tum pulsata pede humo: I! quod imperavi, nuncia, si pacem jure jurando sancitam obtenderit, dic, malis artibus circumscriptum, & delusum probrosè Ottocarum nulla pactorum fide teneri, evitâri bellum nisi redditis provinciis non posse. Ageret, & bellandi artes, quas me magistro didicerit, exerceret. Pacis tabulas nisi alterutrius sanguine conficiendas nè speret: satìs me jam gloriæ vixisse. Si fortuna non concesserit, me integratâ potentiâ vivere, petiturum vel à desperata pugnandi contentione, nè parco sanguine, & inultus ditionem, vitámque divendam. Et verò eâ fiduciâ, velut qui manibus teneret victoriam, bello se accinxit. Machinas apparari curârat, quibus Rudolphum oppugnaret, si è prælio profugus in civitatem quandam se occluderet: mox, nè quidpiam, quod jurârat, servaret, Agnetem Rudolpho desponsam cum decem virginibus in claustrum detrudit.

Pacis suasores multat. Præcipuos pacis authores Wartenbergum, Riczanum, Wilhelmum bonis exutos relegat. Ab his ad nectenda fœdera animum vertit; è Bohemis, Ruthenis, Silesiis, Polonis, Misnensibus, Saxonibus, Moravis, Thuringis triginta millium exercitum conflavit. In Austriam prope civitatem Laha ingressus, cùm adventus sui indicium incendiis feciisset, Henricus, & Leopoldus Chunringij, Henricus Bavarus pecuniis in proditionem empti vires sociârunt. Ottocaro in Transdanubianam Austriam grassante, Henricus, & Ivanus Ginsienses Comites in Neostadienses agros sæviebant. Nè ulteriùs ferrentur, Stephanus Meissovius, Otto Berctholdstorffius, Bertholdus Eberstorffius ruentium impetum tantisper sustinuere, donec evocatus è provinciis miles ad signa conveniret.

Fœderati Ottocari.

In Austriam irrumpit.

Copiæ Rudolphi & Fœderati. Augusti mensis initiò bis mille sexcentorum, & quinquaginta equitum agmen adfuit: à Salisburgensi tercentum, à Basileensi, Norimbergensi, Marchione Hochbergico octingenti subsidio venere. Sexcentos Hennenbergici, & Fürstenbergici: centum quinquaginta Albertus Goritiensis: tercentum Mainhardus Tyrolensis: totidem Fridericus, & Albertus Ortenburgici: Udalricus Haimburgicus Carnus ducentos subministrârat. Henricus Pfannebergicus Styros centum ducebat, mille alios communi ære lectos provincia submiserat Duce Friderico Petovienſi, Ottone Liechtensteinio, & Colone Seldenhovio. Hungarorum & Cumanorum viginti millia, quæ Comes Tauferius Tyrolensis

sis à Ladislao Hungariæ Rege impetrârat, non nisi post dies quatuordecim accessêre. Exciti præterea è Suevia Albertus, & Rudolphus Imperatoris filij advolârunt.

Pridie Idus sextiles Moravam Hungari transiere. Quo cognito Rudolphus & ipse trajecto ad Hamburgum Danubio, incensísque, nè in victoriam segniùs incumberet, si à fuga salutis spes supereſſet, navigiis propiùs hostem movet. VIII. Kalend. Septembris in conspectum venere; palus non lata admodum, arundine consita utrumque exercitum diviserat. Eo adhuc die lætum victoriæ omen in castra Ungari retulere; transmissa silentio palude in Saxonum, & Polonorum stationes illati, cum ducentis captivis, & centum interfectorum capitibus redierunt. Dilata est in alteram diem aggressio, quòd in more positum Rudolphus habuerat, si præliandi arbitrium necessitas non adimeret, Veneris Die pugnare; ejus diei otium in ordinandum prælium insumptum est. Multos primùm equestri dignitate exornat, ut novi honoris conscientia ignaviæ pudorem augeret, pugnæ modum præscribit, copias omnes in ordines quaternos tribuit. Suevorum agmen primum Matthæus Treuzius, alterum Stephanus Schildbergius ductârat. Tertium Styri, Carinthi, Carni, & Salisburgenses faciebant; his Rudolphus ipse Imperator æquè, ac commilito accessit. In quarto Austriaci pugnabant. Partem copiarum Capellero extra aciem attribuit in omnem prælij casum servandam, ut, quò res poscceret, opportunè subsidio immitteret. Ad Rudolphi mandata suas quoque legiones Hungari attemperârunt. Universa porrò acies in mediæ lunæ figuram sinuata est.

Propiùs hostem movent.

Aciem componunt.

Postero die VII. Kalendas Septembres in hostem itum. Legionibus Aquilam Henricus Hakbergicus, Austriacum signum Conradus Haslovius; Cæsari Redemptoris è cruce pendentis labarum Albertus filius præferebant. Rudolphus, ut propitium sibi Numen redderet, Honori S. Crucis ædem vovit, si ejus diei victoriâ potiretur, quam voti damnatus dein Tulnæ condidit. Antequam classica concinerent, paucis pro re cohortatus suos alloquitur: hunc, quem viderent hostem, eum ipsum esse, qui nuper nè aspectum quidem suum tulerit. Virilibus quidem armis, sed muliebri ira in pugnam venisse; Non tam vincere sperare Bohemum, quàm honesta morte à vestris manibus uxoriæ tyrannidi eximi. Huic bello etiam illi, qui cruce insigniti Palæstinæ recuperandæ se devoverant (multi eorum aderant) se authoratos putarent, in quo quàm vel vinci pulchrum, tam non metuendum: non tam Cæsari, quàm DEO pugnaturos se crederent, suam illum causam non destituturum: adesse jam, ut

Militem Rudolphus animat.

equidem sibi animus præsagiret, DEUM fœderis sacrilegè violati vindicem: non aliud opus esse, quàm ut manus justæ Numinis ultioni commodarent. Similia Henricus Basileensis ordines obequitans ingerebat.

Ottocarus de procerum fide solicitus. Ottocarus occultis nunciis admonitus, à proditione caveret, quam ducum nonnulli in diem pugnæ adornârant, pridie in tentorium eos convocat, positísque armis in medium eorum globum se injicit; en hìc, inquiens, inermem intra manus vestras Regem: non est quidem, cur de fide vestra ambigam, quodsi tamen cuiquam Regno indignus, hosti tradendus videar, pugnam, necémque tot millium antervertite, id beneficium Patriæ date, me unum hodie concidite, in crastinum cruenta consilia nè differte. Ad eam Regis orationem intimis sensibus emoveri omnes, aut emotos simulare, repetitis sacramentis, diris imprecationibus fidem adstringere. Securus, ùt putabat, jam sui in sex agmina copias partitur; primum Bohemi, Moravi alterum conficiebant, tertium è Misnensibus, & Thuringis conflatum. Poloni in duas phalanges recesserant, Saxones & Bavaros ipse ductabat: quò faciliùs sese in æstu prælij dignoscerent, fasciam candidam, quæ ad baltheum usque defiueret, collo alligârant. Tessera militaris illis *Praga*, Cæsareis *Christus*, aut, ùt Hagecius ait, *Romanum Imperium.* In fronte aciei consistens Ottocarus his ferè verbis militem in pugnam animârat. Nunquam vos hactenus numerum, vestram nemo non virtutem timuit, commilitones! in tota hac, quam oppositam cernitis, nationum colluvie gens nulla est, quæ non suis cladibus vestra arma in victorias erudierit. Hungari, Austrij, Styri, Carinthi, & cetera rebellium nomina vestrorum triumphorum materies fuere. Si quid olim bellicæ laudis Rudolphus collegit, vestris manibus debuit; Vestris exemplis, siquid bellicarum artium novit, didicit. Victores toties suos illi; magistros ille suos, credite, formidat; fastus illis ad Ducis sui exemplum major, quàm virtus. Agite, nè impunè jugum vestris cervicibus homo temerariè superbus meditatus sit, hodierna die efficite; intra Austriæ fines Bohemiæ Regni Majestatem, libertatem defendatis: mandatum à me nullum hodie expectate, à vestra virtute, & meis exemplis capite.

Ejus copia.

Tessera militaris.

Suos hortatur.

Pugnæ initium. Pugnandi initium à Styrorum agmine factum est, primo in hostem erumpente Henrico Schörlino Salisburgensi; nulla parte dimicatum est acriùs. Octingenti quinquaginta gravis armaturæ equites negotij plurimum Styris facessivere; hos Rudolphus, illos Ottocarus ductabat, uterque immixtus pugnantibus voce, manu, exemplo animos sufficiebant. Atrox & anceps diu prælium fuit victoria initio in Bohemos respiciente; nam post-

quam

quam Pfannebergicum grandi vulnere ſauciatum efferri ex acie Styri vidêre, nutare nonnihil, ſenſim retrocedere, & niſi ob præſentem Imperatorem verecundia cohibuiſſet, fugam reſpectare. Conſpicatus periculum Rudolphus ex equo deſilit, humíque provolutus DEUM, nè ſe eo articulo deſertum vellet, orat. Continuò animi Styris rediere, ut planè ejus, quem in ſuppetias vocârat Rudolphus, numine afflatos ſentires. Pudore jam, & irâ ferociores in hoſtem irruunt: nihilo tamen magìs loco moveri OTTOCARUS; quin animus is Herbuto Fullenſtainio Sileſio, qui Juris dicundi Prætorem haud multis abhinc annis in Styria egerat, fuit, quem in id facinus multis pollicitationibus Rex perpulerat, ut inter Cæſareos ordines irrumperet, & Rudolphum veſtigaret, repertúmque ſtrato primùm equo, valido ictu humi affligeret. Hominem captum trucidari Rudolphus vetuit, dictitans, irreparabile damnum Reipublicæ fore, ſi tantæ virtutis miles periret. A Berchtholdo Capellero properè in alium equum levatus valentem ſe, integrúmque alta voce exclamat, ſuósque, qui occurrerant, in pugnam redire jubet: ipſe verò cum recenti, quem Capellerus adduxerat, milite in latus invectus, ordines demum hoſtiles perrumpit. Parte altera Henricus Hachenbergicus, quemadmodum conventum erat, ſublato à militibus clamore maximo, hoſtem fugere ingeminat.

Nutat Rudolphi acies.

Rudolphi periculum.

Aciei hiatus, & recens ex edito rumore, nè fuga ſociorum latera nudâſſet, metus pugnandi ardorem multùm apud Bohemos imminuit, nondum tamen reſtinxerat, donec Regem inter primos adhuc intrepidè pugnantem ſpectarent; at poſtquam nuncius allatus eſſet, Milotam perfidè cum ſuis prælio exceſſiſſe, nec jam vultu diſſimulari extremum periculum ab Rege aſpicerent, tum enim verò nullâ ampliùs honeſti, nullâ tuendi Regis, unâ vitæ ſervandæ curâ tangi, ſolutis momento ordinibus, abjectísque, nè feſtinantes morarentur, armis per avia, invia, quò quemque ſuus impetus, timórque rapiebat, ferri. Idem fugientium torrens OTTOCARUM abſtulerat, ſi Mehrenbergicorum fratrum aut diligentiam aut celeritatem fallere potuiſſet. Cædes Sigefridi fratris illos implacabiliter efferârat, vitámque & ſanguinem pro ultione dudum devoverunt; nunc Regem terga vertere conſpicati, alter alterum animans, tempus adeſſe, quo juratas toties inferias piis fratris manibus mitterent, ſeſe extra ordines ſuos ejiciunt, viáque per medium hoſtium enſe patefacta hinc & illinc curſum in OTTOCARUM, quem eminus cognôrant, dirigunt; eodem, quo irruêre impetu, equo deturbant: dum viam vulneri gladiis intra thoracis ſepta rimantur, ille ſe in vincula offerre, immenſum pretium polliceri, vitam duntaxat ab

Fugiunt Bohemi.

Ottocarus cæditur.

efferatis nempe annosâ irâ ultoribus deprecari. At ij non contenti vitam, etiam honeſtæ mortis ſolatium eripuere. Ut necis & vulnerum acerbitatem causa cognita augeret, moriturum te, inclamant, militariter & ceu victus à victore nè puta; tot crimina, & innocentis ſanguinis pœnas à te reo, damnatóque ultores repetimus: recipe ferrum, Tyanne ſceleratiſſime, debita Sigefrido Mehrenbergico victima! ſimul pugiones in jugulum alter, alter in pectus demergunt.

Egiſſe hoſtes in fugam ſatìs Rudolphus habuit, à cæde univerſim abhorrens; interfici fugientium quempiam ab Hungaris vetuit, etſi cohiberi non potuerint, quin laxatis, ùt gentis mos eſt, habenis in curſum effuſi, quos è poſtremo agmine aſſecuti eſſent, conciderent. At Regem cumprimis captum, quàm vulneratum malebat. Intellecto ejus periculo Emerbergium, & Bercthold orffium expediit, qui vivum adducerent. Seriùs ij advenere, jam ſeptendecim vulneribus confoſſus in arena jacebat, adeò indignato, ubi intellexiſſet, Rudolpho, ut nec admiſſos in conſpectum Mehrenbergicos Dubravius memoret. *Ejus ſepultura.* Cadaver à Calonibus nudatum plauſtro Emerbergius impoſuit, Marcheggium primùm, dein Laham, inde Viennam ad Scotos deductum eſt, ab his ad Fratrum Minorum ædem translatum, triginta ferè hebdomadis nullo ſacro ritu tumulatum jacuit. Bohemi ſubinde impetratum à Cæſare Znoymæ honorificâ ſepulturâ donârunt: poſtremò Pragæ in Divi Franciſci cœnobio, quod vivens erexerat, regiâ pompâ conditum ſtabili demum loco quievit.

Pugnatum eſt, haud Morava fluvio procul in campo, qui Stillfridum, & Idunſpengam, arces Auſtriacas interjacet Anno MCCLXXVIII. De die, quin & menſe non eadem omnibus *Pugnæ locus & dies.* opinio: feſtum Divæ Barbaræ Hagenius: VII. Kalendas Octobr. Rhoo: XXIII. Auguſti Fuggerus: Diem Veneris omnes nominant. Veriùs Pappenheimius, & Eberhardus Altachius Ratisbonenſis Eccleſiæ Archidiaconus, ejusdem ævi ſcriptores, vigeſimam ſextam Auguſti extremam Ottocaro accidiſſe tradunt; hæc etenim eo anno Veneris dies fuit. Quatuor ſupra dena millia ex Ottocari exercitu clades abſumpſit. Corruptum ære à Rudolpho Milotam narrat Dubravius; ſed cædem fratris duntaxat hac perfidia ultum fuiſſe, credibile magìs. Rudolphum ſanè ſcriptores permulti, ſed præ iis omnibus candor animi, & Germana ſimplicitas ab his artibus abſolvunt: proditorem certè quempiam, qui perdendo Regi operam ſuam obtulerit, ſeverè rejectum Fuggerus teſtatur.

Ita

Ità finiit Ottocarus Rex ævo ſuo potentiſſimus, immodici in uxorem amoris, & præcipitis iræ funeſtum exemplum, quæ vitia, uti in exitium traxerunt, ita magnis viri virtutibus labem aliquam aſperſere; teſtatiſſimis ceteroquin laudibus abundabat. Bello præſertim excelſitas animi, & indomita quovis periculo virtus enituit: inter clariſſimos ætatis ſuæ imperatores habitus. Bavaria, Pruſſia, ante omnes Hungaria, quæ non ſemel illius virtute contremuit, ſuis cladibus ingens illi nomen attulere. Innutritus victoriis, collatis ſexies ſupra decies ſignis hoſtem campo exegerat. Sed nempe ùt magnis heroibus ſæpius accidiſſe legimus, non in campo tantùm, ſed in Gynæceo Hercules fuit, utì virtutibus, ita vitiis illi ſimilis. Iole quoque ſua Ottocaro obtigit, ad cujus ſcuticas trepidaret. *Ottocari Imago.*

Præter liberos quatuor, quos ſupra recenſuimus, è Cunringia pellice ſuſceptos, Griſelam (an eâdem matre editam, incertum) Notham genuit, Domino Wickardo de Polna nuptui traditam. Cunegundis uxor altera ternos illi peperit: Wenceslaum Regni hæredem, Agnetem à morte Ottocari Rudolpho Cæſaris filio collocatam, nuptiis Iglaviæ celebratis. Cunegundem demum in cœnobio Divæ Claræ ſacris virginibus accenſam; At impetratâ ſubinde à Pontifice veniâ, vitæ religioſæ inſtitutum deſerere Rex Frater, & in torum Ducis Maſoviæ tranſire coëgit. Defuncto marito jam plurium liberorum mater Pragam ad S. Georgij Parthenonem reverſa, ad Antiſtitis dignitatem egregia virtute evaſit. Non mater duntaxat fœcunda, ſed felix Regina Cunegundis eſſe poterat, ſi ſceptri abſtinens, & gignere contenta, ultra fœminarum ſortem non aſpirâſſet, quibus à natura quidem, ùt liberis, rarò, & ferè à prodigio conceſſum, ut conſiliis reipublicæ proſint. Nè porrò & hi liberi natalium vitio laborârent, repudiatam Margaretam veneno ſuſtuliſſe creditur. *Liberi.*

Quæ in Patrem admiſit, juvenilis ætatis impetus, & alienum veriùs, quàm ſuum flagitium fuit. Jam Marchionem à Patre Moraviæ creatum Proceres ab Rege offenſi adiere, regnúmque illi, & in proditionem operam ſuam offerebant, eóque repetitis impreſſionibus juvenem perpellunt, ut accito in ſubſidium Henrico Miſnenſi exercitum inſtrueret; primo prælio oppreſſus veniam ultrò ſupplex petiit, ſed ab irato Patre in caſtrum Zwikovium incluſus, multò tempore errorem luit; precibus Nicolai Pragenſis, & Roberti Olomucenſis in libertatem aſſertus, etiam Moraviam recuperavit. Defuncto ſub annum MCCLIII. XXII. Septembris Patre Wenceslao regnum Bohemiæ adiit pridie Nonas Octobres, quod à Tartarorum irruptione multis etiamnum ruinis hians acceperat. Id continuò, reparare aggreſſus, proceres *In patrem conſurgit.*

ceres primùm ſuſpectæ fidei in ordinem redigit, nec vindictæ immemor de iis, qui patrem adversùm ſe nuper concitârant, pœnas partim ſumere incipit, partim decernit: monitus tamen, ut initio ab ſe animos alienare caveret, promptè deſtitit. Nè, quod antè contigerat, equitatum aliunde accerſere in bella cogeretur, eâ diſciplinâ Bohemos inſtitui multis impendiis curat. Juventutem nobilem domeſticis deliciis & ignavo otio diffluentem præmiis, honoribúsque propoſitis excitat; veteranos Magiſtros conducit, à quibus inter ludicra domi certamina belli artes condiſcerent. Moravæ ripam paſſim arcibus urbibúsque, inter quas Hradiſtium adversùs Hungarorum, & Cumanorum incurſiones communit. Bavaros condito Novo-Budvicio excludit. Regiomontum cum aliis arcibus in Pruſſia, Zittavia in Luſatia eundem authorem habent. Splendore & aulæ magnificentiâ nulli principum conceſſerat, nunquam niſi comitatiſſimus prodire in publicum ſolitus. Bis quot annis omne Servitium veſtiebat; cùm argenteis priùs lancibus cœnaret, ab Ungarorum victoria omnia abaci vaſa, menſæque ſupellectilem in auream convertit. Munificentiâ & munerum magnitudine Majeſtatem regiam planè exprimebat. Unde *Regis Aurei* nomen illi fama communis adjecit.

Regnum Bohemiæ ordinat.

Civitates extruit.

Juſtitia. Juſtitiæ cura illi multò maxima; ſed quòd modum in pœnis non teneret, clementiæ laudem corrupit, niſi fors delinquentium pertinacia eo rigore frangi opportuit. Rapinarum licentiam, quæ inter nobiles vigebat, ut coërceret, flammis, ferro, reſte in reos animadvertit, ſuo damno, quàm populi emolumento majore, cùm irritati nobiles hoſtes alios ex aliis occultis nunciis evocarent. Mala certè ab Hungaris illata ex his fontibus profluxiſſe ſuſpicantur complures. Copiarum ſuarum Ducem bonis & capite multavit, quòd pauperis à milite quopiam ſpoliati querelas non audierit. Judices magno delectu conſtituit, abolitis menſurarum, ponderúmque fraudibus: vias à latronibus ſedulò repurgavit. His ille virtutibus non vicinis modò populis, ſed & Barbaris venerationem extorſit. Tartari regalibus donis principem inſigni fama cognitum honorârunt. Veronenſes, Feltrenſes, Tarviſini, totum penè forum Julium in Clientelam recipi oravit.

Pietas. Quæ illi erga DEUM pietas, religionum noſtrarum ſtudium innumeris documentis comprobavit. Suſcepta in Pruſſiam expeditione non alteri, quàm ſuperſtitionibus bellum movit. Conceſsâ Teutonicis Provinciâ Sambienſem Epiſcopatum inſtituit. Multis laudibus ſanctiſſimum hoc Ottocari ſtudium Clemens IV. extollere ſolitus. Lithuaniam etiam ea conditione donârat, ſi infide-

fidelium manibus eriperet. Flagellantium ſectam è Saxonia Bohemiæ illatam profligavit aliquot ex eo delirorum manipulo igne ſublatis, aliis in fluvios præcipitatis, omnibus extra fines ejectis. In Bavariam ducens Anno LXVI. vivum cremandum edixerat, quisquis Eccleſiæ alicui flammas ſubdidiſſet. Eodem anno geminis diplomatis Eccleſiaſticis poſſeſſionibus caverat: altero Pragæ XI. Kalendas Februarij vetuit, nè poſthac ùt ante fieri obtinuit, in defunctorum præſulum opes profanas manus injicerent; altero Eggenburgi Idibus Martij exarato Patavienſium immunitates ſtabilivit. Pannos, quos è Telonio ad Danubium colligebat, inter ſacerdotes ſingulis annis diviſit. Verni jejunij tempore quingentos pauperes alebat, eo finito novis veſtibus donatos dimiſit. Stipendium ad aras facturis aureis duobus nunquam minus, & ſua manu dabat. Ipſe ſæpe unico ſervo ſtipatus clàm Eccleſiam ingredi obſervabatur, & prono humi vultu multam in noctem mixtas precibus lachrymas extrahere.

Eximiæ adeò pietatis præmium haud dubiè tot victoriæ fuere. Eam certè, quàm Anno LX. de Hungaris reportavit, prodigioſa DEI ope conſecutum, tum ſcriptores multi, tum ipſe Epiſtolâ ad Alexandrum IV. teſtatur. Scilicet candidam Aquilam cælo delapſam, & repetito gyro Wenceslai Vexillum circumiiſſe, S. Wenceslaum ipſum, Adalbertum cum quinque fratribus, Vitum denique & Procopium è coruſca nube deſcendere viſos. Immenſas, quas è caſtris tum Bohemi fecere, manubias, partim in donativa militum, partim ædificando Hradiſtio expendit. Sed nec ejus Victoriæ authoris oblitus, auri vim maximam in calices, ceterósque ararum apparatus conflavit. Cœnobium Aureæ Coronæ nuncupatum Ciſtercienſibus dignis Rege impendiis erexit. Filio etiamnum infanti pietatis ſenſus multâ curâ inſtillabat; refert Paltramus, ſolitum fuiſſe ſecum in templum adducere, atque ubi Sacerdos ſacroſanctam hoſtiam populo pro more monſtrâſſet, vel per ſe filiolum, vel per alios ſuſtolli curâſſe, ut dominum ſuum cognoſcere ſenſim addiſceret. Piiſſimæ inſtitutioni abunde ſecuta Wenceslai vita reſpondit. Tantas tamen virtutes funeſtus vitæ finis excepit: an quòd cum Rudolpho compoſitus vinci adhuc mereretur? an quòd crimina, quæ virtutibus miſcuit, hac clade expianda oportuit? quanquam poſtquam expugnari à fœmina ſuſtinuiſſet, honoris, non dedecoris genus videri poterat, à Cæſare & Rudolpho vinci.

Prodigioſa Victoria.

Liberalitas.

Rudolphi post Victoriam acta.

Rudolphus partâ victoriâ triduum, ùt mos ætatis ejus ferebat, in castris egerat. Ortis dein, quod apud diversas nationes fieri pronum, inter Ungaros & Germanos simultatibus, Mistelbachium abiit. Ibidem Ladislao post actas exquisitis verbis grates valedicit, tum & Austriacos, Styros, Salisburgenses egregiè collaudatos ab se dimittit, cum reliquis in Bohemiam movet. Regionem omnem (si Hagecio & Dubravio fides) Pragam usque evastat, pace demum restituta, tutelæ Ottonis Brandenburgici Wenceslaum octennem committit. Nuptiæ, in quas jam nuper conventum, novis tabulis affirmantur, ea lege, ut si Wenceslaum sinè hærede mori contingeret, Regnum ad Rudolphum futurum Agnetis maritum pertineret. E Bohemia regressus integrum annum ordinandæ Austriæ Reipublicæ Viennæ impendit. Inde in Styriam ad vallem Anasi usque profectus, Ottonem Liechtensteinium dicundi juris Prætorem creavit, quod munus communi potestate Petovienſem, & Pfannenbergicum antè gessisse Hagecius asserit. Postquam non Styriæ modò, sed & Carinthiæ, & Carnioliæ ordines sacramentum in nomen Imperij renovâssent, Viennam se retulit, quò tristes nuncij de periculoso Annæ conjugis morbo evocârunt, quam spirantem adhuc, non diu tamen superstitem futuram, reperit. Sexto Kalendas Martij Anno LXXXI. defunctæ cadaver Basileam delatum est.

In Styria Prætorem constituit.

Provinciarum, quas devicto Ottocaro Imperio adjecerat, amplitudo multorum desideria, Rudolphi munificentia multorum spem excitârat. Vehementiùs ceteris eas Henricus Bavarus, Ludovicus Bavari frater Palatinus, Mainhardus Tyrolenſis procabant. Nè votorum damnarentur, delicta sua aliquibus, omnibus, quòd filij non essent, obstabat. Ludovico quidem subiraſcebatur, quòd proximo bello auxiliares copias pollicitus quidem, sed ad superioris Austriæ fines continuerit, ut, si Cæsari pugnæ alea non faviſſet, eam regionem sibi subjiceret. Majus erat Henrici delictum, qui æs & militem Bohemo suffecit, jámque eam perfidiam bello nuper ulciſci Rudolphus parabat; sed Ottone Henrici filio Cæsaris genero, & Mathilde Ottonis conjuge deprecante pacem hac conditione admisit; ut Welsium, Styram, Lincium, aliáque oppida pignori data non redhibitâ, quam mutuatus erat Rudolphus, pecuniâ redderet, si quid Bohemi turbarent, militem suppeditaret. Viciſſim dotis nomine Ottoni Neoburgum, Schardinga, Freystadium, & proxima his oppida conceſſa. Mainhardi viciniâ fultum magis Albertum filium, quàm ejus gratiâ spoliatum volebat, eíque jam tum Carinthiam, & Marchiam Tarviſinam beneficiario

jure

jure promiſerat, ſi Eliſabetham filiam Alberto nuptui daret. Præcisè denique reſponſum omnibus: in earum provinciarum poſſeſſionem mitti ab Cæſare neminem poſſe, cogenda non multò pòſt Auguſtæ Imperij Comitia, ab eo ſenatu conſenſum præſtolarentur. In quintum annum demoratus in Auſtria Francofurtum ad conventum procerum abiit. Profectum non multò ante æſtatis initium diploma Viennæ IV. Kalendas Maij Anno LXXXI. ſignatum perſuadet, quo immunes à vectigalibus Patavienſes Canonicos jubet. Antequam Provinciâ excederet, Albertum filium Auſtriæ, Styriæque Præfectum, & Imperij Vicarium in frequenti ordinum conſeſſu nominârat, donec ſibi & principibus ſtatuendum aliud videretur.

Albertum filium Vicarium jubet.

ALBERTUS I.

Triumphator.

DUX STYRIÆ VI.

Rudolphus I. Imper. Augustæ Vindelic. comitia celebrat. 1282.

MAgnum seculorum ordinem Anno LXXXII. ingredimur, quo non alium inter fastos Styriæ lætiori omine consignatum legas; inde etenim Augusta Habspurgicorum nomina immortali serie annorum titulos nobilitare cœperunt. Soluto Francofurti conventu eam, quæ ibidem decreta in latrones, & arces latronum receptus, expeditionem Rudolphus suscepit. Reichensteinâ, Schöneggio aliisque solo æquatis, civitatibus pluribus ad obsequia adactis, Augustam Vindelicorum revertitur, quam in urbem Imperij ordines jam appulerant.

Austriæ, Styriæque Legati Albertum in Ducem postulant.

Aderat & splendida Austriacorum, Styrorúmque legatio, ALBERTUM provinciæ principem petitura. Orationis summa, qua ad comitia usi, hæc ferè fuit. Septimus jam annus fluxit, quo in hac eadem urbe Tibi, Auguste Cæsar, nos supplices vidisti. Miseram illius temporis fortunam, quam tum vultu prætulimus, oratione exposuimus, accepisti; coràm ipse dein præsens inspexisti. Quanta in impotente sui Principe facultas nocendi, ejus ætatis miseriâ non magis didicimus, quàm quanta in Te voluntas juvandi. Beneficij toties, clementiæque Tuæ recordamur, quoties calamitatis nostræ. Adhuc jugum cervicibus, suspicioſi Tyranni gladius multorum jugulis hæreret, nisi Te mala nostra commoverant; quòd locupletem jam esse & innocentem liceat, nemo fortunas capite luat, perfidus non sit, qui miser non est: quòd præter ambitionem & cupiditatem principis leges nostra respublica habeat, invictæ Tuæ virtuti debemus. Hæc patribus ante diem non naturæ, sed principis ambitioſi vitio orbis è custodia filios, innocentiam opibus, securitatem civibus, depulso mancipatu libertatem corporibus: Austriam, Styriámque sibi ipsi reddidit. Tuum hoc beneficium, hanc Provinciarum felicitatem, ut stabilem esse, Auguste Cæsar, velis, flagitamus: stabilies, si Alberto filio, quod vicaria adhuc potestate obtinuit, integrum in nos firmúmque imperium tuo senatûsque suffragio jubeas. Nobis vindicandis ærarium, copias nuper


ALBERTUS I.
Triumphator
His ego nec metas rerum, nec tempora pono
Imperium sine fine dedi. Virgil.
Christ. Dietell sculpsit Gracy.



per exhauſiſti, vitam adeò ipſam in diſcrimen conjeceras. Non erit, opinamur, Cæſar maxime, cur hanc nobis fortunam, hoc gloriæ tuæ augmentum invideas. Nihil ad nominis tui, ad immortalem Clementiæ & fortitudinis tuæ famam illuſtrius, quàm quòd liberatæ Reipublicæ noſtræ gloriam cum nullo diviſeris, ſi partam à te nobis felicitatem filius conſervet. Ottocari Tyrannide adhuc ægris, majus certè beneficium haud contuleris, quàm principem tibi ſimillimum.

Ab his pauca prolocutus Cæſar legatorum poſtulata placere commonſtrat, ſimul de altero filio Rudolpho mentionem infert. Prolixè Ordines aſſenſere. Ergo VI. Kalendas Januarias, ùt è diplomate liquet, Imperatorum indutus habitum, ALBERTUM Auſtriæ, Styriæ, Carnioliæ, & Vindorum Marchiæ, unà cum Rudolpho fratre, Principem ac Dominum hæreditario jure pronunciat. Poteſtatis ejus inſignia, & vexilla ALBERTUS equo inſidens, & coronâ regiâ, crucéque pileo Ducali impoſita redimitus accepit. Obſequium clientelare profeſſum in ſuas provincias dimittit; literis IV. Kalend. ejusdem menſis datis ordines juramento, quo ſe imperio antè obſtrinxerant, ſolutos novo deinceps principi obtemperare jubet. ALBERTUM præſertim optimis monitis inſtruit: quibus ad tractanda Reipublicæ negotia tutiùs uteretur, vel ſuadet, vel adjungit: Hermannum Landebergicum, Eberhardum Walſejum Suevos, Stephanum Meyſſovium, Udalricum Capellerium, Fridericum Lengebachium Dapiferum, Albertum Pucheimium, Hugonem Tauferium in conſilium præ ceteris adhibeat, monet. Inuſitatâ pompâ, & quod ſupra pompam principi eſſe debet, inuſitata voluntatum conſenſione receptus, provinciis ſuis duntaxat ſe oſtendit; ſiquidem poſt primos menſes Pater illum edomando Guilielmo San-Gallenſi Abbati evocârat, qui nuper ob varia delicta à Pontifice ſacris interdictus, Imperij ſententiâ proſcriptus in Rudolphum alibi bello diſtentum arma ſumpſerat. Præſulis ferociam levi negotio ALBERTUS fregit. Oppidis aliquot amiſſis, redactóque ad extrema Witæ oppido expugnationem prævertit, pacem rogat, iturum ſe ad Cæſarem, atque in ejus deinceps poteſtate futurum pollicetur, ea nempe fide, quâ metuentes exitium conſueverunt.

Albert. I. Auſtriæ Styriæque Dux inauguratur 27. Dec.

Abbatem San-Gallenſem juſſu Cæſaris compeſcit.

Poſt cauſam Patris feliciter bello actam ſuam adversùs Henricum Bavarum egit: Henrici filio, Ottoni, Catharina ALBERTI ſoror dotis nomine oppida aliquot ſuperioris Auſtriæ attulerat, conventúmque, ut à morte uxoris, ditioni Ducis Auſtriæ, unde excerpta eſſent, inſererentur. Defunctâ absque liberis Anno ſuperiore LXXXII. Catharinâ, pactis ſtare Bavarus cunctatur; repetentem ALBERTUM nunc dubiis, nunc ferocibus reſpon-

Henricũ Bavarum armis petit.

sis eludit. Cùm nil proficeretur, armis recuperatum ALBERTUS ibat, attractóque in societatem Friderico Salisburgensi in Bavariam movet. Henricus contrà Cellam usque obviam progressus, in munitis castris haud procul hoste consedit; Schardingâ milite & annonâ communitâ in Austriam filium tendere, & Neoburgo copias admovere jubet.

Pax componitur. Priusquam ad manus ventum esset, Godefridi Patavienſis, & Ottonis Ratisbonenſis Episcopi (aut quod plures scripsêre) Mainhardi Carinthiæ Ducis operâ concordia integrata; in belli sumptus quinquaginta argenti libras Henricus numeravit; multa pecuniaria quingentarum librarum dictata ei, qui prior ad arma rediisset.

Joannes Comes Ginsienſis Styriam infestat. Diutius & majori partium clade certatum cum populatoribus Hungaris, nunc Austriæ, nunc Styriæ infestis. Primi Styri hoc vel sequente anno cum rapaci vicino commissi non sinè jactura rem gessere, cladis acceptæ culpam in imperitiam Ductoris passim rejiciunt. Erat is Henricus Admontenſis, ex Abbate repentè Dux militum effectus, sæpius deinceps nominandus. In ALBERTI animum ille, ùt versatilis erat ingenij, se dudum artium aulicarum non ignarus insinuârat, & arcem gratiæ planè unus obtinebat: nihil ferè petere, quod non impetrare solitus, ad supremum in Styria Magistratum evasit. Suffecto in locum Ottonis Liechtensteinij Colone Seldenhovio, non minùs ardenter Præfecturam ambivit, quàm Liechtensteinius abdicandi veniam nuper rogârat: & extorserat, ut Seldenhovium eo in munere consequeretur. Nunciatis ex Hungaria motibus, munire limites, & opportunis stationibus collocare præsidia ab ALBERTO jubetur. Henricus nullius non gloriæ cupidus, bello etiam inclarescere avebat. Agmen centum militum in valle Anasi lectum Radkersburgum copiosum Styriæ oppidum, deducit, cui Hungaros inhiare audierat. Ibanus Ginsienſis comes gnarus haud dubiè, quanto cum milite sibi negotium esset, tria suorum millia appropinquare imperat. Occultatis aliis, alij pauco numero sub muros succedunt, prædísque onusti lentè revertuntur. Henricum primo bellicæ gloriæ gustu incensum nulla fraudis suspicio tetigerat. Non expectato limitaneorum subsidio cum prætoriana illa centum militum cohorte in abeuntes invehitur. Hungari quidem frontem obvertere, sed frigidè resistere, quasi de fuga magìs, quàm de pugna soliciti; donec Tyronem Ducem cum milite in insidias pertraxissent. Ad periculum Radkersburgenses accurrêre, sed non modica clade repulsi parùm auxilij laborantibus attulere. Henricus cum paucis profugus propè aberat, quin à furente plebe discerperetur, nisi in tutiora se abdi-

Henricus Abbas Admontenſis Styriæ Præf. ab Hungaris profligatur.

dissset

disset. Ejus diei Tyrocinio cautior effectus peritioribus limites tuendos commisit. Anni sequentis æstate majoribus copiis instructum rediisse quidem, sed quid iis actum, non reperio.

Albertus Dux apud Regē Hungariæ queritur.

Albertus aliam prædonis capessendi viam ingressus, de damno illato apud Ladislaum Regem conqueritur: ut hominem sibi subjectum in officio contineret, postulat. Rex legato humaniter accepto infirmitatem virium excusat. Imparem se coërcendis Ibani furiis sinè ambagibus fatetur. Decerneret, ùt liberet, in grassatorem publicum Albertus; per se cuique integrum fore suas injurias ulcisci.

Nuptias Principū Viennæ celebrat.

Nec Dux vindictam differebat, nisi eam cogitationem domestica negotia aliquantisper amovissent. In cudenda nuptiarum & armorum fœdera, festáque bini ferè anni abiere; primum Dietricus Thuringiæ Landgravius Viennæ instruxit ductâ in conjugem Mainhardi comitis Tyrolensis & Carinthiæ Ducis filiâ. Hinc Albertus Augustam ad comitia evocatus fœdus cum Ludovico Palatino & Mainhardo iniit; ad hunc conventum Bohemiæ quoque Legati accessere Cæsarem rogaturi, ut Wenceslao jam decimum quintum annum egresso Gutham filiam nuper desponsam traderet, & tractare rempublicam pateretur; probata petitione sponsam secum abduxere. Discedentem sororem Albertus, & Rudolphus comitati, Pragæ nuptiali festo adfuere. Si Dubravio fides, inauditus nobilium numerus Pragam affluxit, centum hominum millibus non pauciores quotidie exceptos convivio refert.

Nuptiæ Guthæ sororis Alberti cum Wenceslao Rege Bohemiæ.

Inde in Hungariam curas animúmque Dux revocat; præter veteres offensas, quæ vindicem poscebant, opem Ladislaus implorabat, quem nuper ob pertinacem libidinem fidelium communione à Philippo legato Pontificio motum, Ungari insuper carceri mancipârunt. Injuriam Rex ulcisci æquè ac ferre impotens Albertum in Ibanum, qui captum detinuerat, incitat. Tentatum initio, an æquis pactis restitui concordiam rebellis pateretur? fundos, quos regno innexos Ladislaus cedi postulabat, redderet? Adeò frustra fuere consilia, ut quotidie Neostadiensem agrum hostili excursione Ibanus infestaret; cùm æqui nihil nisi à coacto obtineri posse Albertus cerneret, pervicaci bellum indicit, sibi iterum Ducis temeritate pernicioſum & breve futurum. In agmen fortè Hungarorum Hermannus Landebergicus copiarum Præfectus inciderat; pugnæ dubium dehortantur omnes, quotquot ad fines Hungariæ siti longâ experientiâ nôrant, ei genti usitatum, nunquam cominus sui copiam facere, eminus ferè jactis telis pugnare. Idem Styri suadebant. Suevi

Bellum cum Ibano Ginsiensi.

contrà acerbis cavillis queri, certam victoriam ignaviâ negligi, Styris meticulositatem objicere; evincunt denique, hosti ut insisteretur. Momento Ibanus, qui haud procul aberat, advolat, stolidâ vincendi fiduciâ exultantes eminus cingit, simul sagittarum imbrem depluit. Defluxere enimvero tum Suevis animi, nec jam de victoria, sed vita soliciti, nè ad unum omnes perirent, abjectis armis arbitrio victoris se dedidere. Nudus milite Albertus Neostadio se inclusit, Hugoni Tauferio interea mandat, quavis demum ratione honestum bello exitum quæreret. *Pax sancitur.* Haimburgi his conditionibus depactum: Ibanus captivos dimitteret; Duci, si opus esset, auxiliariis copiis adesset; Ibanum Albertus adversùm omnes hostes, Regem adeò ipsum, si quid moveret, tueretur.

Sed quæ quieti apud eos firmitas, quos prædandi libido, non ira in rixas emovit? Belli causa Ibano deesse nunquam poterat, donec vicini, quod rapi posset, haberent. Non multò pòst iterum in Styriæ, Austriæque fines illati fœdum in modum regionem omnem habuere. Gentis perfidiâ tandem, ùt dudum oportebat, commotus Albertus latronum manipulum toties non alio fructu repressum, quàm ut propediem revolaret, intra sua latibula aggredi statuit, cùm amicos futuros spes esse non posset, donec vicini prædam ob oculos positam haberent. Quæ etsi nonnisi deinde, nec uno anno gesta, huc conjicere juvat; piget enim ignobilem latrociniorum narrationem identidem resumere. Bis *Iterum Turbæ ab Ibano.* Albertus Hungariam ingressus destinata tandem perfecit Anno LXXXV. conflato è Styris & Austriacis exercitu Posonium in potestatem redigit, vi arcem, deditione urbem. Anno LXXXIX. majori apparatu secundam expeditionem adornavit; ad provincialem militem sua agmina Arnoldus Bambergensis, Leopoldus Seccovienſis, Emicho Frisingensis, Bernardus Passavienſis Principes & Episcopi adjunxere. Lustratis ad Viennam VIII. Kalendas Majas copiis quindecim millia sub signis numerata. Nè quid ab Rege Hungariæ negotij foret, priùs transactum, promiserátque nec ære, nec milite ab se Ibanum juvandum. Rebus hunc in modum ritè dispositis via ad certas victorias non patere non potuit. *Oppida aliquot Hungariæ expugnat Albertus.* Eodem tempore Mertenstorffium coronâ cinctum, simul cum Ibano pugnatum, qui oppidum liberaturus perrumpere castra tentârat. Postquam media suorum parte multatus recessisset, Michaël, & Simon, Ibani uterque agnatus, vitam pacti portas reserârunt. Eggendorffio nec turris sua adversùs vim Germanorum, nec pelles, quibus ligneam molem munivere, adversùs ignem profuerunt. Fano S. Margarethæ Burggravij titulo Henricus Creuzbechius præfectus. Cobalsdorffium Berthol-

tholdo Emerbergico, Rechnicium Henrico, Sleinitium arces Udalrico Stubenbergicis conceſſæ. Altenburgo expugnato, cùm vindemiarum tempus inſtaret, abeundi veniam Provinciales impetrârunt. Dux ipſe ſupplementa è Styria & Auſtria ſcripturus Viennam tantiſper ſe retulit.

Reverſis, ùt juſſi erant, ſub Septembris finem Provincialibus ad rei ſummam manus admovent; ſupererat ſiquidem princeps prædonum latibulum, ditionis caput Ginſium, quod in vim egregiè Ibanus communierat. Atque nè forte promptior animorum, quàm arcis expugnatio eſſet, Ginſienſium filios ſecum obſides extra urbem deduxerat. Exercitum Albertus Bohemorum, Bavarorum, Suevorum acceſſione auctum circa Michaëlis feſtum circumfudit. Reſtitere ferociter cives, ut quorum fortunæ à victore, à victo filij amiſſis muris periclitarentur. Nihil intentatum reliquere. Germani dolabris, ſuffoſſionibus, arietibus mœnia quatiebant. Undecimâ obſidionis die machinæ, quam priapum dixêre, impulſu, tanta ſtrage muri procubuerunt, ut aſſultu facto miles in urbem irrumperet. Nec ſic quidem de deditione quidpiam audire obſeſſi ſuſtinuere. Ignem tectis injiciunt, atque in arcem ſe recondunt. Ibanus deſperato armorum ſucceſſu ad fraudes convertitur. Ducum quospiam auro corrumpit. Hac mercede conductus Hugo Tauferius, ut Albertum ab oppugnatione dimoveret, datam nuper ab Rege Hungariæ fidem in ſuſpicionem adducere ſatagebat, metum illi ab armorum ſucceſſu injectum aſſerens, à fido amico perſcriptum ſibi, illum hoſtilia moliri, cùm operæ pretium ſe facere nullum videret, ſimulato morbo caſtris exceſſit. Aulâ ſubinde ſive fidei ſuſpectus, ſeu perfidiæ manifeſtus exulare juſſus. Lentè admodum interea arcis oppugnatio procedebat, arietum ictus contextis è junco ſtoreis ferè omnes eludebant obſeſſi, quas è funibus ſuſpenſas muris prætendebant, atque cùm alligatis ad contos falcibus funes obſeſſores præciderent, alias continuò demittebant. Minis ad extremum ſuccubuere. Tubicine in urbem expedito deditionem Albertus imperat, ſi gratiam occupare feſtinato obſequio in animum inducerent, vitam & incolumitatem pollicetur; ſecùs non ſanè militariter habendos, ſed ſuprema ſupplicia ab victore expectarent. Kalendis Novembr. DCCC. feminæ, quadringenti viri exceſſere, arcem ſuæ fidei commiſſam Emerbergicus novis ſubinde munimentis ampliùs firmavit.

Ginſium obſidet.

Deditione capit.

Bellum hoc in Hungaria per intervalla geſtum diſcordia cum Rudolpho Salisburgenſi Epiſcopo interrupit. Cauſa ejus, an occaſio? concilium ſub Novembr. initium An. MCCLXXXVIII. celebratum, author præcipuus Henricus Admontius extitit. Eo con-

Bellum cum Salisburgenſi Archiepiſcopo.

concilio inter cetera ſancitum, ut nè Eccleſiaſtici profano in republica munere fungerentur. Quo decreto Seccovienſis Antiſtes, & Admontius feriebantur. Sed hunc præ illo penitius læſerat. Ut promptiùs in vota ſua Ducem flecteret, non tam de ſua, quàm de illius violata authoritate queri, Rudolphum arrogantiæ accuſare, qui tot beneficiis à Cæſare collatis malè reſpondeat. Nuper in aula Patris vice Cancellarij, ùt vocant, obſequiis functum ſibi nè imperare pateretur, leges principi præſcribi à præſulum nemine poſſe, integrum ſemper fuiſſe, quos libuerit, reipublicæ muniis admovere; nec quievit, donec hoſtiliter agi cœptum videret. Opima aliquot Salisburgenſis prædia ALBERTUS occupârat. Ubi nunciatum caſtra non pauca in valle Anaſi à Rudolpho ſolo æquata, totámque vallem malè habitam, contracto raptim milite in Styriam approperat; veſtigare hoſtem & in pugnam adigere ſtatuerat. Jam iter ingreſſum à præliandi conſilio opportunitas capiendi Friſaci, & Vanſtorffij avertit. Utriusque loci præfectum, illius quidem Ottonem Weiſſenekium, hujus Rudolphum Vanſtorffium Epiſcopus cognito Ducis adventu accerſiit, atque ut conſiliorum rarò bonus autor metus eſſe conſuevit, præſidium ſecum adducere imperavit, prælij, in quod ſe vel invitum extrahendum præviderat, ſolicitus. At mutato è veſtigio conſilio ALBERTUS Mehrenbergium fidum & notæ virtutis Tribunum Judenburgum expedit, qui coactis ſub ſigna urbis civibus Vanſtorffium interea eminus claudat, caſtrum ea ætate non indiligenter munitum, muro ſcilicet & quinque turribus firmatum. Ipſe ſilenti agmine Friſacum per Taurum montem profectus, oppidum non expectato hoſtis adventu territum nullo negotio expugnat. Hoc direpto, exuſtóque copias Mehrenbergico junxit ad Vanſtorffium adhucdum hærenti. Nec deditionem ante cives fecere, donec è reſponſo Epiſcopi omnem ſubſidij ſpem præciſam intelligerent. Pertinaciam murorum, & turrium jacturâ caſtrum luit. Rudera etiamnum propè Judenburgum in rupe viſuntur. Hoc quoque anno pellectos in inſidias ab ALBERTO Bernates, & memorabili clade affectos Rhoo recenſet. Sed ALBERTUM bello nullibi per Legatos geſto initio anni LXXXIX. pugnâſſe in Salisburgenſem, mox in Bernates, vere in Hungaros difficile admodum creditu videtur.

Friſacum & Vanſtorffium Albertus ſubigit.

Diſceſſum quidem utrinque ab armis eſt, non tamen amicitia inita, juſtitium ambobus neceſſitas extorſit. Rudolphus jam ſatur damnorum etiam æmulo imparem ſe videbat. ALBERTI iram Ibani inſolentia in ſe avertit. Expugnato demum, quod diximus, Ginſio, Duce Viennam reverſo de pace actum: utriusque partis Legati primùm Welſij convenere, Wechſeneggium

gium castrum Admontio interea traditum. Cùm nullo fructu hìc tempus extraheretur, alter conventus post sex hebdomadas Lincij indicitur. Adhærente iterum ad novos semper scopulos negotiatione, arbitri pacis communi consilio deliguntur duo Duces Bavariæ, Arnoldus Bambergensis, Emicho Frisingensis, Henricus Ratisbonensis Episcopi, Ulricus Heunburgicus, & Fridericus Ortenburgicus Comites. Conciliatricis partes, quas in his congressibus, etiam domi Elisabetha ALBERTI uxor agebat, identidem marito ingerens, pacem cum Rudolpho firmare nè differret, à parente sibi, dum domi degeret, repetitis quotidie monitis inculcatum, si fortunatum conjugem vellet, pacem cum Ecclesiasticis ut coleret, omni ope adniteretur.

Pax tentatur inter Albertum & Salisburgensem.

Oblatam sibi, jámque signatam ab arbitris pacificationis formulam ALBERTUS initio non admodum improbârat; totum subinde negotium Admontius suis querelis disjecit. Legerat inter ceteras pacis conditiones quoque à conciliatoribus admissam: rerum, hominúmque sacrorum arbitrium, quale concilia Archiepiscopis asseruere, integrum penes Rudolphum posthac esset, nec, quidquid illi decernere libuisset, ALBERTUS intercederet, aut obturbaret. Iterum fabam hìc in se cudendam ominabatur Henricus, in ordinem se certè redigendum ab offenso toties Præsule metuebat: ut malo præverteret, gratiâ, qua apud Ducem se valere intelligebat, fisus in conclave anhelo similis advolat. Miserrimum jam se hominem dicere, seseconclusum faucibus, inimicorum unguibus objici, jam sibi à Duce deserto perfugium nullum supereſſe, plerosque ab se alienatos, quamvis non alio suo crimine, ac illibatæ in principem fidei, & quòd Ducis studiosior ceteris haberetur: meliorem ut obsequiis gratiam redderet, infimis precibus flagitat. Si inexorabilis persisteret, sperare fraudi sibi non futurum, quòd in Rudolphi, apud quem vitæ saltem securus degeret, tutelam se daret, eâ certè, quam legisset, conditione caput suum peti quis esset, qui non intelligat? se denique victimam firmandæ paci in ictum destinatam. Hæc & plura liberiùs prolocutus ita voce, habitu, gestu condiebat, ut doloris vehementia in hominem magìs, quàm ipse in reverentiam Principis peccâsse videretur. Ducem suopte genio manſuetum Viri in intimam gratiam recepti miseratio occupârat, tabulas pacis momento afferri, prælegi jubet, quas fortè incuriosiùs antè inspexerat; simul ac Wechseneggium Salisburgico adjudicatum audit, solito ardentiùs efferveſcit, literas è manibus legentis ereptas, laceratásque in terram abjicit, sigilla decerpta ad arbitros referri imperat, concitatóque per indignationem passu è conclavi se proripit.

Turbatur operâ Henrici Admontij.

Nondum his contentus Admontius, qui se non salvum duntaxat, sed non inultum insuper volebat. Ad alterum Salisburgi conventum Provinciales suos Rudolphus evocârat, fidem aliquorum (nutare enim audierat) aut exploraturus propiùs, aut firmaturus. Id Henricus in occasionem ægrè faciendi Archiepiscopo dexterè vertit. Conradum Goldekium, juniorem Tannerium, duos Noppingeros aggreditur, nè se Archiepiscopo crederent, amicitiæ specie monet, fore haud dubiè, ut se nimia securitate perderent: occultis litteris se edoctum, Episcopum in ipsos iniquum aliquid moliri; persuadet denique, nè in comitiis se sisterent. Irritatus hominum contumaciâ Præsul malæ fidei manifestos, & fundis suis excidisse pronunciat. Causæ patronum illico se Admontius offert, in Alberti tutelam ut concederent, suadet, operam se suam naviter collaturum pollicetur. Et verò obtinuere à Duce, ut talionem Rudolpho redderet, proventibus, quos intra Austriacam ditionem collegit, in ærarium suum aversis.

Novæ ab Admontio turbæ.

Salisburgens. bona occupat Albertus.

Neminem nova discordia magìs ac Elisabetham solicitam habebat; indies consiliarios hortari, reparandæ concordiæ modum excogitarent: ipsa, quas inirent vias, suggerere. Visa non expeditior alia, quàm si Rudolphus Viennam accederet, facta Duci coràm excusaret, aut rationem redderet. Edocetur quantocyus Præsul, & quamvis è suis permulti consilium ceu infidum rejecerint, nihilominus in viam se dedit. Interea nihil Elisabetha pientissima fœmina omittebat, quo animum mariti deliniret. Adventum Rudolphi ipsa consiliariis Principis stipata conjugi indicat, nè difficilem se parato in concordiam Antistiti præberet, orat; non alio illum fine, ac ut in gratiam reciperetur, venisse.

Is Viennæ cum Duce de pace agit.

Constituta pax erat, si è re Admontij fuisset Salisburgensem cum Duce conciliari. Intellecta Rudolphi profectione Viennam approperat; ejus adventu, quidquid hactenus operosè substructum est, continuò vanuit, ut nullam, aut acerbam Rudolpho pacem conficeret, machinam omnem adhibet: indecoram Duci, & qualis victo concedi posset, pacem fore, identidem oggerit, nisi Archiepiscopus Wechseneggium arcem traderet, Salisburgensis, & Lincensis concilij decreta laceratis, quibus ea continerentur, tabulis aboleret. Quid Rudolphus in his angustiis ageret, nisi postulatis subscriberet, qui non modò in aliena aula, sed præsente potentissimo inimico etiam in hostico versaretur? Cùm spes nulla æquiora Viennæ impetrandi affulgeret, ad Cæsarem Erfordiæ commorantem abiit. Hìc se denuò Admontius afflicto Præsuli objecit, quem Albertus cum Ulricis Capel-

Capellerio, & Prueſchenkio hunc in finem ablegârat. Sed vitæ priùs finem, quam liti Rudolphus impoſuit, dum adnitente potiſſimùm Cæſare Pacificationis negotium maximè ferveret, III. Nonas Auguſti Anno XC. è vivis exceſſit.

Mors Rudolphi I. Cæſarŭ.

Annus XCI. non uno nomine funeſtus ALBERTI rebus accidit. Graviſſimè omnium Rudolphi Auguſti Parentis obitus afflixit. E virium defectu mortem haud procul abeſſe ſentiens ſoluto Erfordiæ conventu Francofurtum tetenderat, ut, quod ordinibus non omnino alienis jam cœperat, Imperium filio pararet; in itinere correptus febricula Spiram deportari, ad inviſendos, ùt magnanima hilaritate vel inter mortis confinia jocari ſolebat, ſepultos ibidem Cæſares petit. Antequam eò deferretur, Germersheimij decima quinta Julij exſpiravit. Natus Anno MCCXVIII. Kalendis Maij, Annos LXXIII. Menſes duos, dies XV. vivendo explevit. Imperator quàm melioribus temporibus dignus, tam iis, quibus imperavit, neceſſarius: ad molienda ſumma quæque naturâ, & longo rerum uſu factus, belli ſcientiſſimus ſimul & felix, è præliis quaterdecies victor abiit: laborum tolerantiâ cum gregariis certabat, periculorum contemptu nemo Rudolphum anteibat. Inter præliandum ſemel atque iterum vix gladios hoſtium evaſerat, nihilo tamen ideò minùs munia militum Dux obibat. Cùm omnem ferè ætatem exigere in caſtris cogeretur, neque tamen perpetuus armorum uſus aſperitatis quidquam afflavit. Laudem clementiæ Auſtriacis fore propriam, & gentilitiam jam è Rudolphi moribus legeres. Pietatis, & avitarum religionum ſtudio mirificè tenebatur. His promovendis in loca ſacra effusè liberalis Monaſteriorum alia condidit, alia inſtauravit. Quæ illius in Euchariſticum ferculum veneratio, quaque ſibi parâſſe imperium paſſim creditur, notiora ſunt, & hæreditaria pietate Auguſti Nepotes meliùs, quàm quisquis demum calamo, exprimunt: in laudes ejus dixiſſe ſufficiat, Rudolphum gentis per Europam maximæ non originem duntaxat, ſed imaginem, dignúmque tantis nepotibus parentem extitiſſe. Hæc, nè, ſi longiùs immoremur, è via aberrâſſe videamur, de Styriæ vindice grati animi causâ commemorâſſe ſat fuerit.

Alterum ab inquieta Hungaria malum Auſtriæ creatum: turbas ciebat, qui minimè debuit, Hungariæ Rex Andreas III. niſi irritatum beneficiis dicas, aliter ab ALBERTO offenſum vix reperias. Recèns ille regnum adierat, Avus illi Andreas II. Avia Beatrix Azonis Marchionis Eſtenſis filia: Pater Stephanus Poſthumus Andreæ ſecundi filius in Italia natus. Mater Tomaſina Maurocena Veneta. Ab Hungaris Ladislai Tertij libidinem pertæſis accitus in Hungariam tetenderat, captum ab Arnoldo Sileſio Comi-

Andreas III. Rex Hungar. Viennæ Hospitio excipitur.

te Trigavienſi cùm redimere Veneti abnuerent, ALBERTUS domi ſuæ ùt hoſpitem liberaliter aluit. Hortantibus non ſemel proceribus, ut, quod Ladislaus petebat, æmulo Regi Andream traderet, dignum Auſtriaca probitate reſponſum religioſiſſimus Princeps reddidit: procul fœdum id generis flagitium à me abſit, ut ſacroſanctam hoſpitij fidem hoſpite in certam necem miſſo prodam.

Re jam utcunque matura in Hungariam dimiſit non aliam hoſpitij gratiam poſtulans, quàm ut pacem coleret, Agnetem, ALBERTI filiam, ſponſam optaret, utrumque jurejurando ſanciret. At offenſum nonnihil jam ex Auſtria abiiſſe hunc in modum narrat Hagenius. Cultum initio regio more Andream, cùm reduci è venatione ALBERTO occurrere honoris causâ nollet, dictitans, id genus officij infra dignitatem natalium ſuorum eſſe, qui Ducis conditionem exceſſiſſet, ALBERTUM hanc in Principe inope ſuperbiam deteſtatum, vivendi ſubſidia præparcè miniſtrâſſe, ut vitam ægrè toleraret. Ungaros ſubinde veritos, nè pacta regno pernicioſa cum Auſtriaco iniret, duobus Monachis ordinis S. Guilielmi in mandatis dediſſe, quâvis demum viâ in Ungariam deſignatum Regem deducerent: Andream ſimili veſte indutum ſecundo Danubio Budam clàm ALBERTO evaſiſſe.

Bellum cum Andrea III. Rege Hungariæ.

Utrovis modo ſe res habuerit: cæſo à Cumanis Ladislao evectus in ſolium ab Hungaris in Auſtriacum concitatur. Ibanus præcipuus belli incentor, ſibi & Hungariæ illata damna identidem occantabat. Egregia iſthæc nova regi occaſio viſa aliquam à gente gratiam ineundi, pacta nuper jurejurando Viennæ ſancita reſcindit, affinitati renunciat, oppida, quæ nuper ab Hungarica ditione Auſtriacus avulſerat, & adhuc tum teneret, repetit. Cùm poſtulata ALBERTUS rejeciſſet, octoginta millium exercitum ex Hungaris, Cumanis, Valachis, Transylvanis coactum in Auſtriam effundit. Donec Styri & Carinthi ſe ſe Auſtriacis jungerent, jam trajecto Litaha Viennenſem, & Neoſtadienſem agrum penitus evaſtârat. Poſt rapinas nil ultrà militariter geſtum; ſiquidem inteſtinis regni motibus ad curanda domeſtica evocatus, conciliantibus Epiſcopis litem cum Duce hac lege compoſuit: pactum nuper cum Agnete connubium ratum fore, modò Poſonium, aliáque, quæ in Hungaria pater poſſideret, illa pro dote ſecum afferret, cetera Ibano adempta, eidem munimentis exuta redderentur. His firmandis fœdus additum; alter alteri auxilio adversùm quemvis hoſtem, Papa & Cæſare excepto, veniret; tum utrinque captivis libertas data. Ita bellum ingenti ſtrepitu cœptum, nulla re memorabili geſta intra ſex hebdomadas terminatum.

Pax

Ad

Ad cumulum denique ejus anni malorum Domeſtici tumultus acceſſerunt. Violatas, neſcio qua parte immunitates dudum tacitè inter ſe proceres querebantur; præcipuè verò animos ſuſpicionibus implêrat, quòd Dux privilegiis ſuis ſubſcribere, etſi non ſemel rogatus, ad eum diem diſtuliſſet. Cùm nuper admodum ALBERTUS in provincia ageret, ſupplices adeunt, ut veteri jure & conſuetudine ſe ſe vivere, néve immutatum detractúmve quidpiam vellet, debitâ modeſtiâ rogant. Quod ſi impetrârint, experturum Ducem nullam futuram provinciam, quæ Styriam fide anteeat: ſi ſecùs evenerit, magnopere ſe vereri, nè promptum parendi ſtudium, & amor adverſùs Principem in populo elangueſcat. Eadem altera die per Leopoldum Seccovienſem exponunt. Paulò ille vehementiùs cauſam pertractâſſe fertur, cùm nihil certi reſponſi Dux expediret, ſubjeciſſe: ſcito jam nunc Styros ſe ſacramento exſolutos putare. *Styri adversùs Ducem querunt.*

Re in conſilium relata æqua ferè omnibus poſtulata viſa. Eberhardus Walſejus præ ceteris, & quòd Suevus, Styris non admodum acceptus, leniter tractandos ſuadebat; egregiæ certè illi, quam belli adverſùs Ottocarum navâſſent, operæ plus aliquid gratiæ deberi. Admontij nihilominus iterum ſententia evicit, frangendos Provincialium ſpiritus animosâ repulsâ dictitabat. Admiſſis altera vice ad alloquium ordinibus è mente Admontij ALBERTUS reſpondet, contentos eſſe debere, ſi quo loco res eorum ſub Ottocaro fuiſſent, quóque Pater Rudolphus reperiſſet, relinquerentur. Non tenuit iram Fridericus Stubenbergicus; rem tanti momenti, reponit, non una conſultatione finitam oportuiſſe, iterum atque iterum, priusquam quid ſtatuatur, deliberandum. Dein præſagientem inter & minantem medius tacitè minas ſubjungit. Sanè ſi moderatiùs uti Imperio Ottocarus nôſſet, vitâ adhuc & Provinciâ potiretur. His ultro citróque dictis diuturnæ diſcordiæ ſemina jacta, exulceratis omnes animis domum abiere. *Ejus reſponſo magis exacerbantur.*

ALBERTI duntaxat in Auſtriam profectionem opperiebantur. Mox tacitis coitionibus Græcij ſeditionis ordinem informant, ſocios, à quibus armis ſuſtentarentur, deſignant. Cunradus Salisburgenſis, & Otto Bavarus opportuni cauſæ patroni habebantur, quòd vicini, & ALBERTUM ob privatas quisque offenſas oderat. Eodem tempore conjuratis nunciatur, Cunradum Viennam tendere, ut pacem, quam Rudolphus affectam reliquerat, cum Duce perficeret. Itaque Fridericum Stubenbergicum, Udalricum Pfannebergicum, Hertnidum Wildonium mandatis inſtructos expediunt. Cunradum illi jam iter ingreſſum offendêre: haud gravatè impetrant, ut miſſo tantiſper profectionis *Salisburgenſem & Bavarum evocant.*

consilio Frisacum se conferret, esse, quòd ibidem ordines per Legatos exponerent. Quæ porro Græcij decreta, Leopoldus Secoviensis perferenda Frisacum accepit. Illum in itinere Judenburgi mortuum Cunradus intelligens, eandem in urbem, dein Leibnizium se contulit, quò factiosorum Legati præcesserant. Inter ceteras fœderis leges hæc præcipua: Cunradus bellum cum Styris ALBERTO faceret, pacem absque ordinum consensu nè iniret, Styros operam daturos, ut quæ Salisburgensi Ecclesiæ Dux eripuit, recuperarentur. Cunradus insuper, ut primùm reversùs esset, Ottonem Bavarum partibus se conciliaturum recepit. At hic fœderi non antè nomen dedit, quàm signatis tabulis Styri spopondissent: venienti arces & oppida munita traditurus; Udalricum Comitem Heünburgicum Landspergæ conventum, idem Præsul in societatem pelliceret.

Bavaro se dedunt.

Tumultûs initium à Wildonio.

Defectionis vexillum ab Hertnido Wildonio ex arce suâ sub autumnum elatum. Hoc ille receptaculo tutus, excursione in vicinos agros hostiliter facta, semel atque iterum prædas agebat, dehortantibus nequicquam Wulffingo Hannovienſi, & Friderico Stubenbergico: ille quidem Græcensi arci Præfectus ALBERTO studebat; hìc, nè præfestinum conspirationis indicium noxæ esset, solicitus bellum absque reliquorum consilio cœptum damnabat, paucis tamen post diebus & ipse per tabellionem ALBERTO significat: quandoquidem veterum Styriæ jurium rationem nullam Dux haberet, fide se, quam adstrinxisset, solutum citra rebellionis culpam obsequium renunciare, in Ottonis Bavari clientela posthac victurum. Otto & Cunradus misso feciali Burcardo Ellerbachio bellum indixere. Sæviente præter solitum hyeme sub anni nonagesimi primi finem expeditionem suscipiunt. Ægrè per altissimas nives eluctati in Styriam diviso primùm agmine incedebant. Cunradus dein vallem Anasi depopulatus flexo Rottenmanium itinere Bavaro copias suas adjunxit. Expugnato communi impendio oppido, Clusam ab Admontio nequidquam diligenter munitam subigunt, in templo tantum commeatûs repertum, quantum fesso militi recreando abundè sufficeret. Plus spoliorum è direpto Admontensi Monasterio ablatum; minùs tamen gratum Ducibus accidit, quòd optima præda Henricus Abbas in arcem Gallensteinam evaserit. Nec Leobium multùm negotij facessivit, civium animis undique jam procerum ope in Bavarum inclinatis. Muræpontum fortunæ cursum inhibuit, eam urbem Hermannus Landebergicus Equitum Austriacorum Magister obtinebat, fidei animique in ultimum periculum parati. Non dissimilia civium in ALBERTUM studia, quæ amplius facundiâ suâ Hermannus accenderat. Vi-

Fridericus Stubenbergicus obsequiũ renunciat

Bavarus & Salisburgensis in Styriam movent.

Muræpontum obsident.

ribus

ribus nihilominus diffisus, imminentis sibi obsidionis continuò Ducem admonet; nè fortè morâ civitatem cumprimis fidam, & non parvi momenti perderet, impensè hortatur. Interea strenuè oppugnationem hostis urgebat. Insolens hyemis rigor, quàm Bavarum, & Salisburgensem ab ALBERTO securos reddiderat, tam illum ab expeditione absterrebat. Sed eam demum Præfecti solicitudo evicit: sub Februarij initium accinctum itineri militem esse jubet, Neostadium appulsis ab agricolis nunciatur, invium jam multos dies nivibus Semeringium, modum emergendi, nisi mitiori tempestate nullum apparere. Ea difficultas amplius animos excitârat: sexcentorum agrestium agmen præmittit, qui palis, ligonibúsque viam intra nives aperirent, ldque quàm celerrimè perficerent. Eâdem operâ planum, & expeditum iter non in Styriam tantùm sed ad victoriam paratum. Superata montis & hyemis iniquitate, nihil amplius cum hoste pugnæ supererat. Rumor siquidem de ALBERTI adventu præter opinionem allatus adeò Bavarum, & Salisburgensem consternârat, ut castris, annonâ & bellico apparatu relictis diffugerint. Is pavor hostium militi Austriaco benè verterat opulentis castris citra laborem potito. ALBERTUM cives extra portas effusi inter lætas acclamationes in civitatem deduxere; ille contra collaudato eorum studio, dierum aliquot morâ fidam sibi urbem cohonestavit.

Adventu Ducis territi recedunt.

Ejectis extra Provinciam sociis ægrè jam, ceu succisis nervis se factio sustentabat. Captivitas Friderici Stubenbergici, aut verius ALBERTI in captivum clementia vires amplius attrivit. Commorante adhuc Muræponti Duce, Kapfenbergam Friderico tetenderat, valida equitum manu, & numeroso servitio stipatus; itineris indicium exploratores ad Landebergicum detulere. Sylva illi ad Sancti Benedicti Fanum, eremus dicta transeunda erat, prosiliunt ex insidiis, quas illuc Landebergicus deduxerat, audaciissimi quique; pars viam præcipit, pars in frænos equorum involat; pugna tum inter Duces, tum inter milites cooritur. Landebergicus crus sauciatus pugnâ excedere coactus, Stubenbergico equus hastâ confossus, nihilo tamen segniùs ille pedes verso in omnem partem ense strenuè hostes repellebat. Et haud dubiè evaserat, si suis animi, aut Volcatio famulo, à quo equum sibi cedi postulârat, fides in herum constitisset. Ille siquidem inclamanti Stubenbergico: sibi non minùs vitam suam charam, jumentum æquè ad fugam necessarium. Dilapso itaque comitatu, & ipse gladium, séque hostibus dedit. Capti simul Nicolaus Studaverius, & Otto Moskirchius, plurésque alij, omnes Knittelfeldam, dein Judenburgum in custodiam abducti. Non

Fridericus Stubenbergicus aliiq; capiuntur.

Judenburgi custodiæ mancipatur.

deerant ex aulicis Suevicæ præsertim nationis, qui extremo supplicio afficiendos censerent, spe nempe in publicata reorum bona dono principis succedendi. Intempestivam severitatem Albertus rejecit, imperatum tamen Stubenbergico, vitam deditâ Kapfenbergâ, Guttembergâ, & Kötsio redimeret, Libertatem expectaret. Certatim dein arces & oppida venienti Alberto portas aperuere. Frisacum conatus eluserat, aliquot jam diebus Alberti, & Mainhardi copias eò detinuere defensores, donec vicini amnis eluvione obsidionem solvere cogerentur. Discedere jamjam parantes, Præpositus montis S. Virgilij occultâ viâ in urbem deducit: exusta civitate castro pepercere.

Ducem pacandæ Styriæ intentum missis ab Moguntino nunciis Eberhardus Comes Catimelibacensis evocat; instare decretoriam comitiorum diem, quibus de subrogando Cæsare ageretur. Inter supremas Rudolphi curas fuisse meminimus, ut Albertum filium successorem nanciscceretur, quod haud dubiè, qua apud Germaniæ principes authoritate pollebat, obtinuisset, nisi re nondum perfecta properata mors conatus abrupisset. Spem tamen ampliſſimam ejus dignitatis consequendæ tum Patris memoria, tum sua decora Alberto faciebant. Itaque itineri se quantocyus accingit, levioris momenti negotiis in commodius tempus rejectis, ad rei summam manum admovet, ad fanum S. Viti proceres Styriæ allocutus; nihil ab se deinceps eorum immunitatibus incommodandum jurat, confectísque ea super re tabulis securos esse jubet. Viciſſim illi fidem Duci, & hæredibus addicunt. Henrico Prueschenkio custodiendi Stubenbergici, reliquorum captivorum Landebergico curam demandat, Hertnidum Stadekium Provinciæ præficit. Inde per Noricas alpes iter ingressus sexcentorum equitum agmen non in vim modò, sed pompam armatos, ejusdem coloris vestibus splendidè indutos trahebat. Oenipontum delatus Mainhardo, quem ibidem offenderat, tuendam adversùs Salisburgensem, & Bavarum Styriam commendat.

Styriæ Privilegia confirmat Albertus An. 1292.

Francofurtum venit ad electionē Imperatoris.

Francofurtum invectum lætis acclamationibus velut Cæsarem haud dubiè futurum populus excepit. At Electorum studia multùm refrixisse continuò deprehendit. Moguntinus Adolpho Nassovio cognato cupiebat. Idem & Electorum vota pro libitu circumegerat. Bohemus quemvis alium, quàm Albertum malebat. Bavarus, & Salisburgensis nunquam Austriacum habituros pro Cæsare minabantur. Salisburgensis insuper per Legatum suo & Udalrici Heunburgici nomine libellum Moguntino obtulit variis de Alberto criminationibus refertum, sed quibus fidem longè maximam addita munera fecerunt. Ità rem habuisse pleri-

plerique ſcribunt. Anonymus Leobienſis duntaxat ait: Moguntinum ALBERTO initio faviſſe, ſed à Colonienſi transverſum actum. A ceteris præterea audito ALBERTI nomine reſponſum: dignum quidem Imperio videri, indecens tamen eſſe filium Patri ſuccedere: nullius hæreditatem Germaniæ Coronam eſſe aut videri debere. Præteriti Auſtriaci culpam teſte Hagenio omnes Moguntino impegere, nec is factum negârat, neceſſitatem excuſabat, quòd Salisburgenſis ALBERTUM ſacris interdictum nunciâſſet. *Spe ſua excidit.*

Eventum comitiorum Dux Winshemii opperiebatur. Auditô, pro Adolpho Naſſovio electores ſciviſſe, deluſum ſe indignatus domum mox ire parârat. At rogatus ab Electoribus, ut irritæ ſpei valorem publicæ tranquillitati donaret, & Adolpho Aquisgranum ad recipiendam coronam profecturo ad Oppenheimium occurreret, in undecimum menſem reſtitit; eâ morâ in ulciſcendas veteres injurias uſus ingentia damna Conſtantienſi Epiſcopo dedit: vineas, agrósque per Ergoviam delevit. Non minor pœna Tigurinos manebat, quòd ALBERTO nuper cum Rudolpho Salisburgenſi bello implicito, in Sueviam Archiepiſcopi gratiâ irruerint; niſi miſſis, quos prælio ceperat, captivis ſatìs multatos Henricus Werdenbergicus Sueviæ præfectus nunciâſſet. ALBERTUM Nellenburgicum adhuc pœnæ expertem plectendum Dux ipſe ſuſcepit, expugnatóque quatuordecim dierum ſpatio ejusdem nominis caſtro ad pacem, & veniam petendam adegit. Delatis denique, quæ in Kyburgenſi caſtro à morte Rudolphi aſſervârat, ad Adolphum Imperij inſignibus, & clientelam profeſſus Viennam rediit, rebus ſuis, quæ præſentem Dominum dudum poſtulabant, proſpecturus. *Adolphus Naſſovius Imperator eligitur.* *Adolpho Dux clientelam profitetur.*

Simultates ſopitæ nuper veriùs, quàm extinctæ adhucdum gliſcebant. Salisburgenſis, & Bavarus, etſi palàm in armis non eſſent, factioſorum tamen quorundam pertinaciam, & conſilia non obſcurè fovebant. Udalricus Heunburgicus, cùm in Styria turbare non poſſet, maxima procerum parte jam ALBERTO conciliatis, in Mainhardum Carinthum iram convertit. A corruptis ære civibus noctu in Divi Viti Fanum admiſſus oppidum occupârat, & Ludovicum Mainhardi filium inde extractum Salisburgenſi miſerat, quem adhuc Cunradus in vinculis detinebat.

His injuriis laceſſitus, & nupernâ repulsâ æger ALBERTUS, an vindictam omitteret? an decerneret? non ſatìs expediebat; tanta patientia principi parùm decora viſa: bello ſe involvere negotium graviſſimis difficultatibus implexum, quòd nondum provinciæ è malis ſuis reſpirârint. Eliſabetham inſuper Ludo-

vici captivi cura coquebat, nè mariti ſui fortunam frater lueret, ſi properum in Salisburgenſem bellum ALBERTO contingeret; nulli itaque labori pacere, artem omnem expromere, qua conjugem inimicis placaret, offenſas dextrè elevare, exaggerare pacis commoda, eadem Emicho Friſingenſis Eliſabethæ ſtudiis planè imbutus ſuggerebat, effectum adeò, ut Everdingæ primùm, dein Welſij pacificationem tentari pateretur. Convenere, Duces Auſtriæ, Bavariæ, Cunradus Salisburgenſis, Bernardus Patavienſis, Henricus Ratisbonenſis, Emicho Friſingenſis; neutro loco quidquam concluſum, quòd Salisburgenſis & Bavarus ſe ſubſcripturos negarent, niſi Heunburgici, Pfannebergici, & Stubenbergicorum ſecuritas pacificationi includeretur; Dux contrà inſolens hoc poſtulatum, & infra dignitatem ſuam cum iis paciſci diceret, quos nunquam hoſtium, ſed reorum loco habuiſſet, abruptóque è veſtigio conventu Landebergicum, & Emerbergicum ducentis equitibus inſtructos in Carinthiam immittit.

Conventus Everdingæ, & Welſij celebrantur. Irrito eventu.

Landebergicus Heunburgici ditionem evaſtat.

Deſolatis prope Diezium montem Heunburgici agris cùm ultro tenderent, Fridericus Ortenburgicus inducias multis precibus eblanditur, donec Viennam pro Udalrico ſupplex accederet; Ortenburgicum jam aliàs charum ALBERTUS ad Eliſabetham uxorem remiſit, cujus arbitrio eam cauſam reliquiſſet; decretúmque eſt, ut poſthac Heunburgicus Neoſtadij habitaret, ſtipendio quot annis repræſentando victurus. Ortenburgici avunculi ſui operam apud Cæſarem valuiſſe intelligens Stubenbergicus, eundem compellat: ſibi quoque placatum Ducem redderet, aut laxari cuſtodiam eò usque impetraret, donec fœderi, quo ſe cum Salisburgenſi, & Bavaro implicuiſſet, nuncium mitteret. Indulſit ALBERTUS dictitans: hunc honorem Stubenbergico ab ſe non invideri, nempe qui jam gratiam non jure, ſed precibus poſtularet. Conciliatis Styris via planior ad concordiam patuit.

Tertium Lincij Conventus, ubi pax cum Salisburgenſi & Bavaro.

Pacis negotium eodem anno nonageſimo tertio iterum Lincij tractari cœptum. Præter eos, quos ſuprà memoravimus, Mainhardus Carinthus acceſſerat, adfuiſſe & Bohemiæ Regem Aventinus affirmat. ALBERTUS obfirmato in vindictam animo non parùm moræ injecit. Ludovici Palatini Bavari ſolertia eo in genere plurimùm enituit. Conſumptis ferè jam artibus deſperare ſucceſſum cœperat, & abitum meditari. Ab Eliſabetha animatus, repetita denique impreſſione Ducis animum expugnavit. Sancitam pacem, ac inter ceteros captivum Ludovicum Mainhardi filium vinculis exemptum Rhoo cum aliis ſcriptoribus meminere. In quas præterea leges juratum ſit, non reperio. Otium tandem aliquod à belli tumultibus nactus ad domeſtica animum

AL-

ALBERTUS applicuit. Eodem anno in Bohemiam profectus ad sororem invisit. Adventantem subinde Viennam Wenceslaum cum conjuge non inferiore magnificentia, quàm ipse Pragæ exceptus fuisset, duodecim diebus habuit, regiisque donis honoratos dimisit. Anno XCV. Nuptiale festum filiæ suæ natu maximæ Annæ adornârat, quam suadente Galliarum Rege, Hermanno Brandeburgico Ottonis longi filio elocârat. Dux ad celebritatis splendorem nullis sumptibus pepercit. Novi conjuges Græcij receptis ceremoniis juncti sunt. Auxit lætitiam Elisabetha partu eodem ferè tempore hac in urbe feliciter soluta, quo filiolam Catharinam edidit.

Albertus in Bohemiam abit.

Nuptiæ annæ Alberti filiæ.

Nascitur altera filia Catharina Græcii.

Interea dum genialibus gaudiis Dux sui maximè securus in Styria indulget, exitium in Austria optimo Principi malevoli machinantur. Iam inde, quo Suevos in Provinciam acciverat, intolerabile Austriæ Proceribus acciderat totum principem ab exteris possideri, & pro libidine à quovis circumagi; cùm iram efferre in publicum, aut in Ducem nondum auderent, privatis in circulis passim Suevos traducere, seséque mutuò in odia accendere, indignum dictitantes ab invisæ gentis arbitrio Austriæ rationes pendere; quos fames domo expulerit, amplissimis fundis locupletatos in splendida matrimonia ope Ducis immigrâsse, se verò contemni: si quandoque in consilium adhiberentur, vana nomina & umbras esse. De Patriæ rebus, de privatorum fortunis vilia capita & esuritores decernere. Suevorum denique jugum excutiendum cervicibus concludunt. Hæc timidiùs primùm domi jactata, auctâ subinde è dolore audaciâ in vulgus spargunt, veris fictisque criminibus Suevos onerant, an se exterorum mancipia ultro esse passuri sint, invidiosa quæstione fatigant: incredibile, quantum ea res populi animos in Principem concitârit. Ruptâ denique patientiâ Proceres ALBERTUM adeunt, Suevos, ut à reipublicæ muniis removeat, non sanè demissè petunt, esse inter Austriacos rerum domesticarum utique haud paulò peritiores, quibus tutiùs negotiorum publicorum tractatio committeretur, ab se Patriam curatum iri ùt rem suam, à Suevis ùt alienam aspici.

Suevorũ odium origo seditionis in Austria.

Querelæ ordinum apud Albertum.

Repulsæ dolore efferati ad flagitiosa consilia mentem convertunt; petendos per latus Principis Suevos, abigendosque decernunt, quasi verò, siqua fuit servituti infamia, proditionis scelere posset aboleri. Reducem hoc anno è Styria primùm vitâ, cædis irriti, ditione exuere moliuntur: obsonium, quo delectari Ducem nôrant, præsenti veneno imbutum prandenti adferri curârunt, sensit illico receptum intra viscera malum. Occlusis quantocyus palatij portis, quæstio in præsentes exercita. Latuit

Dux veneno petitur.

tamen & deinde author. Fridericus, & Albertus Puchaimij fratres, qui adoleſcentes fortè prandenti dapes miniſtrârant, conſpecto Ducis periculo arreptum ambabus manibus è patinis cibum ori ingerunt, donec quà manu, quà voce ALBERTUS vetaret, innocentiam eorum ſibi abunde perſpectam teſtatus. Excita acceleratis nunciis Græcio Eliſabetha, unde partu recèns edito lecto adhuc affixa nondum redierat. Medicorum ſolertiâ vis veneni celeriter fracta: ſuſpenſus è pedibus cum obſonio mortem vomitu ejecit, pars reliqua peſtis ad extimas partes propulſa, alterius modò pupillæ, & vividi in vultu coloris jacturam traxit. Multos tamen dies oculorum dolore conflictatus, domi ſe continere neceſſe habuit.

Ordinum conventus Stockeravia.

Poſtquam parricidium è ſententia non ceſſerat, è morbo Principis compendium elicere ſatagebant. Divi Martini feſto, an è compacto ab ipſis vulgatus, an fortè natus rumor diditur, Ducem obiiſſe; quæ quidem fama, etſi poſt paucos dies vanuerit, ALBERTO indies meliùs habente, & in publicum progreſſo; nihilo tamen minùs illi telæ, quam orſi erant, pertexendæ ſolerter inſiſtunt, præſertim, cùm mortem Ducis Cunrado Salisburgenſi creditam, ſuſceptámque jam ab eo expeditionem nunciaretur. Ergo indicto primùm Stokeraviæ colloquio, proditionis fundamenta jaciunt, quibus præſidiis ſe adversùs ALBERTI vires tuerentur, quem receptum, ſi improſperè res caderent, haberent, deliberant. Actum agi omnes cenſebant, niſi Bohemo ab ALBERTO abſtracto. Id oſtentata Auſtriæ dominatione perfici poſſe ſpes erat. A legatis Regis, qui aderant, quantum auxiliorum ſperandum foret exquirunt; cùm hi nihil ſibi ea ſuper re in mandatis datum reſpondiſſent, Hermannum Liechtenſteinium, & Hackebergicum in Bohemiam deſtinant, qui ab Rege certiora referant, aliáque, quæ adhucdum dubia & involuta, digerant. Et ſive arcta Wenceslai cum ALBERTO affinitas dubios reddiderit, ſive unius viribus non ſatìs ſe fultos putarent, neminem non vicinorum Principum in fœdus invitant, inter ſocios partiti Provincias ſuos ſingulis hamos, quibus caperentur, objiciunt. Bohemo Auſtriam Inferiorem, ſuperiorem Salisburgenſi, Styriam Bavaro, Marchiam Vindorum Hungaro attribuunt. Hoc eſt, venatu nondum inchoato de præda decernunt. Adolphum Cæſarem clàm rebellibus faviſſe Zwettalenſe chronicon affirmat, Cunringium dein ſeniorem, Hodmarum Sumereccium, Conradum Sumeravium, Albertum Buchaimerum ad Ducem ablegant, partim ut jura ſua illæſa ſervari poſtularent, partim, ut fuco quodam congreſſum Principi fortaſſe ſuſpectum illinerent, ſcrupulúmque, ſi quis hæreret, eximerent. Dux multa benevolen-

Legatos ad Bohemum.

Ad Albertum mittunt.

tiæ

tiæ ſignificatione acceptis comiter reſpondit: poſtulata ſua certis capitibus comprehenſa, & in libellum relata porrigerent, quæ ab ſe ſervata vellent, ſpeciatim explicarent. Si æqua poſtulârint, gratificaturum ſe de omnibus: non eſſe cur de ſua facilitate dubitent, à minis ſibi temperarent, impetrari omnia, extorqueri nihil ſe paſſurum. Ut verò intellectam ſibi conjurationem, actáque Stockeravienſis colloquij oſtenderat, è Pucheimero, quem in deliciis ceteroquin habuerat, velut per jocum quæſiiſſe narrat Hagenius, ecquis ſtrenuiſſimè omnium rem Stokeraviæ egiſſet; cùm hic repoſuiſſet, æs campanum à quatuor conflatum, nec ad perfectionem operis præter piſtillum aliquid deeſſe, reſponſum à Duce ſuiſſe: en me, ejus vices obiturum. Cui Puchaimerus, ita planè fieri neceſſe eſt, ſi meis ſolius auſpiciis res gerenda. Fremebant interea tacitè in Puchaimerum ſocij arcana ſua tum primùm ab eo prodita falsò rati. Reliquorum pariter conjuratorum turba animis cecidere, ùt nefaria conſilia in Principis conſcientiam adducta intellexerunt. At non longa ſolicitudine anxiis lætiora reduces è Bohemia legati attulere.

Alter conventus Trebenſeji.

Regis favore tumidi, alterum Trebenſeji (oppidulum Tulnæ vicinum eſt) conciliabulum celebrant, plerique è primæ admiſſionis proceribus, ſplendidis in aula muniis conſpicui confluunt. Luitoldus Cunringius Pincerna Auſtriæ, Cunradus Sumeravius, Nicolaus Liechtenſteinius Auſtriaci, è Styris Fridericus, & Wulfingus Stubenbergici; Guilielmus Scharffenbergius, Otto Weiſſeneccius, Udalricus Hamburgicus Carinthi. His à Viennenſi urbe legati acceſſere, poſtulata primùm, mandata veriùs, Duci porrigenda conſcribunt. Perferendi Provincia iisdem, quibus nuper demandata. Præcipua ejus commentarij capita fuere: in Sueviam nè pecuniam mitteret, exteros in conſilium nè adhibeat, à muniis publicis removeat; niſi ita facere planè in animum Albertus induceret, in fide permanſurum neminem; quacunque demum ratione Patriæ, ſibi, dignitati ſuæ conſulturos. Dux certus Suevos non dimittere, paciſci tamen velle ſimulans, redire Legatos ad ſuos jubet, referréque, num ejectis ceteris, Hermanno ſaltem Landebergico, Eberhardo Henrico, & Ulrico Walſejis remanere integrum foret; hos ſperare ſe ab exilij lege eximendos, qui ſplendidis Auſtriæ familiis per matrimonia innexi ſolum vertere non juberentur, niſi ſuas filias proceres eâdem pœnâ involverent; retulere, quòd Dux præviderat, Legati; imo verò, centum alios Suevorum retineret, hos modò proſcriberet, haud æquè invitos ſe fore. Tum poſitâ quam ad tempus ſumpſerat, perſonâ Albertus: Principem enimvero veſtrum me experiemini, cujus leges dare, non accipe-

Altera ad Ducem Legatio.

re sit; non calonem, non lixam, non qui è servitio infimus, alieno arbitrio me dimissurum scitote.

Seditio Viennensium.

Dum hæc in aula agerentur, alij à Trebensejensi conciliabulo missi fora & compita urbis obeunt, officinas percursant, circulis se inserunt: impotentem Suevorum dominationem, pertinacis Principis in immerentes benevolentiam exaggerant. Arma ut sumerent, nec ab iis ulla ratione, donec proceribus visum, se deduci sustineant, hortantur; auxilia propediem affutura. His stimulis plebs ceu œstro percita tota urbe volitare, in Suevos convicia jacere, obvios cavillis lacessere, ad pœnam deposcere; ipsi adeò Principi non pepercere. Seditiosis vocibus aula perstrepebat. Tantùm non palatium coronâ cinctum, machinæque muris admotæ, se fascium locò ligneis calceorum modulis fossas expleturos sutores jactabant. Rogati per nuncios à Duce, ecquid tumultus is sibi vellet? inconditis clamoribus vociferantur, nisi è veterum legum formula imperaret, obsecuturos nè unquam sperasset.

Alberti Magnanimitas.

Eluxit eo rerum articulo admirabilis invicti animi constantia in ALBERTO, periculi magnitudinem, quam intelligere non poterat, certè vultu, sermone agnoscere dissimulabat. Circumstant illum Proceres enixè precati, necessitati tantisper cederet, in postulatis populi, etsi non omnino modestis, conniveret, Suevi etiam volentes, lubentésque in exilium se offerebant; in consternatione omnium, ALBERTUS unus erectus, Authoritatis suæ memor æquè ac tenax composito ad severitatem vultu: Clementem si vultis, vecordem nè facite. Si illi suâ fortunâ, non certè me cedente discent, perduellionem viam esse, qua ad suas libidines impunè grassentur. Nullum est beneficium, quod armato confertur: metum illi interpretabuntur, non benevolentiam. Ad facilitatis nostræ mensuram crescet petendi impudentia. Quis posthac erit, qui non Principem offensum, coactúmque quam rogatum malit, si tantundem armis ab invito, quantum à volente precibus obtinere se posse hujus diei documento intelligat? Eo tamen persuaderi sustinuit, ut cum conjuge, & liberis in Montem Cetium Viennæ vicinum secederet, locóque adversùm vim communito, ibidem copias è Suevia, Alsatia, Franconia propediem adfuturas expectaret. Adfuere tempori Rudolphus Comes Habspurgicus, Alsatiæ Landgravius, Conradus Liechtensteinius, Albertus Hochenloius, tres Monfortij, Episcopus Curiensis; ab his urbs arctâ coronâ cingi mox cœpta, omnisque commeatus inferri prohibitus; ùt se opinione citiùs obsessos, atque, quod in ea populi frequentia fieri necesse erat, post dies non multos famem secum inclusam sensere, jam plebis

Dux in montem Cetium secedit.

Viennam obsidet.

plebis præsertim ferocia esurie langueſcere, quorum consiliis in ea mala præcipitârint, damnare; operæ, sellularii Nobilium, & Copiosorum domos circumsistunt. Frustra omnes facundiæ nervos Praitenfelderus è civium primoribus unus intenderat, orans, obtestánsque, nè rem bene cœptam brevis moræ intolerantiâ perderent, adventare jamjam auxilia, in pœnas ultro nè ruerent, nil certè aliud ab exacerbato principe, quàm extrema supplicia expectanda. Dicentem illi insanis vociferationibus obruere, non verba se, sed panem petiisse, nî pacem conficeret, aut annonam Magistratus repræsentaret, portas vi effracturos, injectisque vinculis, quotquot obsisterent, raptandos ad principem interminantur. Jámque res in seditionem & arma vergebat, summorum virorum authoritate tamen effectum, ut sex dierum inducias admitterent. Sed & ea mora inutilis fuit, cunctatione sociorum promissa fallentium. Ungarus fœdus, quod sibi cum ALBERTO erat, excusat: Bohemum Gutha uxor ALBERTO fratri placârat. Quingenti, quos nihilominus se missurum spoponderat ad irritandum novum hostem magìs, quàm socios juvandos valebant. Cunctante adhuc post sex dies Magistratu Abbatem Scotorum ad deprecatoris munus apud Ducem obeundum emovent, veniæ certi, quòd causæ suæ patrocinium ab Elisabetha arripiendum non dubitarent. Exeuntem præsulem ipsi magno numero caput, pedésque nudati consequuntur. Uxoris & Abbatis supplicum preces, sordidatus miserorum, flentiúmque habitus, primo ferè aspectu mitissimo principi justas iras excussérant, præteritorum oblivionem spondet, ea tamen conditione, ut immunitatum tabulas traderent, tum legi coram aulæ primoribus jussas, queis authoritatem suam imminui censebat, discerpit; plebis exemplum secutus Cunringius ceteríque procerum eadem facilitate in gratiam admissi. Falkensteinius solum vertere maluit, Sumeravius apud Cæsarem profligatæ malæque causæ patrocinium quæsitum abiit, in exilio moriturus.

Vienna fame domita.

Cives supplices fiunt Alberto.

Venia omnibus data.

Pacatâ Austriâ sumenda de Salisburgensi vindicta restabat. Duci iræ materiam nuperna Cunradi irruptio, Cunrado Admontij implacabilis æmuli artes submini strârant. Ejus hortatu in valle, à vaccis dicta, geminas salinas Halæ prope Gerundam ALBERTUS construxerat: iis Ecclesiæ suæ jura violari, vectigalia accîdi questus Cunradus propè aberat, quin cœpto desisti princeps sacrorum observantissimus imperaret. Pervicit Admontius, ut nè quidem Cæsaris, cujus præsuli satisfieri imperabat, mandati rationem Dux haberet. Néve Adolpho, si mandatum armis urgeret, impar esset, jam tum ad amicitiam Regis Galliæ se applicuit. Increbrescente nuper de ALBERTI obitu rumore Cun-

Salisburgenſis Salinas Alberti evertit.

radus, quod pridem meditabatur, jam tutum exequi ratus assumptis bis mille peditibus, centum equitibus ambas salinas cum urbe-
Ob id bello petitur. cula Trochnavia, à Duce itidem condita funditus evertit. Intempestivæ expeditionis serò credulum Antistitem pœnituit, cùm suos è Styriæ, Austriæque fundis proventus à Duce intercipi, & villis aliis exustis, obsideri Rastadium videret. Ad id oppidum copias per Styriam ALBERTUS deduxit, multísque per iter periculis Admontij vigilantiâ evitatis III. Kalendas Quinctiles attigerat. Ad Rastadij obsidionem ab eodem Admontio impulsum potissimùm Anonymus Leobiensis refert, quòd Urbis ejus fundum ad suum Monasterium pertinere diceret, cujus tutelam Dux susceperat. Montium, per quos advehenda erat annona, lentam & difficilem admodum obsidionem faciebant; cùm dein hinc appropinquare Ottonem Bavarum nunciaretur, inde Andreas Hungarus auxiliares copias postularet, re infecta multis amissis XIII. Kalendas Augusti discessum est. Felicior in Hungaria pro genero pugnanti fortuna aspiravit; tribus castris Ibano extortis, victorem militem in hiberna reduxit.

Pacem obtinet. Consumptis in recuperanda ditione ceteris artibus Cunradus è sanctiore armamentario telum depromit. ALBERTUM sacris interdicit, datísque ad ceteros Antistites literis, Bernardum præsertim Patavienſem, & Henricum Seccovienſem, idem ut facerent, alios hortatur, aliis mandat: tergiversantes à sacrorum procuratione removet. Paruere aliqui; deliberaturum, quid facto opus, Patavienſis reposuit. Sed & hunc ictum declinavit ALBERTUS; missis undique nunciis, se ad Pontificem appellaturum significat, suas quoque ad eundem literas, ut adderent petit; Cunrado verò appellationis formulam Papæ per Gebhardum Jernicenſem Parochum prælegendam transmittit: qui Archiepiscopi sententiæ subscriberent, bonorum jacturam interminatur; ea denunciatio omnium Ecclesiasticorum ordinum, si Divi Dominici familiam excipias, animos ALBERTO adjunxit. Cunradus subinde Chiemenſis, & Lavantini hortatu Viennam profectus didicit non faciliùs, quàm lenitate principes exarmari, quos severitate irritâris. Pacem, quam volebat, obtinuit.

Nunc ad majoris belli molem, sed ampliorem etiam fructum conversa denuò in Austriam Electorum studia ALBERTUM evocârunt. Adolphum Nassovium Cæsarem pridem tolerabant magis, quàm volebant, quem nisi Moguntini fraudibus circumscripti, plerique electuri non erant. Is siquidem, ut suffragia singuli suo arbitrio permitterent, persuaserat; eum, quem quisque maximè odisset, ad eam dignitatem à ceteris destinari. Ludovico Palatino Bohemum, Saxoni Brunswicenſem, Trevirenſi

Gel-

Geldriæ Ducem eligendum finxerat. Ottonem Longum Brandeburgicum, cui ferendi suffragij jus excluso patruo Joanne adjudicârat, in potestate planè habebat. Bohemus unus ea lege se comitiorum cuivis demum sententiæ accessurum scribebat, si modò in Ducem Austriæ suffragia non exirent. Offensus nempe, quòd parte Austriæ à Danubio in Moraviam porrectæ excluderetur, quam dotis nomine sibi ab uxore allatam contendebat. Omnes adeò, si Moguntinum excipias, non tam electum Adolphum, quàm suum quisque hostem exclusum cupiebat. Moguntinus ipse nuper ultra decorum cognati studiosus, palàm inutilem imperio asserebat: vitio potissimùm dabatur, quòd nuper se mercede conduci ab Eduardo Anglo adversùs Philippum Pulchrum Galliarum Regem bello Flandrico sustinuerit. ALBERTUS certò oggerentibus, quòd Regi Galliæ adhæreret, reposuisse fertur: id jam infra suam dignitatem videri non posse, cùm Cæsar inter Angliæ stipendiarios mereri non erubuisset. Sed multò fœdius erat, quòd fidem fefellerit, acceptis centum Nummûm aureorum millibus, quæ inter Duces divisa oportebat, Thuringiam ab Alberto ejusdem principe, & adultero, præter jus fásque emerit, amissâ Flandriâ bellum ibidem contra legitimos hæredes Fridericum, & Dietmannum gesserit. Denique mercenariâ operâ, luculento perjurio, avaritiâ, iniquissima nundinatione Germanici Imperij Majestatem polluerit. Aliorum præterea criminum famâ, an eâ verâ? incertum, laborabat: virginibus etiam velatis, etiam conjugibus vim intulisse, indignos ad reipublicæ munia evexisse, novis vectigalium nominibus populum onerâsse.

Electores ab Adolpho alieni.

Crimina illi objecta.

Non ignarus odij, & infamiæ publicæ, qua flagrabat, amicitiam ALBERTI dudum prensârat. Hoste adeo potente vix se staturum ratus, animo evertendum non veritus, jam tunc, cùm clientelares illi possessiones addiceret, è filiabus conjugem pro filio petebat, rivalem affinitate placaturus; passus repulsam amicitiam armis extorquere satagebat. Columbariam Duci addictam expugnat, cùm nè vi quidem emolliri ALBERTUM cerneret, Ludovico Palatino non infelici ceterà pacis Negotiatori eam curam demandat. Sed is Heidelbergæ re nondum ad finem deducta defunctus, an perfici potuisset, dubium reliquit. Prima & adhucdum rudia conspirationis lineamenta Pragæ Anno MCCLXXXXVII. ducta, quo Wenceslaus ipso Pentecostes die IV. Nonas Junij regni insignia recepturus erat; aderant ad cohonestandam pompam plerique Imperij proceres, quos inter ALBERTUS Austriacus, Saxo, Brandeburgici principes: Moguntinus cum Burchardo Magdeburgico Wenceslao coronam impositurus advenerat,

De abrogando ei Imperio agitur.

sed simul Adolpho erepturus; hìc ille alienata, quæ tacitè hactenus coxisset, ab Adolpho consilia pandit, iis digerendis Egram ad constitutam diem ut adesse principes velint, postulat. Cùm id Cæsar fortè, quod erat, odoratus, congressum impediisset, Cadani demum collocuti, de redigendo in ordinem Adolpho, evehendo ad imperium Austriaco decernunt, precibus etiam hortati, sententiæ ut acquiescerent: mox contractis, quantas posset viribus sceptrum Adolpho ereptum iret: se suis partibus non defuturos, ùt primùm è re visum fuerit, Regem Germaniæ publica acclamatione dicturos.

Data receptáque mutuò fide mox ALBERTUS ad paranda sociorum auxilia animum adjicit; celebritate maxima fœdera icta sunt cum Wenceslao Rege Bohemiæ, Andrea Hungariæ, Duce Saxoniæ, Duce Carinthiæ, Marchionibus Brandeburgicis, Viennæ sub anni sequentis Februarium congregatis. Sub hæc ab Electoribus, qui Oppenheimij commorabantur, admonetur, Moguntiæ adesse ad comitia festinaret. Ergo appetente vere suis, sociorúmque copiis instructus iter per Bavariam ingreditur Bavaro nequidquam repugnante. Adolphus auditis Electorum, & ALBERTI molitionibus & ipse fœdera circumspexit. At invisus omnibus, vix præter Rudolphum Palatinum ejus Fratrem, Trevirensem Episcopum, Ottonem Bavarum, cui tutò fideret, inveniebat. Corrasis tamen undique copiis geminum exercitum conflârat, alterum Duce filio Ruperto in Moguntinum immisit, altero ipse in Alsatiam progressus, quotquot ALBERTO vel necessitudine, vel amicitiâ juratos nôrat, aut ditione ejicit, aut damnis afficit. Nunc cùm ALBERTUS in Bavariam tenderet, ad Lyci ripas consedit, manus, si res ferret, conserturus. At ALBERTUS à pugnandi consilio alienus flexo itinere Friburgum evasit, auctúsque ab Argentoratensi Episcopo octoginta equitum turmâ, quater mille peditibus à civitate, Argentoratum abiit. Adolpho frustra postremum agmen identidem carpente Argentorati suas quoque copias Ochsensteinij, Bipontini, Leiningenses, Hohenlotei, Wirtenbergenses aliíque Dynastæ junxere, universum demum exercitum Moguntiam secum deduxit, ubi jam Electores adventum Ducis præstolabantur, nullo præter Trevirensem, & Palatinum desiderato, pro Bohemo Legatus curabat; recitatis palàm Adolphi criminibus eum indignum videri Imperio, ALBERTUM concordibus studiis IX. Kalendas Julij Regem Germaniæ pronunciant. Spiræ Nassovius agebat, cùm hæc in miserum Moguntiæ cuderentur. Intellectâ comitiorum sententiâ, simúlque ALBERTI, quod Francofurtum meditabatur itinere, sese profecturo objicit castris ad Oppenhaimium locatis.

Albertus movet in Adolphũ.

Moguntiæ Rex Germaniæ dicitur.

Nunc

Nunc quoque ab ALBERTO Holzhemium profecto deluſus, inſequitur. Capto interea oppido, exuſtísque in Vangionum agro caſtris Dux locum ceperat, ſui demum copiam hoſti antequam Trevirenſium aliorúmque auxilio firmaretur facturus, ut pugnæ ſuopte avidum vehementiùs incenderet, ad primum conſpectum fugam ſimulat. Ea res Adolphum, nè quod antè ſæpe acciderat, hoſtis elaberetur ſolicitum, in fatum ſuum præcipitârat. Spretis, eorum qui expectandos ſocios ſalubriter monebant, conſiliis aciem in duas partes tributam explicat, alteri ipſe, Bavariæ Dux alteri imperitabant. His immixti ſuis turmis præerant, ſpirenſis & Wormatienſis Epiſcopi, Iſenburgius, & Spanheimius comites, aliíque, qui miſſa Francofurto, Oppenheimio, cæterísque urbibus ſubſidia ductabant.

Primi prælium Bavari ciebant, his ſe cum Auſtriacis ALBERTUS, & Henricus Carinthus cum ſuis in prima acie collocati objecere; diu & acerrimè pugnatum nullo in utramvis partem momento. Spei ferè ſummam in loricatis (dextrarios vocitabant) equis, quorum ingentem copiam habebat, Adolphus repoſuit. Itaque cum hoſtem toties nequaquam impulſum nunquam loco moveri cerneret, recentes Belgarum, & Rhenenſium copias evocat, equitatum, qualem diximus, acri & repetita impreſſione, donec aciem perrumperent, invehi jubet. Irruentes ferociter ab ALBERTINIS accepti, equi præſertim malè habiti, quem in finem præacutis, & nova arte fabrefactis gladiis ſuos Dux inſtruxerat, his illi intra hiantes ferri commiſſuras locum vulneri dextrè rimati, aut per loricam adactis, ingentem ſtragem edidere, neglecto facilè equite, qui jumento amiſſo inutile pondus evadebat; conſpecta ſuorum clade in aciei frontem Adolphus procurrens ab equo ferociente excutitur, cum à ſuis reponeretur, ALBERTUM fortè venientem conſpicatus feroci clamore in ſingulare certamen provocat: hìc tu hodie cum ſanguine ambitionem evomes. Cui cùm ALBERTUS pacatè: eventurum, ùt DEO libuerit, utrinque haſtas expediunt. Adolphus levi vulnere ſupra oculi palpebram perſtrictus, dum galeam abjicit, à Sylveſtri comite aliísque circumventus cæditur, cadaver primo in Monaſterio Vallis Roſarum dicto conditum, ſpiræ dein terræ mandârunt. Ceterùm parva ſtrage hominum, majore equorum (mille quadringentos periiſſe ſcribunt) prælium conſtitit. Nobiles gregariis plures cecidere; inter quos ſexaginta Comites, Ochſenſteinius, & Iſenburgicus æſtu præfocati. Rupertus Palatini filius captus Moguntino ceſſit. Otto Bavarus tribus vulneribus graviter ſaucius, cum Rudolpho Palatino Heidelbergam aufugere. ALBERTUS, interfecto Rege ſevero mandato à cæde

Pugna Alberti cum Adolpho.

Adolphus cæditur.

ſuos cohibuit. Pugnatum ſex horarum ſpatio ſecundâ Julij, duabus à Wormatia leucis prope agri Spirenſis limites in loco, Leporum Collis, apellato.

Albertus ſecundò eligitur Imperator Francofurti.

Sublato æmulo liber in ſolium aſcenſus ALBERTO patebat, ùt cui nuper jus Electorum ſententia, poſſeſſionem Victoria addixiſſet; nè tamen continuò adiret, metus partim ab Adolphi factione, partim ab occultorum rivalium ambitu abſterrebat. Moguntinus certè ceu conſilij ſui pœnitens, conſpecto Adolphi cadavere, non tenuit lachrymas, grandem animam eo die corpore exturbatam altè ingemiſcens: curarum præcipua erat, nè criminandi materiam è comitiis exſculperent, vivo Cæſare, & uno alteróve Principum abſente celebratis; quo plauſibili in vulgus argumento ſi uterentur, haud ægrè populo vitio creatum perſuaderent. Ut eam turbarum radicem funditus extirparet, jure omni, quod ad eum diem obtinuiſſet, ſe abdicat: poteſtatem eligendi, quem ordines vellent, facit. Omnium ſententiâ Francofurti Anno MCCLXXXXVIII. V. Idus Auguſti denuo Rex Romanorum juſſus Aquisgrani IX. Kalendas Septembris coronam admiſit; alteris Comitiis Norimbergæ indictis, Eliſabetha uxor Divi Martini feſto à Wigeboldo Colonienſi recepto more inaugurata eſt; Rudolphum verò, Fridericum, & Leopoldum filios Archiduces ALBERTUS dixit, Auſtriâ, Styriâ, Carniolià, Marchiâ, & Portu Naonis beneficiario jure conceſſis. Non facilè alter iſto conventu frequentior fuit. Præter Electores, & Epiſcopos, Duces & Comites ter centum numerati. Aderat cum his Cunradus Salisburgenſis, & renovato fidei Sacramento deinceps promiſſis ſtetit.

Coronatur Aquisgrani.

Filios Duces dicit.

Cum Gallo affinitas, odij in eum cauſa.

Hanc voluntatum omnium conſpirationem arctior, quam cum Gallo ALBERTUS inierat, amicitia brevì abrupit. Diſcedens è Norimbergenſi conventu Tullum in Leucis, Electoribus ſacri ordinis aulam aſſectatis, abiit, habitóque cum Philippo de Imperij negotiis colloquio, Rudolphi filij cum Blanca Philippi filia matrimonium, Anno XCIX. pactus eſt, quod altero anno Pariſiis initum. ALBERTI vires tam potenti affinitate augeri ægrè præſules, & præprimis Moguntinus ferebat, nè alia tamen iræ cauſa deeſſet, quingentis argenti ſelibris ſibi labores, & ſumptus, quos ALBERTI causâ feciſſet, ſolvi poſtulat. Cùm Cæſar tantum nummorum in promptu eſſe negâſſet, ille peram venatoriam, quam cornu è latere pendulam geſtabat, manu pulſans, multos in ea reges deliteſcere arrogante comminatione reſpondet. Crudis dictis paria facta adjungit. Wigeboldum Colonienſem, Boëmundum Trevirenſem, Rudolphum Palatinum odio in Cæſarem inflammat, tabulas, quales expectari à furentibus poterant, in hunc modum pro-

Moguntinus Albertum exauthorare molitur.

procudunt: comitia propediem de ſubrogando novo Imperatore cogenda. ALBERTUM à Romano Pontifice diris devotum, optimi Cæſaris parricidio infamem, ſævum, avarum, ſceptro, quod indignus gereret, ſpoliandum.

Ab Alberto armis compeſcitur cum ſociis.

Monſtroſi fœderis partum, antequam acceſſione plurium robuſtior evaderet, in ipſo ortu omnibus viribus elidendum ALBERTUS putavit. Juliaci Geldriæ, & Montium Comitibus Colonienſem, Sueviæ Præfectis Palatinum edomandum committit, ipſe conjuratorum caput Moguntinum petit, expugnatísque Wizenburgo, Alzeja, Adolffheimio, Binga, Bensheimio ad implorandam gratiam Moguntinum compellit. Minore illi, quàm merebatur, jactura pax conſtitit: tria duntaxat caſtra Nobili viro Brunekio tradere juſſus, non recepturus, ſi à pactis recederet. Eadem clementia Colonienſi ſaluti fuit. Tota jam belli vis in Palatinum incubuit, tum quòd is pertinaciùs reſiſteret, tum quòd fidem ab eo violatam iniquiſſimè ALBERTUS ferret, cui nuper atroces injurias nullâ pœnâ dictatâ condonârat. Redacto demum ad incitas ſupplici filio Mathildis ab ALBERTO fratre veniam impetravit; nè tamen nimia facilitate poſthac abuteretur, vis pecuniæ non modica in pœnam rebellionis exacta.

Filia Alberti in Hungaria captiva liberatur.

Anno MCCCII. negotij nonnihil Hungaria faceſſivit. Defuncto Andrea III. Rege ſciſſi in diverſas partes proceres, alij Carolum Robertum Caroli Apuliæ Regis filium è Clementia ALBERTI ſorore genitum, alij Wenceslaum Bohemum Regem optabant. Utra harum? incertum, Wenceslai credibile victrix factio Agnetem Viduam cum filia ejusdem nominis in carcerem detruſas, indignis inſuper modis ambas habuere. Factum ubi è captivæ literis intellexiſſet ALBERTUS, Hermannum Landebergicum tutandis Auſtriæ finibus præfectum in Hungariam properare jubet. At minimè eo tempore conſultum Hungaris erat novo bello implicari. Expugnato Poſonio & Divi Martini Monte captivas reddidere. Eas Budæ receptas in Auſtriam Hermannus deduxit; vitæ reliquum ambæ in Kunigsfeldenſi Monaſterio exegere.

Lætioris Victoriæ Nuncius de expugnato Pontificis animo Româ, anno ſequente advolavit, nunquam ad eum diem in animum inducere Bonifacius VIII. poterat, ut ALBERTI Cæſaris electionem ratam haberet, etſi id binis legationibus flagitatum fuiſſet. Alteram Tullenſis Epiſcopus, & Cunradus Oetingenſis Comes ex Norimbergenſibus comitiis miſſi obiere; reſponſum iis acerbè: parricidam eſſe ALBERTUM, iniquum regni uſurpatorem, nihil ſinceræ fidei expectari poſſe ab eo, qui Friderici Secundi neptem conjugem haberet, è ſtirpe ſacrilegis in Papas odiis in-

A Pontifice Alberto demum Imperatoria dignitas confirmatur.

fami genitam. Narrant, qua fide incertum, Papam gladio accinctum, se jam Pontificem, & Imperatorem esse dictitâsse. Nihilo benigniùs hoc anno Abbas de Salem Cistercienſis ordinis, Schellenbergicus, & ALBERTI Cancellarius auditi; quin Carolum Valesium Philippi Pulchri Fratrem Regem Germaniæ Bonifacius dederat, nisi Cardinales interceſſiſſent consilio paci pernicioso; at recens cum Gallo discordia Pontificem ALBERTO conciliavit; quod in hunc modum evenit. Auxiliarem militem Balduino in Orientis Imperium restituendo à Philippo petierat; illo negante, sibi pro subigenda Constantinopoli copias supereſſe, quas bellum Flandricum distinebat, Legatus, nî pareret, anathema intentat; irritatus minis Philippus capto Legato omnes per Galliam Papæ fundos occupat. Adversùs hostem potentem adeò, & efferatum auxilij indigus Bonifacius occultis nuntiis ipse ALBERTUM admonet: Legatum illico Romam mitteret, quæ antea postulata essent, recepturum. Adfuit Eberhardus Catimelibocensis. Bonifacius in publico confessu multa super injuriis à Galliæ Rege questus, ALBERTUM rite electum pronunciat, ei, exautorato Philippo, Galliæ etiam regnum addicit. Refert Anonymus Leobiensis: in eam quoque conditionem Legatum adactum, ut liberorum suorum cuipiam ALBERTUS ex ejus stirpe conjugem deligeret, auditúmque non semel in hæc verba locutum Papam: suscitavi mihi Leonem ab Oriente, qui fremitu vocísque suæ rugitu causam Ecclesiæ vindicabit: misisse denique Henricum Uterinæ vallis Abbatem, Episcopum dein Tridentinum, qui ad Coronam Romæ suscipiendam invitaret. Bonifacius eodem Anno, undecimâ Octobris defunctus, magnâ curâ ALBERTUM expediit, nè scilicet violatæ fidei reus ageretur, ùt qui nec pro Galliæ Rege se gerere, nec affini Philippo bellum inferre vellet.

Bellum in Bohemos.

Quinque, qui supererant, annos bella ferè Bohemica absumpserunt. Discordiæ causas alias alij proferunt: scriptores Bohemi passim ALBERTUM avaritiæ accusant, qui Cuttnenses fodinas nuper à Cistercienſi Monacho detectas in sexennium tradi, ùt Balbinus narrat, aut, quemadmodum Dubravius, decimas pendi nullo jure postulârit, repulsam justissimam armis vindicârit. Acerbo responso ab Rege traductam ALBERTI cupiditatem quidam præterea meminere: è Misnia alij originem repetunt, quam Wenceslaus sibi pignori ob viginti librarum millia oppositam Marchionibus Brandeburgicis elocârit acceptis viginti quinque millibus, nunc verò redhibenti pecuniam Cæsari restituere detrectârit. Alij Regnum Hungariæ fatale pomum faciunt, quod oblatum sibi ab Hungaris Wenceslaus alioquin Poloniæ coronâ

auctus

auctus recusârat, filio tamen itidem Wenceslao asseruit, excusso Carolo ALBERTI ex sorore Clementia nepote. Hungaria, etsi non causam, opportunam certè invadendæ Bohemiæ occasionem obtulit; siquidem Regi ibidem Anno MCCCIII. distento simul bellum denunciatur, à gemino simul exercitu illatum; alterum è Suevia per superiorem Austriam Pater sub Septembris initium induxerat, alium in Austria conscriptum per Moraviam Rudolphus infudit, Ungaris, Cumanísque, quorum Carolus viginti millia collegerat, succinctus, Moraviam incendiis, & rapinis pervagatus, patri ad Budvitium præstolanti accessit: inde Cuttnam progressi quatuor dies quinquaginta millia oppido otiosi assedere. Sumptuosæ expeditionis nullum operæ pretium fuit. Rediere post sex hebdomadas cum Cæsare Salisburgensis, Frisingensis, Ratisbonensis, Pataviensis, Augustanus, Spirensis, Herbipolensis Episcopi, Otto Bavarus, Rudolphus Palatinus ostentati scilicet belli testes. Bohemi inde non exiguam Wenceslao gloriam eliciunt, qui suâ solertiâ consulto pugnam devitârit prævidens, hostem imminente hyeme propediem sponte recessurum. Alij scribunt ALBERTUM vel metu propinqui Wenceslai, vel curâ servandi milites suos ab oppugnatione, & prælio abstinuisse. In receptu nihil cladis illatum, est, Bohemorum nullo insecuto. In accessu Legiones, qui exercitum præverterant, damnum non leve à fluvio Pacho accepere, quem fossores non sanè militariter veneno infecerant, unde quotquot aquas inde hauriebant, magna equorum hominúmque vis periere. Cum Cumanis justo propemodum prælio certandum fuit: ij prædæ cupidine, è sociis hostes effecti post Bohemiam etiam Austriam everrere aggrediebantur. Cæsis aliquot millibus, hominum, pecorúmque prædam reddidere.

Rege Wenceslao Anno MCCCV. XXI. Junij defuncto, & filio ejus itidem Wenceslao altero anno, IV. Augusti à sicario confosso bellum recruduit, cum hinc Henricus Carinthus, illinc ALBERTUS Regno immineret. Ille ceu uxoris suæ (Annam occisi sororem in matrimonio habebat) dotem repetierat; hic ea lege pacem à Rudolpho Patre cum Wenceslao Seniore initam obtendebat, ut si Premislaæ stirpis mas nullus supereset, Austriacus succederet. Competitorum ambitum divisis studiis proceres sustinebant. In Bohemia ALBERTUS causâ ceciderat; at Norimbergæ in comitiis vincebat. Ordinum omnium consensu Henricus, qui jam se pro Rege ferebat, proscribitur, Rudolpho ALBERTI filio sceptrum adjudicatur. Curiæ sententia mox à gemino exercitu in Bohemia promulgata, alterum per Thuringiam ALBERTUS, per Moraviam Rudolphus alterum deduxit, expugnatísque

Alterum in Bohemos bellum.

Rudolphus Alberti filius regnū obtinet.

à Patre oppido Lunâ, à filio Iglaviâ, ad muros Pragæ non multo pòst constitere. Henricus suis, sociísque Stephani Bavari viribus diffisus non expectato æmulo diffugit. Nemine jam repugnante Rudolphus in urbem admissus regia ornamenta induit, Moguntino, qui castra sequebatur, consuetos ritus obeunte. Bohemis rem gratam facturus Elisabetham (nam Blanca uxor anno superiore Viennæ obierat) Richsam à Polonis dictam, in torum adscivit. Ea Wenceslai senioris vidua, & Premislai Poloniæ Regis filia ob egregias animi, corporísque dotes multùm à Bohemis amabatur. Breve conjugibus gaudium, regnúmque fuit; dum Rudolphus proceres Henrici partes secutos bello persequitur, atque Bavorij Strachonizij oppidum, Horasdvitium obsidet, nondum circumacto anno III. Julij in castris extinguitur. Veneno sublatum nonnullis suspicio fuit, alii immodico pomorum usu alvi profluvium accersisse, contemptúmque morbum laborum contentione nunquam intermissa exasperâsse, asserunt. Cadaver Pragæ palatij templo illatum. A Rudolphi morte iterum Candidatorum æmulatio exarsit. In vacuum Rege solium mox Henricus revolavit.

Moritur.

Tertia in Bohemiam expeditio.

Albertus alterum filium Fridericum subrogatum volebat. Inter ipsa comitia jam Pragensi in curia bellari cœptum est. Non priùs procerum suffragiorum numero Henricus vicerat, quàm cæde Becchinij & nepotis Austriacam factionem binis capitibus imminuissent. Nondum tamen spes omnis Friderici decollavit, quòd Cives Pragenses Austriacis partibus addicti portas, ùt nuper, reseraturi crederentur, ubi propinqui Cæsaris signa conspexissent. Iterum Albertus cum Friderico filio suum quisque exercitum trahens Suevos ille, hic ex Austriaco, vicinísque, conflatum, in Bohemiam penetrant. Aliter, ac optabant, res cecidere, Bohemo non perinde ac nuper imparato. Consumptis ad Guttenbergam, & Colinum frustra obsidionis laboribus imminens hyems excedere sub Novembris initium coëgit. Etsi verò sine victoria, non tamen sinè compendio è Bohemia emigrârunt. Cùm jamjam abire parâssent, præter spem omnium Elisabetha Rudolphi vidua adest, traditísque, quas dotalitio jure possederat, Regino Hradecio, Muta, Chrudimio, Mielniko, Policzka, Jaromirio in tutelam recipi postulat.

Fruſtra Albertus filio Friderico regnum aſſerere tentat.

Henrici Regis Bohemiæ in Carinthia ditionem Albertus invadit.

Feliciùs rem per Legatos Albertus gessit, quo eodem tempore in avitos Henrici fundos irrumpere imperavit. Sex non amplius hebdomadarum spatio Ulricus Walsejus Styriæ Præfectus, & Conradus Salisburgensis Fanum S. Viti, Clagenfurtum, Centiforum, aliáque oppida in potestatem redegere. Castrum Rabensteinium proditione Conradi Schranckenpaumij Præfecti occu-

occupatum Salisburgenſis ſolo æquavit, éque ruderibus aliam munitiunculam Altendorffium in monte D. Thomæ extruxit. Adactis ad Sacramentum civibus, nominatóque Præfecto in Styriam Walſejus ſe retulit. Henrico Goritienſi, & Comitibus Ortenburgicis, quidquid in Carniolia occupârant, poſſidendum ad tempus in laborum, & ſumptuum mercedem Fridericus conceſſit.

Item Bavarum Henrici Socium.

Albertus, cùm in Bohemia fruſtra fuiſſet, in Regis ſocium Ottonem Bavarum iram convertit: irritæ expeditionis dolorem vindictâ leniturus, cæſis, qui ſe ad Oenum objecerant, Ducis copiis, inferiorem Bavariam penitus evaſtavit; iter dein per Palatini ditionem proſecutus aſſumpto ſecum Ludovico è Mathilde ſorore nepote in Sueviam tetendit. Baſileæ propè aberat, quin ab Ottone Granſejo ejus urbis Epiſcopo interficeretur: cauſam ab ſe ignorari Rhoo fatetur, Fuggerus hunc in modum exponit. Moliebatur Fridericus avitam Habſpurgi ditionem ampliare, ampliatæ Ducis titulum adjicere, quem in finem multo ſtudio pretióque à vicinis dynaſtis fundos comparârat; urbi etiam Liechtsdalio, & arci Homburgenſi imminebat, dum ſuper pretio cum Friderico Tokenburgico diſceptat, Petrus Secundus Baſileenſis Epiſcopus vel licitatione vicerat, vel celeriori emptione præverterit. Dolo malo id factum interpretatus haud dubiè Albertus, adeò altè dolorem in animum demiſerat, ut Petro ad Moguntinam Eccleſiam translato jam ſucceſſorem ejus Ottonem non ſecùs, ac delicti ejus authorem acciperet; ſemel atque iterum roganti, ut in beneficiarias poſſeſſiones immitteretur, in alterum jam annum denegârat. Cupiditas fœda ſanè, & indigna Præſule ad flagitioſum conſilium Ottonem impulit, ipſe poſtulata coràm iteratò exponere; ſi minùs audiretur, ſua manu confodere Imperatorem ſtatuit. Sed quòd Germanicæ linguæ ignarus (è Burgundia oriundus erat) Hugonem à Sole è primoribus civium, ut interpres veniret, exoravit, cui familiariùs collocutus nefarij conſilij indicium imprudens fecerat. Cæſar Ottonem inſolitæ ſtaturæ virum conſpicatus, ecquid procerus ille Scholaſticus poſtulatum veniſſet? per jocum ab Hugone percunctatur. Ab eodem, quid ea verba ſibi vellent, Otto ſciſcitatur. Hugo ut parricidam eousque amoveret, donec de periculo Albertum edocuiſſet, Cæſarem dixiſſe ſignificat: cras rediret, hodie per negotia non vacare ſupplices audire: eo digreſſo ſceleratum hominis propoſitum prodit. Re cognita Albertus ſub alterius diei auroram in Ergoviam abiit. Anno ſequenti (octavus ſeculi, & ſupremus optimo Principi erat) Fürſtenſteinam Epiſcopi arcem obſideri à ducibus ſuis mandavit. Otto ſceleris manifeſtum ſe

Vitæ periculum adit Albertus ab Ottone Baſileenſi Epiſcopo.

intelligens aditum in Cæsaris gratiam Elisabethæ ope frustra tentabat; nam cùm præter Basileæ suburbium Rhinfeldam versùs vectam præstolaretur, ab aulicis accessu prohibitus, lutóque ab impulsis in cursum equis fœdatus præter risum, & ludibria retulit nihil.

Ab Cæsare Joannes ejus nepos abalienatur.

Ottonis machinatio præludium erat cædis multò acerbioris, quæ Anno MCCCVIII. ab agnata manu inferenda ALBERTUM manebat. Detestabilis flagitij author Joannes extitit: Patrem Rudolphum ALBERTI fratrem habuit, matrem Agnetem Ottocari filiam. In lucem editus Rudolpho patre jam priùs Pragæ defuncto à puero in aula cum ALBERTI liberis educatus. Postquam ex ephebis excessisset, identidem Patruum flagitabat, quoniam regendæ reipublicæ par per leges haberetur, hæreditatem suam sibi cernere liceret; si è re non videretur Sueviam tradere, in Kyburgensem saltem comitatum immitteretur. Accenderat ambitionem juvenis, quòd patrueles, alium nuper Regis, omnes Ducum Austriæ Styriæque titulis insignes aspiceret. Nihil impetravit à patruo prodigam, quod pluribus documentis cognôrat, juvenutem verito. Patruum verò inhiare ditioni suæ interpretatus implacabili in optimum tutorem odio exarserat; nec deerant assentatores, frustratis quisque cupiditatibus ægri, qui flammas adhuc malignè glisentes improbis linguis ventilabant. Indolere principi in tantas fortunas nato alienæ mensæ assclam. vivere, non aliter haberi à patruo, ac qui inter honorarios pueros stipendia faceret, hortari, ut se fœdo, & indigno servitio expediat, nisi quantocyus in patrimonium immigrare occuparet, irrevocabilem patruelium prædam fore. Plus satis hæc erant juveni, quidlibet alioquin pro dominatione ausuro. Quid multa? ad hæreditatem grassari decernitur, jure, an flagitio? perinde, in necem Cæsaris sibi stipulata manu fidem & operam mutuò obstringunt. Incentorum juxtà & conjuratorum princeps Rudolphus Wartius; nuper Adolphi aulicus, nunc ALBERTO obsequium, non itidem animum addixerat. Alter Walterus Eschenbachius negatis, quos efflictim postulârat, fundis commotior. Tertius Udalricus Palmius Finstingij dominus, aliique aut injuriâ, aut cupiditate incitati. Hæc dudum antè constituta, presságque silentio Calendis Maji erupere, quo die Badenæ Cæsar agebat.

Cur.

Ejus conjuratio.

Manè Joannes demum decretoriam machinam admoturus Argentoratensem ejusdem nominis Episcopum ALBERTO ab Epistolis, & imprimis charum in Conclave ablegat. Cæsar audito nepotis postulato renunciari jubet, tantillam adhuc moram toleraret; intellectum sibi, Suevos, quos nuper per præsidia in Bohemia distribuerat, ejectos; Bellum illuc propediem inferendum

dum, ipſum mille equitum turmæ præficiendum, ſimul ac rediret, votorum damnatum iri. Excanduit ad reſponſum impotens juvenis; equidem quid hoc aliud, quàm me neci objicere? tutiùs nempe per calcatum nepotis cadaver ad hæreditatem patruus graſſabitur. Certè quisquis ditioni, etiam vitæ meæ inſidiatur, neceſſe eſt. Similia conjurati ſuggerebant. Nec jam ultro deliberandum rati datis mutuò dexteris parricidale Sacramentum inſtaurant; ipſa eadem dies, ſi qua alia, opportuna ſceleri viſa, quo Rhinfeldam abire Cæſar deſtinârat conjugem, filiam Hungariæ Reginam, & novercam Agnetem ſalutaturus; cædis ordinem modúmque partitis inter ſe ſe flagitij muniis deſcribunt. Amnem Ruſam nullo ponte junctum, navi trajiciendum; priores ipſi hoſpitio excederent, fluvium tranſirent, Cæſarem ad alteram ripam appulſum lento & attemperato gradu antecederent, ubi prope ſylvulam haud procul vetere urbe Vindo-Niſſa ventum eſſet, impetum omnes facerent. *Cæſar iscædem cum ſociis deſignat.* Albertus ſolito hilarior jentaculo accubuerat: aderant præter alios Moguntinus, Spirenſis Præſules, Ludovicus Bavarus, Leopoldus Filius, & Joannes: ſingulis Cæſar ſua manu corollas è floribus textas imponit, nepotem, quem fortè triſtiorem adverterat, bono lætóque animo eſſet, hortatur. Joannes contemptum ſibi interpretatus revulſum à capite ſertum in menſam abjicit, ſeriis ſe curis haud imparem; non eſſe, cur puerilibus ſertis ſibi quisquam illuderet, jactitans, ſimili certè munere hæreditatem ſuam malè penſari. renidenti contrà placidóque, quo dolorem furentis leniret, vultu Albertus: non ſalva duntaxat omnia, integráque, ſed multo fœnore exaucta, recipies; erit, quo te tutoris tui non pœniteat. Adeò nihil ea lenitate profectum, ut oleum veriùs igni affuſum videretur. Vehementiori flamma jam cupiditas arſerat, quàm ut frigida pollicitatione reſtingui poſſet. Spem duntaxat accipiendi, novam injuriam ambitioſus adoleſcens ducebat, patruum, niſi tutor eſſe deſineret, inimicum ratus.

Sublatis menſis conjurati in locum, in quem condixerant, approperant, lentè Cæſar, utì periculi ignarus, ità metûs expers ſequebatur. Ubi appropinquantem à tergo ſenſere, Wartius exclamat, & quousque cadaver equo vehi patiemur? teſſera ea parricidij erat; converſis momento equis ſubditísque calcaribus obviam feruntur, confabulantem cum Caſtellio adoriuntur. Joannes in frænum equi involat, feroci vultu, & confuſa, quam ſcilicet horror ſceleris interceperat, voce, in patruum invehitur: hodierna demum dies ditionem paternam mihi aſſeret, & tot repulſas eſſe inultas non ſinet, hæreditate, ſi potes: deinceps me exue. Cæſar hominem amicè compellare, mollibus verbis deli-

Albertus caditur. nire. Sed is loqui ferè parantem occupat, gladium in collum, in latus Wartius adigit, Ruſſelingo Wartij famulo, quò expeditiores ad cædem eſſent, equum ALBERTI retinere juſſo; poſtremus Palatinus lato enſe in verticem impacto caput diffindit. accepto hoc vulnere, ex equo defluens momento animam in ceſpite egit. Eſchenbachius etſi ponè adſtaret, manus non intulit; ſunt, qui publicum ſcortum, ſervum alij, alij Spirenſem Præſulem accurriſſe, & morientis caput gremio ſuo excepiſſe ſcribant. Leopoldus filius ſexdecim annos natus miſerandam Patris cædem è navi proſpectans, tantò magìs ira doloréque ardebat, quantò minùs auxilio eſſe poterat. Multùm reluctantem Burchardus Comes Hochenburgicus Badenam reduxit. Hauſtum oculis parricidium, implacabili vindictæ ſtudio generoſi adoleſcentis animum implevit, ut adeò objectæ identidem cædis fœdiſſimæ ſpecies, nec iram langueſcere morâ ſineret. Nimia ſanè ſuppliciorum aut aſperitate, aut frequentiâ parentâſſe patri aliquibus viſum eſt, magísque Leopoldum debuiſſe ſe principem meminiſſe, quàm filium, & amorem patris ad rationes clementiæ attemperare.

Conjuratorum pœna. Præ cæteris certè fratribus Leopoldus genitoris necem ultum ibat; qui pœnæ corpora ſubduxiſſent, in eorum bona, & famam ſævitum eſt. Henricus Cæſar Anno eodem, XXV. Novembris ùt Fuggerus, aut ejus Kalendis, ut Rhoo ait, ſuffectus ALBERTO, primùm læſæ Majeſtatis in Spirenſi tribunali damnârat, tum Leopoldus cum fratribus ad pœnas ſumendas ſe accinxere; Eſchenbachij arces omnes ſolo æquatæ, quinquaginta quà nobiles ejus aſſeclæ, quà ſervi carnificis ferro ſublati. Eſchenbachius cùm amiſſo Schnabelburgo, arce munitiſſima, nuſpiam ſe tutum videret, in Wirtembergenſi agro triginta quinque annis nulli agnitus bubulcum egerat; ſub finem vitæ, facto ſacerdoti, quis eſſet? indicio, ut honeſtiore loco conderetur, obtinuit. Palmio arx Farwangenſis adempta, ſexaginta nobiles, qui eam tuebantur, ſecuri percuſſi, ipſe Baſileam evadens aliquamdiu in ſuburbio delituit; in caſtro demum Altobura, mœrore & inediâ contabuit. Wartius in arcem Falckenſteinam ſe primùm abdiderat, loco diffiſus ſalutem ſuam Theobaldo Blamontio in Burgundia credidit. At hic impulſu conjugis (è Veringenſibus comitibus erat ALBERTO agnata) hoſpitem cum famulo prodidit. Ruſſelingus oſſibus antè confractis rotæ impoſitus, acerbiore ſupplicij genere Wartius herus periit. Vitodurum perductus facinus primùm inficiari, tum frivolis argumentis elevare, demum cùm nihil proficeret, tueri, dicens: non ab ſe Cæſarem, ſed Tyrannum, & parricidam juſta cæde ſublatum, qui non alias interficiendi Adol-

Eſchenbachij.

Palmij.

Wartij.

phi

phi causas habuerit, quàm quòd illum se meliorem novisset. Sententia in nefarium latronem lata: equi caudæ illigatus, ad locum supplicij raptaretur, artubus comminutis rotæ vivus implecteretur; in tertium diem vitam extraxit. Uxor ejus insigni conjugalis amoris documento nunquam, donec spiraret, inde recedere sustinuit, pro salute mariti Deum deprecata. Non destitit Leopoldus, donec omnes sceleris conscij aut affines fuga sibi consuluissent, aut reorum cæde genitori parentâsset. Joannes ad ferarum lustra, quarum mores nuperno facinore, aut planè expressérat, aut superârat, seipsum damnavit, diu profugus sylvas montésque oberrans. Si quando fames urbes adire compulerat, nunc mercatoris, nunc rustici, aliàs mendici habitu oculos exploratorum fallebat. Demum aut malorum pertæsus, aut laniati animi furiis impar Avenionem ad Papam abiit. Hic miserum consolatus, DEO quidem ab se conciliari posse respondit, si quid ultra peteret, Cæsarem adiret, ejusmodi causam ab Cæsare cognosci oportere; nec in hoc consilio jam quidquam periculi miser videbat mentis intemperie confusus. Henricus, etsi morti omnes addixisset, supplici tamen pepercit, in monasterio D. Augustini Pisis vitam agere jussit; flagitium suum inter veras lachrymas detestatum hìc esse passim scribunt, piéque mortem Anno XIII. Idibus Decembris obiisse.

Joannis Ducis.

Alberti cadaver primùm in Wettingensi Cisterciensium Monasterio conditum, post sex menses Henricus VII. Imperator Spiram deportari mandavit. Campus ille, exinde quòd regio sanguine imbutus esset, Regius dictus, honorato nomine funestæ cædis memoriam etiamnum ingerit. Bina in eodem Monasteria, virorum unum, fœminarum alterum, illud à fratribus Minoribus, hoc à D. Claræ virginibus habitatum, Elisabetha Alberti, & Agnes Andreæ Hungari viduæ extruxere. His Basilicam utrique monasterio communem adjecerunt, arâ principe, ipso quo Albertus cecidit, loco positâ. Chronicon Claustro-Neoburgense cum quibusdam aliis Alberti necem in pœnam divinam referunt, quòd severiùs animadvertisset in eos, qui concitati à quodam Rindfleischio per Franciam Orientalem tumultu Judæos passim jugulabant: ab ea certè die nihil unquam è sententia Alberto cessisse. Frivola profectò & aniliter pia conjectura, quasi verò, nisi peccâsset Albertus, conjuratorum sanguinaria cupiditas non sufficeret, qua periret; aut Judæorum causâ turbas ciere in republica plebi fas sit, nec sinè piaculo à principe plecti possit, si in officium judicis furiosis manibus involet.

In loco cædis Basilica extructa.

Vitus Arenpeckius, Bavari nempe studio in Albertum iniquior, ceu avarum, incultúmque expingit. Ceteri omnes inter lau-

Alberti Virtutes

datos ſui ævi principes referunt. Proferendi Imperij ſtudium paulò ardentius vitio datum Rhoo commemorat, bello ab ineunte ætate innutritus, uſu & patris præſertim tyrocinio omnem artem planè imbiberat, cautus æquè ac ſtrenuus ardorem animi præſente ſemper conſilio mirificè temperabat, nunquam ille præceps in pugnam ruere, ſed nec invitum & arbitrio ſuo hoſtis pugnaturum ſperare poterat. E duodecim præliis victor abſceſſit; inde Triumphatoris illi nomen famæ acclamatione adjectum. Cæſum milites Anonymo Leobienſi teſte tanquam patrem veriſſimis lachrymis deplorârunt. Virtutis hoc bellicæ ſtudium ſymbolo præferebat, cui bina brachia vexillum in lanceas obverſum complexa inſculpi curârat additis verbis: fugam victoria neſcit. Tria hominum genera ab ſe præ ceteris diligi, haberíque dictitabat: ſtrenuos, fidósque milites, eruditos probósque Sacerdotes, fœminas pudicitiæ laude præſtantes. Si quos libidine, calumniandi accuſandíve conſuetudine laborare cognôrat, ceu fæcem hominum, & reipublicæ peſtem averſabatur; hos pœnis coërcebat, minùs intra aulæ ſervitium ferebat. Ipſe raro continentiæ ſtudio inſignis poſt caſtiſſimam juventutem nunquam amores ultra thalami limites extenderat.

Manſuetudinem porro, ùt Hagenius refert, velut ſibi propriam fecerat. Si principi duntaxat, non reipublicæ quis peccaret, ſat jam leve delictum optimo Cæſari viſum, ut veniam mereretur. Coloniæ neſcio quis è plebe ad popinæ fores conſidens prætereunti illuſerat, luſcum cavillatus. Albertus ſerena, placidáque fronte: perge bibere, ùt cœpiſti, nè tibi à vultûs noſtri deformitate faſtidium creari patiare. Injurias non condonare tantùm, ſed memoriam penitus ponere ſolitus; nunquam ſermonis aſperioris, vultúsve indicio reus in gratiam receptus conjecerat, offenſum ab ſe aliquando Albertum; ferrum adeò à parricidis nullo edito iræ ſigno recepit. Sed & in bene meritos effusè liberalis, pietatis & rerum ſacrarum ſtudio multo maximo tenebatur, identidem dicere ſolitus: quod optimum, idem jucundiſſimum. Religioſæ Ciſtercienſium familiæ Herwartſteinenſe Monaſterium, aliàs Fons Regius dictum, in Suevia erexit, & erat ea pietas cum admirabili animi tranquillitate, & fortitudine conjuncta, velut qui ſatur vitæ mortem in lecto opperiretur, cædem ſuſtinuit, injuriam aut dolorem vulnerum non pertinere ad eum crederes; nullus gemitus, lamenta nulla ſaucio exciderant, prima læſi, extrema ſpirantis verba Sacroſancta Nomina fuere.

Conjux.

Eliſabetham conjugem Mainhardi Carinthiæ Ducis filiam virtutum ſimilitudine unicè charam tenerrimè diligebat; illa mariti, ùt uxorem decet, obſervans cetera animi magnitudine conditionem fœminæ multùm excedebat; etſi dolorem è conjugis

cæde

cæde intimè in pectus demiserit, nihilo tamen minùs erecta præsenti animo, quæ ex usu essent, curabat. De Austria Styriáque, quam Fridericus administrârat, secura, mox Suevicis ditionibus, nè quid in iis turbaretur, novos Præfectos Imarium Strasburgicum, & Henricum Triessenburgicum dedit, salinas ad Gemundam suo ipsam ductu ingenióque detexisse, viámque arti & usui monstrâsse Cuspinianus refert. Vivis excessit Anno MCCCXIII. ætatis quinquagesimo V. Kalend. Novembr. monumento, quod filia in Kunigsfeldensis templi medio adornari curârat, illata. Liberos edidisse supra vicenos unum ajunt; undecim duntaxat nominatos reperio, eorum decem cum uxore superstites, ALBERTUS reliquit, ceteri nempè vitales non fuere. Rudolphus III. primo loco natus, Rex Bohemiæ, de quo supra; ab hoc Fridericus Pulcher. Tertius Leopoldus, cognomento Gloria militum, Sueviæ Dux Catharinam Sabaudiæ comitis filiam duxit, Argentorati pridie Kalend. Martij (Lazius mense Julio) An. MCCCXXVI. mortuus. Quartus Henricus Comis, aut placidus Muræponti An. MCCCXXVII. III. Februarij defunctus sinè liberis: ejus uxor Elisabetha Virnbergica. Quintus Albertus Sapiens aut etiam contractus. Sextus Otto Hilaris Elisabethæ Bavariæ conjux An. XXXIX. XVII. Febr. obiit. Agnes Andreæ III. Regis Hungariæ uxor mortua Anno MCCCLXIV. postquam annos fere L. in Monasterio ab se extructo religiosè exegisset. Elisabetham Friderico III. Lotharingiæ Duci nuptam An. MCCCLII. Annam primùm Hermanno Brandeburgico, dein Henrico Wratislavienſi junctam, An. MCCCLXIII. mors abstulit. Catharina Henrico VII. Imperatori anno seculi XII. desponsa, eóque anno altero ante nuptias mortuo, dein in Caroli Calabriæ Ducis torum concessit, Anno MCCCXXIV. extincta. Quatuor annis tardiùs vivere desiit Gutta Ludovici VII. Oettingæ Comitis conjux. Pater ALBERTI Rudolphus Primus, victoriosus Imperator; Mater Anna Hohenbergica, inter septem fratres totidemque sorores eadem matre prognatos (ex Agnete Burgundica, uxore secunda nullos liberos Rudolphus susceperat) ipse secundo loco editus. Primus Rudolphus, Tertius Hermannus, Quartus Fridericus, Septimus Carolus in tenera ætate obiere. Rudolphus alter Anno MCCLXXXIX. Pragæ supremum vixit. Hartmannus Oppenheimium ad Patrem profecturus Rheno haustus cum tredecim Nobilium filiis Anno MCCLXXX. periit, cùm annum decimum octavum necdum explêsset. Mechtildem Ludovico II. severo Palatino, Agnetem Alberto II. Saxoni, Hedwigem Ottoni Brandeburgico inter ipsa inaugurationis solennia Aquisgrani Pater collocârat. Clementiam Rex Apuliæ Carolus, Guttam ùt diximus, Wenceslaus Bohemiæ & Poloniæ Rex sibi despondêre; Euphemia Tulnæ in religiosarum Virginum institutum se dedit.

Liberi.

Pater.

Fratres.

FRIDERICUS
Pulcher Aug.
DUX STYRIÆ VII.

AUstriæ Styriæque Dux Anno MCCXCVIII. communi cum fratribus Rudolpho, & Leopoldo honore Norimbergæ appellatus à Patre Provinciarum Gubernacula Anno MCCCVI. sumpsit, postquam Rudolphus natu major Bohemiæ solium adiisset. Acerbum de optimi Parentis cæde nuncium in Austria cum fratribus accepit. Post justa Patri persoluta in alterum usque annum in Provincia restitit. Sub anni demum IX. ætatem Spiram ad Imperatorem Henricum VII. mille quadringentorum equitum agmine stipati abiere. Fuisse IV. Kalendas quintiles Salisburgi ejus urbis Chronologus asserit. Duo præcipuè à Cæsare postulabant, alterum ut percussores Majestatis reos diceret, alterum, ut jus sibi in beneficiarias possessiones firmaret; Moraviam & Parricidæ Joannis ditionem adjiceret. Primo non ægrè impetrato, alterum non nisi longa contentione extorqueri potuit. Austria, Styria, Carniolia dignum sanè & principe, & paupere irritamentum Henrici cupiditatem exacuit, cui parens Comes Luxenburgicus facultates non maximas, & dignitatis, quam adeptus, comparatione ferè nullas reliquerat: princeps tamen famæ ceterà & justitiæ studiosus cessas ultro provincias, quàm ereptas malebat. Id ut persuaderet multis argumentis fratres aggressus, inter alia exaggerabat, fatalem scopulum unas provincias esse, ad quem allisa tranquillitas publica toties hiaverit; bellorum hucusque fomitem ibi semper extitisse, earum causâ inundatam Europam Christiano sanguine, jam quinque Regum vita modicam eam Germaniæ portionem stetisse. Hæc sæpius oggesta, toties refutata ad fastidium Cæsar recantabat, cùm quadam die in senatu vehementiùs instaret FRIDERICUS, qui penitus mentem avidi Cæsaris introspexerat, vultu per indignationem ardens sellâ exilit: quinque, ajebat, tu Reges Austriæ causâ cæsos toties commemoras; ego verò tibi cavendum etiam atque etiam dico, nè tu interfectorum numerum tuo capite ad sextum augeas, nisi meæ fratrúmque hæreditati insidiari destiteris;

Austriaci in beneficiarias provincias jus petunt à Cæsare.

Qui cunctatur.

Friderici responsum.


FRIDERICUS II.
Rex Sicr.
Gratior, et pulchro Veniens in Corpore Virtus. Virgil.
Christ. Dietell sculpsit Gracy.



tis; simul è senatu se proripit. Hæc ea mentis, vultúsque constantia dicta, ut planè appareret, verbis non segniùs facta consensura, cupiditatem Cæsaris tantùm non extinxere; hortatu denique procerum permotus Styriæ, Austriæ & Carnioliæ provincias concessit denegatâ Moraviâ, vicissim ut eunti in Italiam cum ducentis Loricatis adessent, petebat. Soluta quoque à fratribus viginti quinque librarum millia, quidam ferunt. Leopoldus postmodum Cæsarem in Italiam assectatus mille quadringentis, quos ducebat, equitibus, egregiam illi operam Mediolani & ad Brixinam navavit; ibi quidem per telorum, & saxorum grandinem inducto in urbem milite Henricum è plebis tumultuantis, Guelphorúmque manibus eripuit; ad hujus expugnationem magnum momentum attulit. In rei strenuè gestæ præmium Sueviam Joannis patrimonium obtinuit.

Obtinent à Cæsare.

Leopoldus in Italia militans Sueviam ab eodem obtinet.

Ea Cæsaris tergiversatio audita Austriacis vetus novandi studium excitavit. Hæsere nempe adhuc quorundam animis iræ nuper in Albertum conceptæ. Missis primùm Legatis Henricum in sententia confirmare nitebantur, alium sibi Ducem præficeret, postulant, FRIDERICO fratribúsve nunquam se parituros diserte testati. Cùm nihilo secius FRIDERICUM inauguratum accepissent, arma corripiunt præcipuis seditionis Authoribus Potendorfio, & Eizingero. Sed præprimis Ducum absentia invitabat, qui tum per Sueviam, & vicinas regiones arma in percussores patris circumferebant. Spem rei bene gerendæ Otto Bavarus Rex Hungariæ præstabat, è custodia recenter elapsus, & infensus Austriacis, quòd Alberti machinationibus Ungariæ solio excussus præter Regis nomen nihil ultro circumferret: proceribus se Viennenses cives junxere; Neostadienses, etsi fœderi nomen dedissent, quietos se continebant, eventum præstolati. Erat rerum facies haud paulò periculosior ac nuper, cùm Alberto præsente turbatum fuit, nisi Waldsejis, Udalrico præsertim Styriæ Præfecto fides in absentem principem constitisset, corrasis celeritate, quanta poterat, maxima undique copiis in seditiosos movet, oppida & arces, quarum non paucas in potestatem redegerant, expugnat; dum nullâ datâ ad respirandum morâ ubique imminet, brevì vires, animósque attrivit, ut desperatis rebus Provinciâ sponte excederent. Eodem impetu Viennenses edomiti, ut adeò vix citiùs de turbata, quàm pacata Austria nuncios FRIDERICUS acceperit. Translatâ nihilominus in fratrem totius expeditionis, quam susceperat, curâ Viennam se retulit: mox perduelles in jus vocati debitis suppliciis, ùt magìs, minúsve noxam attingebant, perfidiam luerunt: proceres arcibus suis multati Sacramentum instaurare jubebantur, è Viennensibus ci-

Austriacorum adversùs Fridericum seditio.

Sopitur à Styriæ Præfecto Waldsejo.

Authores plectuntur.

vibus alij manibus, digitísve truncati. Gutefrido dicto Solfatori, & Wilhelmo cuidam lingua exfecta, & lumen oculorum ademptum. Joannes Stadlauerius conſpirationis caput, equi caudâ extra urbem pertractus, rotâ ſcelus expiavit.

Bavari ſeditioſorum ſocij.

A foro in campum adversùs Bavaros conjuratorum ſocios itum; pertinaciùs ij in Auſtriam peccârunt: ſtrata jam rebellione, ſuísque jam deſtituta capitibus Neoburgo ad Oenum ſito à XII. Kalend. Octob. Anni IX. usque ad anni alterius Januarium Otto, & Stephanus aſſedere, nec imperio Cæſaris, nec Conradi Salisburgenſis, & Rudolphi Palatini, qui concludendæ paci operam offerebant, hortatu à cœpto dimoveri ſe paſſi, donec deſperata defenſione loci Gubernator Hermannus Landebergius injectis in domos ignibus per averſam portam ſe cum præſidiariis ejeciſſet; deſertum oppidum Bavari ingreſſi quidquid turrium, murorúmque nondum foſſionibus procubuerat, evertêre. Petuntur à Friderico. ſteinam dein, quò Lambergius confugit, coronâ cinxerunt; ſed hinc copiis, quas FRIDERICUS præmiſerat, depulſi, amiſſis obſidionalibus machinis receſſere. Sub menſis Auguſti medium ſecutus FRIDERICUS quindecim millibus Bavariam invaſit. Rietum aggreſſus, faciliùs quàm optârat, penetravit; ſiquidem incolæ, antequam inde profugerent, ſparſo per tecta igne, nihil victori reliquum præter buſta fecere. Auctus poſtmodum quinque millibus à Cunrado Salisburgenſi Schardingam petiit, ſed in ipſo jam limine obſidentibus ſiniſtri eventûs omen Ducis morbus ingerebat, cum quo ad finem usque obſidionis graviter adeò conflictabatur, ut mortuum eſſe ſæpe rumor totis caſtris vulgaret; in ceteros quoque indies latiùs morbi ſerpebant; famis & annonæ penuriæ perpetui comites, increbreſcentes Autumni pluviæ latè agros inundârant. Supra hæc omnia metus à Bavariæ Ducibus accedebat, quos cum ſexaginta peditum, uno equitum mille, & quingentis approperare fama ferebat. Exuſtis denique, nè in hoſtium manus devenirent, ſub Novembris medium, caſtris machinísque, conſumptis fruſtra impendiis obſidionem ſolvêre, sícque formidata illa initio tempeſtas majori fragore, quàm damno pervagata Bavariam evanuit; rediit tamen ſub Novembris medium juſſu FRIDERICI in hoſticum Styriæ Præfectus Udalricus Waldſejus trecentorum agmine ſtipatus, cui cohortes aliquot Salisburgenſis addidit. Titmanningum usque provecti in exeſa alioquin regione incendiis hyemem veriùs, quàm Bavariam oppugnârunt.

Schardinga obſidetur.

Solvitur obſidio.

Belli ferias, quas hyems imperârat, Eliſabetha FRIDERICI Mater felix amicitiæ conciliatrix anno altero pace continuavit. Colloquio Patavij vigeſimâ quintâ Martij initium datum, pro Legatis

tis ipsi principes interfuere, FRIDERICUS cum Matre, Otto Bavariæ Dux, Otto itidem & Henricus Stephani nuper defuncti filij, Rudolphus, & Ludovicus Palatini Comites, Henricus Carinthiæ Dux, Comes Ortenburgicus, & Heunburgicus, Conradus Archiepiscopus Salisburgensis, Bernardus Patavienſis, Joannes Brixinensis, Albertus Gurcensis Episcopi, aliíque. Redditis ultro citróque captivis amicitiam his legibus stabilivere. Castrum Wensteinium Austriaci possiderent; Neoburgum, si luberet instaurare, eisdem fas esset; Ottoni Bavaro, ut id sumptibus suis faceret, imperatum, Zwettlense chronicon ait. Adversùs quoscunque hostes opem sibi mutuò ferrent, neuter tamen in imperium arma sumere obstringeretur. Elisabetha Stephani filia Ottoni Austriaco nuberet. Eodem anno missi Brunam Legati ad Joannem Bohemiæ Regem, eâ quoque parte Austriæ pacem firmaverunt; sed quæ anno decimo cum Henrico Carintho, nondum è Regno Bohemiæ à Joanne expulso inita. Concordiæ author iterum Elisabetha FRIDERICI mater fuit. Otto fratris sui Henrici, Elisabetha filiorum causam Villaci agebat, conventúmque, ut, si tria librarum millia Henricus persolvisset, loca reciperet, quæ in Carinthia, & Carniolia ejus ditioni Austriaci subtraxissent. Nactus ab externis FRIDERICUS otium ad repurgandas à grassatoribus vias curas adjecit. Ea provincia Theodorico Pilichdorffio aulæ, quòd ajunt, Marescballo demandata, qui percursata omni regione multos vim ausos cecîdit, alios captos solitis latronum suppliciis sustulit.

Fit Pax cum Bavaro.

Cum Carintho.

Brevem duorum annorum quietem multiplex & diuturnum bellum excepit, non nisi infausto FRIDERICI prælio, & carcere terminandum. Mors, quæ Ottoni Duci Bavariæ anno duodecimo VII. Idus Septembris vitam, etiam pacem Patavij sancitam abrupit. Sed gravioris calamitatis origo præmaturus obitus Henrici Cæsaris anno altero XXIV. Augusti Pisis defuncti extitit. Illa cum Ludovico adhuc Duce, hæc cum eodem jam Cæsare FRIDERICUM commisit. Ditionem omnem cum liberis Otto moriens Ludovici Palatini Comitis agnati sui tutelæ tradidit, ab eo, nescio, cur alieni? inferioris Bavariæ proceres opem Austriacorum anno decimo tertio implorârunt. Ea legatio FRIDERICUM Germaniæ coronæ cupiditate æstuantem opportuno tempore convenit, quo Hennebergicum, Pfannebergicum, Ulricum Waldsejum, duos comites Halsios validis copiis, & ære instructos in imperium mittere destinârat, eo obtentu, ut, si quid turbarum existeret, præstò miles ad compescendum esset; reverà, ut vi potentiáque ostentata in se suffragia colligeret, ab aliis verò, qui largitionibus paterent, pecuniâ emeret. Partem porro

Belli cum Ludovico Bavaro initia.

copiarum, ex his Pilichdorffium, Bavaris auxilio venire imperat, se cum Suevis propediem secuturum pollicitus. At subodoratus consilium Ludovicus festinato itinere, antequam Fridericus se jungeret, Pilichdorffium Bavarósque V. Idus Novembres ad villam Gamelstorffium aggreditur. Post acrem & integra die ancipitem pugnam serus nonnisi vesper victoriam Ludovico asseruit, Pilichdorffio cum quingentis nobilibus capto, reliqui ferè cæsi; quibus ferrum pepercerat, pons fugientium onere prægravatus in Isaram effudit. Paucos post dies captivi libertatem accepere, postquam Salisburgi principes concordiam instaurâssent. Narrat Leobiense Chronicon se se hìc intima familiaritate complexos, eodem sæpe lecto compositos, multa de Germaniæ imperio pertractâsse, Ludovicum, ut coronam prensaret à Friderico stimulatum, hunc contrà cum amitino certâsse officiis, multò imperio magis idoneum dictitâsse, qui potentiâ, clientelis, opibus sibi, ceterísque antestaret: ipse modò petitionem adornaret; ab se omni ope ejus ambitum sustentandum. Sed rarò fœderis affinitatísve vinculum tam firmum, aut nodus tam scitè implicatus, cui dissolvendo suum Alexandrum ambitio aut non faciat, aut non inveniat; si dissolvi nequeat, nihil propiùs, quàm gladio incidere.

Pugna ad Gamelsdorffium cum Bavaris.

Pax Salisburgi initur.

Fridericus ad petendum Imperium se comparat.

Ejus fautores.

Quinam alieni.

De Ludovici, ùt putabat, animo certus exinde Fridericus curas omnes eò retulit, ut conciliatis reliquorum procerum voluntatibus viam ad imperium strueret. Advocati in consilium Carolus Rex Hungariæ, Henricus Dux Carinthiæ, Leopoldus, Otto, Albertus, Henricus fratres, Weichardus Salisburgensis præsentibus etiam Agnete sorore, & Elisabetha matre operam suam omnes prolixè addixerunt. Palatinus & Saxo, uterque Rudolphus, Waldemarus Brandeburgicus in ejus partes jam aliàs se dedêre; Henricum Colonienſem Henricus Pulchri frater expugnârat promisso Elisabethæ (ea Colonienſis fratre Rudolpho Virnbergico neptis erat) matrimonio. Horum ille favore numeróque subnixus ceteros, quos in partes suas concessuros spes non erat, numero obruendos putabat. Nam Petrum Moguntinum, dum adhùc Basileæ ageret, Albertus Cæsar ab Austriacis, quod suprà meminimus, alienârat. Fors etiam Gebhardum, cui in Archiepiscopatu succeſſit, non sat clementer ab Alberto habitum ultum ibat. Joannem Friderici potentia, & initum cum Henrico Carintho fœdus terrebat. Nam cùm hic adhuc Bohemiæ Regem se ferret; illi verò nuper eam coronam parens ambierit; ab utroque sibi malè metuebat. Balduinus Trevirensis Joannis patruus erat. Néve par utcunque æmulus deesset, quem Friderico objicerent, Ludovicum, nè offerendum sibi propediem impe-

imperium rejiceret, hortantur, cúmque se ambiguum difficilémque initio præbuisset, fidem, quam FRIDERICO abstrinxisset, cauſatus; hoc demum argumento Moguntinus omnem religionis metum fortasse non invito exemit: nupera sanè sponsione obstringi, nè cuiquam alteri ad imperium, quàm FRIDERICO suffragetur, minimè verò, nè ipse eam dignitatem admitteret: neminem suis pactis inclusum censeri, quibus ad tantum fastigium via obstruatur. Nec pluribus opus, honorem, quem nuper longè & extra spem positum facilè Ludovicus ejuraverat, nunc oblatum ambabus, ùt ajunt, ulnis amplexatur. *Moguntinus Ludovico Bavaro spem facit.*

Mense Octobri Anno MCCCXIV. in quem Moguntinus comitia edixerat, ambo candidati Francofurtum convenêre. Ludovico an in urbem? an alterum suburbium recepto, in altero FRIDERICUS, an propter Mœni ripam? consedit, tum suis, tum, quas illuc Leopoldus deduxerat, copiis cinctus; sua quemque Electorum factio, reverà feciales, qui eâdem nempe voce, & bellum, & Imperatorem crearent, comitabantur. FRIDERICUM sui primi Cæsarem XIX. Octobris die consalutârunt. Henricus nempe Carinthiæ Dux, Bohemiæ Regis jure adhucdum usus. Henricus Colonienſis, uterque Rudolphus, Saxo alter, alter Palatinus. Legati Nicolai Bockij prævaricatione factum, nè Waldemarus Brandeburgicus pro Austriaco sciſceret. Is enim à Moguntino pretio haud dubiè emptus, aut erasо FRIDERICI è fiduciariis literis nomine Ludovici substituerat, aut certè alienum à Domini sui mente suffragium tulit. Flagitiosi impostoris temeritatem novo supplicij genere Waldemarus punivit, conquisitiſſimis cibis, & quibus avidiſſimè inhiâsse aliàs nôrat, quotidie mensam extruxit, illóque ad columnam, nè manus extendere posset, alligato, absumi ab excubiis dapes jussit, nihílque è toto convivio relictum misero, præter nidorem ciborum intolerabile esuritoris irritamentum, donec tandem inediâ contabesceret, ipsi verò panis, & frigida adeò malignè in singulos dies admensa, ut nunquam satiare, in plures solùm dies esuriem, & pœnam proferre posset. Sic proditoris famem, qui sibi fidem, Waldemarus accommodato ad naturam sceleri supplicio fefellit. Altera die Petrus Moguntinus, Balduinus Trevirenſis, Joannes Rex Bohemiæ, Joannes Saxo, & Waldemarus invitus quidem, ùt diximus, Ludovicum Cæsarem jubent. Eò anno ab neutro quidquam hostile tentatum. FRIDERICUS trajecto Mœno Heidelbergam, Ludovicus Oppenheimium cum suis fautoribus abiere, ille ab Aquisgranenſibus rejectus, Bonnæ XXV. Novembr. sacros ritus obeunte Colonienſi; hic altero anno Aquisgrani à Moguntino VI. Januarij Coronam accepit. *Eligitur Francofurti Fridericus & Ludovicus.* *Brandeburgici Legati perfidia.* *Et pœna.* *Uterque Cæsar coronatur.*

His uterque insignitus in mutuum odium magìs exacerbati domum ad colligendas per otium vires repetiere. FRIDERICO se se opportuna occasio obtulit, qua Ungari amicitiam sibi penitus affirmaret; Regem Carolum, jam inde quo Otto Bavarus solio exciderat, Matthæus Comes Trenchinienſis Regni Palatinus infestabat, jamque Vagi ripam utramque occupârat, quem nisi Germanorum auxilio redigendum in ordinem Rex desperabat. Sinè tergiversatione in eam expeditionem, qua nempe Ludovico novum hostem pararet, se dedit, copiis, quod Carolus postulabat, ad validissimum castrum Comaromium admotis, brevì expugnat, quâ victoriâ Rex supra modum lætatus in vicem auxilia spondet, at subinde à FRIDERICO de liberanda fide appellatus, venturum se negabat, nisi Insula Schutta cum Posonio redderetur, quæ Agneti Reginæ Hungariæ quondam in dotem assignata fuere, & huic quamvìs illiberali postulato assentiri, status rerum coëgit, nè properanti ad Imperium tantillæ terræ portio moram injiceret.

Fridericus Carolo Ungaro auxilio venit.

Et vicissim opem pacisciscitur.

Sed nemo alter ac Leopoldus divisam fratris cum Ludovico potestatem iniquiùs ferebat; atque ùt acer erat, & ardens animi nunc solus, nunc fratri junctus, jam copias, jam urbes Ludovico faventes assiliebat. Ubique hosti imminens damni plurimum, quoquò ferretur, dabat, nec ante vitam inexpugnabile odium in Bavaros posuit. Fratrem haud dubio æmulo liberabat, nisi eum intempestivus ardor in pugnam rapuisset, antequam Leopoldus adveniret. Ad decretorium porrò certamen, nonnisi post sex annorum bella deventum est, quibus interea Germania in partes sciſſa, fœdè lacerabatur. Ludovico inferiores ad Rhenum civitates, Norimberga, Augusta, Bavaria, Bohemia, Franconia inferior: ex Helvetis Urij, Unterwaldij, Suitenses, qui se inito fœdere in libertatem anno seculi octavo asseruere, favebant. FRIDERICI partes civitates Rheni superiores, Argentoratum, Henricus Dux Carinthiæ, Carolus Rex Hungariæ tuebantur. Otto & Albertus FRIDERICI Fratres domi se continuere; illum Elisabetha uxor Stephani Bavariæ Ducis filia arcta affinitate Ludovico illigârat: hic impedito pedum usu in belli labores minùs valebat.

Utrius & Cæsaris socij.

Cæco Marte initio & proditione certatum, emissúsque nobilis quidam eques, & Dapifer Alzejus nomine, qui, si designatæ Bavari cædi fortuna aspirâsset, uno ictu multorum millium secutam cladem averterat. At Ludovicus Heidelbergâ (unde percussor exierat) de periculo per alios proditores admonitus, cùm observari peregrinum omnem cum cura jubet, Alzejus exerto telo arcúque instructus deprehenditur, per urbis compita, ut spectaculo esset circumductus, equi demum caudâ ad crurifragi-

Sicarius in Ludovicum immissus deprehenditur.

um

um raptus, vitam, priusquam alteri adimeret, amisit. Hæc à Nauclero narrata aliorum silentium dubia meritò faciunt. FRIDERICUM certè ab similibus artibus & historici, & moderatio animi, absolvunt. Si fidem narratio mereatur, non adeò à Leopoldi genio id genus machinationis abhorrere existimant, cui temeraria, & præcipitata consilia sæpius placuissent. Sed hæc in medio relicta sint. Cùm proditorem suæ insidiæ fefellissent, eodem anno XV. in apertum campum ambo Reges prodiere; FRIDERICUS milite, & ære, cujus summam non spernendam è fundis etiam Ecclesiasticorum decimarum nomine collegerat, abunde instructus per Carinthiam ad Eslingæ obsidionem tetendit. Nondum æquis viribus id opus susceptum continuò patuit; nisi Neccari alveum oppido diverteret, frustra erat; nè perficeret non interrupta missilium saxorúmque grandine, & destinatis ferè ictibus præsidiarij prohibebant. Ludovicus quidem copias, quibus laboranti urbi succurrerat, non lacessito hoste reduxit, nihilominus absistendum, insumpto frustra mense, cœpto fuerat; nè tamen sinè præda, ùt sinè victoria, expeditio esset, expilatâ ex itinere ad Danubium Bavariâ rediere.

Eslinga obsidetur ab Alberto.

Retentata altero anno oppugnatio nihilo propemodum felicius cessit. Siquidem cives interim se se validiùs obmunierant, atque cùm se tolerandæ diutiùs obsidioni impares cernerent, citatis nunciis Ludovicum evocant. Neque is de fidæ urbis salute anxius opem distulerat, subsidiarias, quas opportunè è Bohemia accepit, cohortes secum trahit, castróque non procul hoste ex opposita Neccari ripa in Fluvij medio locat. Rixa primum inter adaquandum à calonibus collata, cùm alij ex aliis auxilio advolarent, ad universi discrimen certaminis utrumque exercitum perduxit. Integrum ferè diem pugna tenuit, paucioribus militum cæsis mille septingenti equi periere, nondum inclinante in alterutram partem victoriâ nox præliantes diremit. Orta luce velut pactis mutuo consensu induciis respiraturi ambo exercitus recessere.

Altera ejusdem obsidio.

Sed in secundam, quam diximus expeditionem, antè non itum est, quàm uterque Ducum sibi conjugem adsciviisset. FRIDERICO missi nuper Legati Abbas Lambertinus, Rudolphus Liechtensteinius, Henricus Waldsejus, quibus Jacobus Rex Arragonum, Sponsæ parens Gerundensem Præsulem adjunxerat, Elisabetham insignis formæ principem Anno decimo quinto in Germaniam deduxere. Sub idem tempus Leopoldo Isabellam Amedeus IV. Sabaudiæ Comes submisit. Ambæ nuptiæ regio luxu Basileæ celebratæ, Elisabetham insuper FRIDERICUS coronâ Germaniæ ornari curârat. Geminum, quod tum acciderat, infortu-

Nuptiæ Alberti & Leopoldi Basileæ.

nium in lævum omen multi traxere: nuptias cùm aliâ lætitiâ, tum Trojanis ludis pro ævi illius more celebrârunt, è quibus Catimelibocensis ab Hallwylio aut Gebwichio lethaliter saucius abiit. Sed non minùs alterum animos conturbavit. Leopoldus Imperij insignia, quæ à morte patris servârat, ensem, pallium, chirothecas, sacræ crucis partem, lanceam, clavúmque videnda exhibet, cum, ecce! ruptis repentè fulcris suggestus, in quem nobilissimi spectatores conscenderant, corruit, multíque quassatis graviter membris asportati. Nihil is casus Generosos fratrum animos terruit, qui extra ferrum omen nullum cognoscebant. Eadem frontis serenitate Basileâ Badenam Ergoviæ ad nuptiale festum Guttæ sororis, & Oettingani Comitis Ludovici abiere. Ajunt inter reliquum apparatum ejus magnitudinis, & ponderis candelas duodecim numero hìc visas, quarum singulis ferendis, duodenis non pauciores viri suffecerint.

Item Guttæ, sororis Badenæ.

Leopoldus ad Spiram Ludovico imminet.

Quo anno, haud certò asseruero, Leopoldus Bavarum prope spiram intra cœmeterium Judæorum obsedit, quem in locum se extra muros audito Leopoldi adventu receperat, ut ab urbe hostem in se averteret, dum Leopoldus indies in pugnam proditurum avidè expectat, inobservatus nocte elabitur. FRIDERICUM, quem adfuturum propediem cognôrat, veritus, ut formidinem verò tegeret, dictitabat, non ab se vires, sed fratrum concordiam metui, quæ arcana quadam naturæ lege, insuperabilis semper humanis viribus sibi visa fuisset. Delatus in Bavariam signa in fratrem Rudolphum, qui pro FRIDERICO censuerat, convertit, Ducémque viribus imparem Viennam fugere cum conjuge Adolphi Cæsaris filia compulit. Rudolphus in Angliam profectus quatuor post annis diem obiit. Ludovicus eâ victoriâ potitus simul hostem infensissimum à latere amôrat, simul occupata Palatini ditione ærarium locupletârat. Simile compendium facturus Leopoldus in Suitenses Anno MCCCXV. movit, quorum quidem etsi nobiles plerique in FRIDERICUM inclinarent, plebs tamen Ludovico studebat: infaustæ expeditionis comites se junxere Hugo Henricus, & Albertus fratres Verdenbergici Comites, ab incolis intra montium fauces obruti, mille quingentos equites amisere, peditum pars cæsa, pars in vicinum lacum adacta aquis periit. Tigurinos quinquaginta popularium suorum cædes adeò exterruit, ut in Ludovici factionem posthac se darent. Fertur Leopoldi morio eam cladem Duci prædixisse: qui cum Tugij deliberantes sæpius audivit, qua potissimum viâ ad Suitenses penetrarent, sublato cachinno sic congregatis illuserit: Næ vos Duces insigniter providi, qui de ingressu in hosticum consultatis unicè, nullo vestrum solicito, quî inde pedem referatis.

Ludovicus Rudolphum fratrem ditione exuit.

Leopoldi infelix in Helvetiâ expeditio.

Mi-

Minore clade, non majore fructu Soloduri oppugnatio Anno decimo octavo desiit; sed quòd elementis & humanitate potiùs civium, quàm hostium viribus victus recesserit, ignominiâ fuga caruit. Pontem, quem Arulæ instraverat, veritus, nè fluvius diuturno imbre tumidior prorueret, turmam militum sistere, corporúmque pondere gravatum firmare in vim fluminis mandat, inutili adversùs insanam procellam consilio, nihilo enim secius prostratæ sublicæ eâdem secum ruinâ militem involverunt. Triste spectaculum obsessis adeò miserationem movit; effusi ex urbe lembis, contis, funibúsque natantes eripiunt, solâ rari exempli gloriâ contenti sinè pretio liberos in castra remittunt. Intellexit Leopoldus, quàm parùm timeretur ab iis, qui redituros in pugnam generosè à morte liberârint, nè defensæ urbis gloriam cum aquis dividerent, simul admiratione virtutis captus soluta obsidione ad Bernates profectus, in quinquennium inducias pepigit. Hinc reparatum Helveticis delectibus exercitum Spiram denuò abducit, civibus in octavum mensem strenuè resistentibus, & nunciato Ludovici adventu territus, accelerato itinere ad Udalricum Ferretanum Comitem, & Joannem Argentoratensem Episcopum, qui ad Bruschum amnem metabantur, contendit. Nec hìc diu moratus trajecto amne ad Molshemium castra communit, præstolaturus, donec FRIDERICUS, quem de periculo suo edocuerat, cum copiis ex Austria adveniret. Jam Spiram abeuntis tergo Ludovicus hæserat, sed omisso tantisper tum hoste, donec Argentoratenses in fidem reciperet, adeò vicinus castra explicârat, ut propè abesset, quin FRIDERICUS fratris esse ratus in ea se indueret. Sed nempe iterum vires suas spectaturi convenere: nè experirentur, metus Bavaro ab inusitata FRIDERICI fiducia incussus obstitit. Speculatum is castra exploratorem miserat, deprehensum FRIDERICUS per ordines circumduci jubet, atque ad hominem: refer cognato meo, accinctum pugnæ me stare, id firmum planè fixúmque animo esse, hodiernæ diei documento decernere: uter Imperio dignior? simul classica concinere, & cùm loca equitatui iniqua essent, omnes interpedites pugnare, extra castra militem prodire imperat. Ut concuti ferociter arma, valla refigi ab iis, quos inter munimenta sua trepidare crediderant, Bavari vidêre, continuò animi defluere, Ludovicus ipse viam in fugam commonstrare. Nè quid cladis in receptu acciperent, saluti fuit regio crebris saltibus interstincta: Hagenoam tenuere, quin Austriaci biduum insecuti, unquam propinquiùs tergo imminerent.

Soloduri.

Spira frustra obsidetur à Leopoldo.

Friderici magnanimitas.

Bavari elabuntur.

Non perinde feliciter Bavaris receptus ad Mulldorffium Anno decimo nono accidit. Situm erat Mulldorffium intra ditio-

nem Salisburgenſis Epiſcopi, id temporis Friderici de Leibnizio, qui recens in fœdus Auſtriaci conceſſerat. Cùm Leopoldum ſe ei incluſiſſe audiret, Ludovicus cum Rege Bohemiæ & inferioris Bavariæ Duce oppidum cingunt. Adfuit FRIDERICUS III. Kalend. Octobr. valido Ungarorum, & Salisburgenſium exercitu ſtipatus, cæsísque, qui ſeſe ex adverſa Oeni ripa oppoſuerant, hoſtibus, eodem impetu obſidentes depellit. Inter fugientes, donec Ratisbonam tenerent, ingens ſtrages edita; atque his in tutiora dilapſis in inferiorem Bavariam deſævitum, ut non aliàs habitam fœdiùs regionem ſcriptores deplorent. Ita rem actam chronicon Leobienſe narrat. Obſidionis porrò ceteri non meminere; ſed FRIDERICO in Bavariam tendenti, cui Leopoldus profectus ex Suevia ſe junxerit, copias ſuas objeciſſe Ludovicum, fugiſséque, ùt narravimus, memorant.

Cæduntur Bavari ad Mulldorfium.

Papa neutrius electionem probat, favet tamen Friderico.

Dum Leopoldus per Germaniam, alter frater Henricus per Italiam pro FRIDERICO arma circumtulit; ambo verò Cæſares cauſam ſuam Avenione per oratores apud Joannem XXII. agebant, qui poſt duorum annorum & ſesqui tertij menſis interregnum Clementi V. VII. Idus Auguſti Anno MCCCXVI. ſucceſſerat. A FRIDERICO miſſus eodem adhuc anno Conradus Abbas de Salem Epiſcopus Gurcenſis; adfuit & à Bavaro: huic præcisè reſponſum, nè quid ſperaret: FRIDERICUS, donec jus ejus meliùs perſpectum haberet, expectare juſſus: non multò poſt etiam ſe poſtulatis ſubſcripturum Pontifex ſpopondit. Fervebat tum inteſtinis motibus Gibellinæ, & Guelphicæ factionis Italia, illa Cæſarum, Paparum iſta ſtudioſior. Alternante, ùt fit, belli fortuna, jam hæc, jam illa dominabatur; nunc Guelphi ſuperiores evaſerant, & opprimebant penitus æmulos, niſi miſſis è Germania ſubſidiariis Ludovicus labantes ſuſtentâſſet, quibus illi viribus aucti civitates non paucas ſubegerunt. Ea res adeò à Bavaro Pontificem alienârat, ut Imperatoriam coronam FRIDERICO: Alberto, ùt Rhoo ait, Moguntinam tiaram polliceretur, ſi reprimendis Gibellinorum progreſſionibus militem ſubminiſtraret. Eam demerendi Pontificis occaſionem avidè complexus FRIDERICUS, Henrico fratri aliquot legiones peditum, cum duobus equitum millibus deducendas attribuit, an ab eo exercitu præter metum aliquid paſſi Gibellini, non reperio; monitus ſiquidem ab iis FRIDERICUS: caveret, nè ſpem ſuam, quam his armis fulciri putaret, penitus affligeret; hæc auxilia adversùs Imperium potiùs miſſa videri, futurum nempe ut Germanicis armis adjutus Pontifex, pleraque per Latium, Hetruriam, Inſubriam loca ditioni Imperij ſubtracta ſibi aſſereret, quo obtento nulli Regum Romanorum aditus in urbem, niſi rogato Papa pate-

Henricus in Italia adversùs Gibellinos.

ret.

ret. His ſuſpicionibus impletus FRIDERICUS, ſubitò fratrem revocat. Is ut vendibilem diſceſsûs cauſam obtenderet, civitates quasdam ſibi tradi à Guelphis in belli ſumptus poſtulat, id quod negaturos procul dubio præviderat; repulsâ, quam optabat, obtentâ, offenſo ſimilis ſe ſubducit. Exacerbatum eo receptu Pontificem altero anno utcunque per Legatos excuſata facti neceſſitate FRIDERICUS placavit, propenſum certè palàm animum in Auſtriacum Joannes deinceps ferebat.

Nunc in funeſtum Mulldorffij Campum, & mendaci omine nuper fortunatum iterum ſeducendus es lector; ubi collectas biennali quiete iras effudere. In alterum annum ferè ceſſatum ab armis, aut neutra parte quid memorabile geſtum fuiſſe ſilentium ſcriptorum perſuadet. FRIDERICUM Anno vigeſimo ſub Paſchæ tempus egiſſe Judenburgi in literis, quibus conceſſas Auguſtanæ urbi in ſexennium inducias probârat, lego. Sed & ea quies ad bellum maximè pertinuit, quâ belli ſtudia nunquam intermiſſa. Præcipua FRIDERICO cura, ut tandem æmulum in pugnam proliceret. Jam enim tot ignobilium velitationum pudor ſubiit, partim etiam diuturni, & umbratilis ferè belli tædebat: ignarum nempe, quàm triſte ſibi otium ea dies, quæ bello finem, allatura eſſet. Ergo inſtaurato per id otium, multò quàm antehac majoribus delectibus exercitu anno vigeſimo ſecundo ambo fratres in Bavariam communicato clàm conſilio ex Auſtria FRIDERICUS, ex Suevia Leopoldus movent. Nec longè aberat, quin Ludovicum gemino exercitu concluſum internecione delerent. Quippe is, quid Suevia moliretur, ignarus, in Auſtriacos duntaxat intentus, ſe ſe ruenti FRIDERICO objecerat. Sed quæ erat hominis perpetua in elabendo felicitas, Dux fronti FRIDERICUS, Leopoldus tergo jam jam imminet, prædam velut indagine cinctam capturi: è manibus, oculísque hoſtium avolans hiantes deludit, injectóque raptim in munita loca milite, præter confeſſionem metûs, nihil emolumenti gloriæ æmulo conceſſit. Omni clade acerbior hæc hoſtis adhuc integri fuga Auſtriacis acciderat; excutiendam denique hoſti quovis demum modo patientiam, agendúmque in rabiem, quo copiam ſui aliquando faceret, ſtatuunt. Bavariam omnem infeſtis ſignis percurſant, nullum ferè malorum genus, quo efferatus miles hoſticum divexare poſſit, prætermiſſum; cædibus, rapinis, incendiis tota regio hauſta, collucentes paſſim ignes, & ſua damna ex arce, unde prodire non audebat, cominus, eminúsque Ludovicus ſpectabat: fuítque fœda adeò populatio, ut doloris impatiens, ùt ùt demum res caderet, univerſo exercitu decernendum concluderet, néve à capta ſemel ſententia recederet, miſera, quocunque ferretur, Bavariæ faci-

Fridericus & Leopoldus populantur Bavariam.

Irritatus Ludovicus pugnare decernit.

es retinebat. Simul ac in provincias quisque suas prædis onusti rediere, undique delectus militum haberi imperat; Bohemum, Moguntinum, Trevirensem, Burggravium Norimbergensem, omnes, in quot divisa erat Bavaria, agnatos Regulos, Comites Oettinganos, Hennebergicos, Schlüsselbergicos, Hohenlojos, Monfortios, veteres armorum socios de adducendis è lege fœderis auxiliis appellat. Monachio vigesima prima Septembris abeuntem triginta peditum, unum equitum mille, & quingenti sequebantur; ipse velut ad mortem iturus ante profectionem, ultimam voluntatem tabulis consignavit, provido, non necessario, ùt eventus docuit, consilio. Amat nempe victoria se non sinè solicitudine expectari, & certiùs persæpe vincit, qui vincendum se metuit.

Ejus copiæ.

Ad Mulldorffium ambo exercitus convenient.

Apparatus ad bellum Bavaricum.

Hos Bavari apparatus incredibili gaudio Fridericus audiit, ùt qui jam fructum longè maximum è nuperna populatione retulisse se ajebat, quòd tandem æmulum ad pugnandi consilium ludificatus toties pertraxerit. Jámque in vicino ad Müldorffium colle considebat: cùm Ludovicus adventaret, octodecim millia peditum, quinquies mille, & sexcentos equites ex hæreditariis duntaxat provinciis coacta numerabat. Fridericus Salisburgensis mille equites, quos inter nonaginta tres equestri dignitate conspicui, auxilio misit. His sua agmina Albertus Patavinus, Frisingensis, Gurcensis, Lavantinus aliíque junxere. Henricus quoque frater, quos nuper integros in expeditione Italica servârat, sociavit. Carolus Rex Hungariæ bis mille ducentos equites, quater mille sagittarios Cumanos submisit; quos Leopoldus justo numero per Ergoviam, & Herciniam sylvam conscripserat in itinere erant, nunquam in prælium venturi, nam dum evertendis Guilielmi Monfortij, qui Ludovico militabat, castris tempus terit, seriùs depugnato jam prælio advenit. Ejus absentia maximo stimulo Ludovico fuit, ut quantocyus manus conferere satageret; præsertim postquam missos alios ex aliis nuncios intercepisset, quibus fratrem Fridericus monebat, ut auxilia maturaret. Itaque importunè hostem provocare, perpetuis incursionibus lacessere; arma, aciem ostentare; certus Fridericum suopte ingenio ardentem, his denique stimulis succubiturum. Nec eum opinio fefellerat, obtestabantur Fridericum Duces uno ore omnes, Ulricus præsertim, & Henricus Waldseji fratres, nè in manifestum discrimen florentissimas copias, se, coronámque conjiceret, unius diei itinere duntaxat Leopoldum abesse, id moræ saluti suæ donaret, nulli Ducum probro ignaviævè verti, si providè, si non ad hostis arbitrium in pugnam ruat; intempestiva fortitudine corrumpi sæpe victorias, quas patientia servâsset;

Leopoldus moram trahit.

Dissuadent Duces Friderico prælium.

Calu-

Calumniis hoſtium minùs moveri debere, qui ferrum contemneret; fortioris ſæpe animi eſſe indicium abſtinuiſſe à prælio, quàm pugnâſſe; tum, quæ Engelbertus Abbas per Admontium iter agentibus de infelici pugnæ eventu, quæ Bartholomæus Veronenſis præſagierit, oggerunt.

Monita Friderici indoles famæ nimis & gloriæ ſtudioſa evertit: præſagia, ceu aberrantis cerebri deliria riſerat. Ignominioſum videbatur, qui tot annis provocârit, nunc tergiverſari, & velut non ultra verba animoſum, ſeipſum vaniſſimæ oſtentationis damnare, pugnam in quartum ante Kalendas Octobr. diem edicit. Aliud infelicis eventûs omen Leobienſis refert. Conſueviſſe Fridericum annulum quendam circumferre, qui ex auro à Magis Chriſto oblato, ſæpiúsque Proavo ſecutæ victoriæ indicium læto ſplendore feciſſe credebatur. At cum ejus diei manè, quo conſerendum prælium erat, operante ſacris ſacerdote, auſcultantéque Friderico cum aliis ſanctorum exuviis aræ imponeretur, triſti pallore præter omnem morem ſuffuſum nihil lucis reverberâſſe, penitus diſparuiſſe quidam aſſerunt. Hæc an piis plebeculæ terriculis, an vero propiora? lector diſpiciat. *Edicit tamen.*

Aciei frontem è Styris & Salisburgenſibus conflatam Henricus Dux regebat, ſignum Auſtriæ præferente Dietmaro Pilichdorffio equitum tribuno; Waldſejus Ungarorum cohortes ductabat; regio ipſe cultu inſignis Auſtriacis, & Carinthis imperitabat. Gerolczekio cum Aquila ponè conſequi juſſo. Pugnaturos allocutus hac ferè oratione uſus fertur: in Veſtris manibus corona & Imperium meum hodie ſitum eſt commilitones. Regem me facitis, ſi viri eſtis. Inferiores numero, ſuperiores causâ ſumus; ij ipſi hi ſunt, quorum toties terga vidiſtis, quos dudum viceratis, ſi ſtare noviſſent. Tumulum, quo tegantur poſt exuſta tecta, non victoriam quærunt. Non expectato fratris auxilio pugnamus, veſtra virtus, veſtræ dexteræ me abſolvunt, nè fortunæ aut temeritati tribuiſſe aliquid videar: aderit & ille ſub æſtum prælij, nè dubitate, majori ad victoriam momento, quo minùs hoſtibus expectatus, advenerit. Agite viri fortes, & quantum perfidis artibus vera virtus, aureis emptísque ſuffragiis ferrea præſtent, commonſtrate. Hæc ille accenſo, non eo ſanè, qui ſecuturæ calamitatis indicium præberet, vultu prolocutus, incredibile, quantum animis ardorem, ſpémque victoriæ afflârit. *Aciei Auſtriacæ ordo.* *Fridericus hortatur milites.*

Ludovicus ex adverſo poſitis regni inſignibus, armorum imperio eo die in Sigefridum Schweppermannum ſpectatæ virtutis tribunum translato vilem gregarij thoracem indutus Bavaros rege-

bat ſolo imperij, quod intra illud agmen Schluſſelbergicus ferebat, vexillo agnoſcendus. Jam in aciem compoſitus ſuos hunc in modum affatur: non ego veſtram operam hodie depoſco, ut imperatoriam mihi dignitatem firmetis; quanquam, ſi fortes eſtis, eâdem operâ id decus Patriæ veſtræ aſſeretis. Non mihi tanti corona eſt, ut vel unius veſtrûm vitâ emptam velim; pluris ſanguinem veſtrum facio, quàm ut purpuram illo tinctam feram. Satìs magnum mè puto, qui vobis impero. Hæc miſera exuſtæ regionis facies, hæc patriæ buſta, conjuges, liberi, nudi, egentésque veſtras manus, veſtrum ferrum implorant, his incendiariis turmis, huic graſſatorum manipulo vices reddite, cædite, ferite; fumantia adhuc tecta veſtra conſpicitis: has ignis reliquias eorum ſanguine extinguite. Niſi hodie cruore Auſtriaco Bavariam adversùs flammam muniatis, redituram gentem barbaram nè dubitate. En luculenta averſi Numinis indicia, ruunt in prælium non expectatis ſociis, una Ducis ſui temeritate ſecuri: vos, antequam Suevorum acceſſio difficiliorem reddat victoriam, conficite prædones, docete, aliud pugnæ genus eſſe in inermia mapalia, aliud in viros: Bavarorum corpora non perinde ferrum, ut tecta flammas recipere.

Itidem Ludovicus ſuos.

Aciei Bavaræ Ordo.

Alberto Rindsmaulio, & Conrado Baybrunnio claris militiæ ductoribus levis armaturæ turmas attribuit, diſertè mandans, unicè FRIDERICUM veſtigarent, vivúmque, ſi fieri poſſet, in poteſtatem redigerent. Burggravius Norimbergenſis, cum quingentorum equitum cohorte in ſubſidiis diſpoſitus. Joannes Rex Bohemiæ cum Genero Ludovico Bavaro gentis quisque ſuæ ductor primi in hoſtem provolârunt. Conſpecto eorum motu Henricus quoque ſuos in pugnam emovet. Cùm hìc æquatis propemodum viribus æquo aliquamdiu Marte certatum eſt, in hos ſimul & Bohemos diviſis agminibus Auſtriaci cooriuntur, fit continuò ingens rerum converſio. Bavari triplici hoſti impares haud diſſimulanter fugam reſpectant. Funduntur immani ſtrage Bohemi, Rex ipſe ſuffoſſo equo in terram effuſus, ægréque in ſecundum enititur; quingenti abjectis armis vitam unam deprecati, ſe dedunt. Rebus jam ferè deſperatis Schweppermannus unicè ſaluti fuit: Norimbergicum, cujus copiæ adhuc pugnam vacuæ integræque ſpectârant, in Ungarorum latus obliquum invadere jubet, ipſe, quà aſperrima pugna cum Bohemis calebat, cum Bavarorum robore invectus totam illam procellam in ſe tantiſper avertit, donec Bohemis ſe colligendi ſpatium faceret. Senſim deinde aciem, cujus ſtruendæ inſignis artifex erat, non obſervata hoſti fraude convertit, ut adverſum deinceps ſolem, pulverémque à reflante vento ſublatum plenis oculis & ore haurirent.

Vincuntur primo Bavari.

rent. Parte altera Norimbergico ſuus pariter aſtus feliciter ceſſit. Is pro Bavaris, ſignis Auſtriacis uſus, amicúmque mentitus, id haud ægrè Fridericianis perſuaſerat, ſpe adventuri ſub prælium Leopoldi occupatis, & doli ſuſpicione exinde vacuis: atque ùt ipſe ſinè noxa incedens, ità nullo telo appetitus ſub latera pugnantium ſuccedit, nec antè pro hoſte habitus, quàm intra viſcera aciei receptus ferrum expediret. Tum enimverò utraque parte metus & deſperatio animos eliſere. Hi ſpe ſua ſubſidiorum deluſi, miſeréque decepti, illi illapſu radiorum, & pulveribus cæci, omnes decem horarum pugnâ feſſi integros valentésque non ſuſtinebant. Majorem tamen, quàm pro conditione virium ſuarum numeróque pugnam initio edebant. Hungari Bohemos è fuga redire ad prælium, quingentos captivos reſumptis armis terga pulſare conſpicati in fugam primi effunduntur, rupta jam verecundiæ lege ceteri omnes, quoquò metu cæcos impetus rapiebat, extra ordines feruntur; ingens inter fugientes ſtrages edita, Hungarorum nulli, quos quidem conſequi poterant, vitæ veniâ factâ. *Dein vincunt.*

Fridericus ſeu fugæ ſuorum ignarus, ſeu ignominiæ metu cum Fratre, & Nobilium virorum manu in campo reſtiterat, velut integris adhuc rebus depugnans. Certè ſi illius animis eo die omnes pugnâſſent, feliciſſimum prælio exitum non daturi non erant. Nullum ille boni Ducis, ſed neque militis officium prætermiſit: quà conſertæ lanceæ, denſiſſimúsque telorum imber funerum plurimum dabat, identidem viſus; nunc omnes, nunc ſingulos hortabatur, ſtrictóque enſe in ordines hoſtium involans animos omnibus de ſe faciebat. Ipſum quinquaginta ſua manu confodiſſe eo prælio referunt. Nunc etiam cum paucis ſuorum validiſſimum impetum ruentium copiarum acerrima dimicatione ſuſtinuit, donec ſuffoſſo equo, laſſus virium, & ob armorum pondus pugnæ minùs idoneus deditionem facere cogeretur, Henrico cum Pilichdorffio jam ante ab hoſtibus abducto. Capti Friderici gloriam ſcriptores alij Eberhardo Mosbachio Franconi, Alberto Rindsmaulio alij attribuunt. Si vera narrat Fuggerus, litem eam mox altero die inter proceres agitatam, ipſe Fridericus Rindsmaulio adjudicavit; rogatus quippe, cujus potiſſimùm robore ad tradendum gladium adactus fuiſſet, ut ediceret, clypeos ſingulorum exhiberi ſibi poſtulârat, conſpectóque bubali capite, annulóque in nares inſerto, velut per ludibrium repoſuit: en! hujus vaccæ faucibus me eripere nequidquam laboravi. Ludovicus ad ſe adductum humaniter alloquitur, de ejus aſpectu ſibi plurimùm gratulari teſtatus. Ille ſeu id convitium interpretatus, ſeu iratus fortunæ ſuæ, & inter vincula adhuc militariter *Fridericus cum Fratre Henrico capitur.*

ferox, nullo responso æmulum dignabatur. Attonitum alij aspectu Ludovici asserunt, quem ipse ab se in prælio confossum persuasum antè habebat. Loricâ, regiisque ornamentis exutus, Dornbergam cum duobus Waldsejis, aliisque Austriacæ nobilitatis viris deducitur. Inde altero die Oettingam, demum in superioris Palatinatûs arcem deportatur. Ferunt illum limen loci subeuntem è custodibus castri nomen percunctatum, auditóque Trausnitium vocari, ùt erecti erat animi, & vel inter calamitates hilaris ingenij: benè habet, respondisse, in aptum me locum compingitis, viribus me meis nimiùm fisum, admoneor. Huc sanè me deducendum nunquam opinabar. Capti cum eò sunt mille centum sexaginta, aut nobilitatis aut bellicæ dignitatis gradu insignes, è Styriæ Austriæque proceribus plerique. Præsules, utse tempestivè subducerent ab Friderico admoniti Mulldorffium evaserunt. Præter pedites, equites quinquies mille desiderati, equorum potiùs tantam cladem fuisse quidam autumant. Locus pugnæ inter Mulldorffium, & Dornspergam prope vicum Ampfingenam situs, dein Vehwisen appellatus. Henricum Fratrem sive ab se, quod Balbinus contendit, captum, sive ab aliis traditum Joannes Rex Burgleisium Bohemiæ castrum deportari curârat.

In custodiam abducitur in Palatinatum.

Henricus in Bohemiam.

Patratâ victoriâ captivorum causa agitari cœpta: advolabant passim ab amicis, principibus, agnatísque Legati libertatem stipulaturi, æs alij, conditiones alij, sponsorésque fidei se offerunt. Proceres quidem haud gravatim abire permissi, si modò redituros dictata die jurâssent. Salisburgensi suorum libertas toto ferè ærario constitit, sed Austriaci se hac præsulis humanitate vinci non passi damna pensârunt, Altenhoffio, Lessendalio, Lavanto, Novoforo eò usque concessis, dum certâ pecuniæ summâ redimerentur, quæ demum à Friderico Pacifico repræsentata. A Bohemo Reges Galliæ, & Hungariæ, his conditionibus libertatem post annuam custodiam Henrico impetrârunt: literas omnes, sive quibus unquam Bohemi regnum Austriacis addixissent, sive quas Bohemorum proprias in graphiario asservatas tenerent, redderent. Znoyma urbs Moraviæ dotalitio jure hucusque retenta ad veteres dominos rediret; decem librarum millia Austriaci reciperent; Laham verò, & Weitram cum vicina regione pignori Bohemo darent. His, si fratres omnes subscripserint, Henricus liber redito. Triennio carcere detentum fuisse, ait Balbinus. Quatuor, qui supererant vitæ, annis tenui semper valetudine utebatur. Vitium traxisse è carceribus persuasum Fuggero, in quibus infra dignitatem habitum etiam vinculis onerârit Joannes parùm generosè veteri iræ indulgens: crimini

Salisburgensi damna ab Austriacis pensantur.

Henricus certis conditionibus dimittitur.

mini dabatur, quòd ante paucos annos quidam procerum à Joanne offensi Henricum in regnum destinârint, quasi verò sinè noxa esse non posset, qui eodem fastigio dignus judicabatur. Nulla prole susceptâ diem extremum Muræponti clausit tertiâ Februarij, Anno MCCCXXVII. cadaver Græcij primùm apud Minores conditum, resolutum dein in cineres Königsfeldam transferri Fridericus curavit. Eidem tumulo anno XXXIII. conjux Elisabetha Virnbergica illata.

Fridericus detinetur.

Ludovicus lupum, auribus, quod ajunt, tenere se ratus, adduci non potuit, ut Fridericum dimitteret. Nihil contrà intentatum Leopoldus reliquit, quo captivum liberaret, ad prodigium usque fratris solicitus; similia certò fraterni amoris exempla pauca in omni historia legas. Non multis ille leucis, die commissi prælij à loco pugnæ cum mille quingentis aberat, nuncios à fratre, ùt conventum erat, opperiens, quibus à Ludovico interceptis, cùm sub vesperum pugnatum esse, fratrémque captum cognovisset, vix sibi à lacrymis temperare, se unum reum peragere, qui non adfuerit, inutiles moras traxerit; sedítque adeò altè is dolor animo, ut quoad viveret, nullum admisisse deinceps solatium, nullum lætitiæ signum edidisse feratur. Eâ tristitiâ, ùt magnæ mentes consueverunt, ad exacuendam iram usus, incommodandi Ludovico nullum finem faciebat; nè continuò ab infelici pugna in eum duceret, suorum paucitas, & dubia quorundam fides absterrebat. Igitur reducto Basileam milite Ludovicum primùm precibus, muneribus, pecuniis, amplissimis conditionibus tentare aggreditur, Regem Galliæ, Pontificem aliósque principes deprecatores adhibet. Imperij insignia, etsi diu reluctatus, quòd nihilo secius detinendum fratrem diceret, petenti Ludovico transmittit, nè aliquid fratris libertate pretiosius ducere videretur. Acheronta etiam movisse, fama, aut suspicio est; narrant enim passim excitum à venefico magicis carminibus Dæmonem se Leopoldo stitisse, spopondisséque liberatum ab se iri fratrem, si illi modò libuerit; at eum conatum irritum cecidisse. Nam cùm jubente Duce in arcem Trausnizensem personatus genius noctu delatus, rogatúsque à captivo, quis esset? respondisset, nè de suo nomine anxius, aut sub pallium suum se abderet, aut equo extra fores præparato insideret; Fridericus, quod erat, suspicatus, fronte Crucis signo munita detestabilem vindicem abegit; singulis dein castri fenestris ferreas Cruces appositas narrat Arenpeckius adversùs præstigias amuletum futuras.

Leopoldi inde in Bavarum ira.

Fratrem liberare multis modis tentat.

Magus operam suam confert.

Ergo artibus, precibúsque consumptis, spem denique omnem Leopoldus in armis collocat, si minùs liberando fratri

idoneis, aptis certè leniendo dolori inſtrumentis. Ubique Ludovici militi, agris, urbibus infeſtus imminet, quidquid ille, ſive ſecuri, nî deſiſteret, ſubjiciendum FRIDERICUM, ſive æterno carcere macerandum, ſive provinciis omnibus exuendum jactaret. Tam ſurdâ aure nunc minas, quàm ſuas preces nuper Ludovicus accipit. Nulli ferè urbi poſt infelicem pugnam defeciſſe à FRIDERICO impunè fuit, Columbaria, Seleſtadium, Roſshemium, Hagenoa, Ehenheimium, aliáque vicina oppida mutatæ fidei rea, ut hoſtem nunquam non præ foribus haberent, equitum aliquot turmas primùm Enſishemio, dein Selzio injicit, unde quotidianis ferè incurſionibus agros vaſtarent. Cùm Ludovicus tot damnis emotus Selzium cinxiſſet, ipſe trajecto incredibili celeritate Rheno diſcedere compellit, iterúmque per agros effuſus, ceu ſupremam populationi manum imponit. Sed momentum multò maximum Leopoldi partibus attulit manifeſta Joannis Pontificis à Ludovico abalienatio. Gliſcens dudum diſcordia anno demum XXIII. in publicum erupit. Vitio Ludovico datum, quòd Gibellinam factionem auxiliis fulciret, Galeatium Vicecomitem Mediolanenſem Ducem dederit, jus in Eccleſias arrogâret, imperium invito Pontifice uſurpâret. Hæc Avenione coram Papa diluere juſſus, cùm venire detrectaret, diris devotus ſolio decedere jubetur; Leopoldo ejus ſententiæ tuendæ provincia à Papa demandata. Hoc ille authoramento animoſior, multò quàm antè nunc in perdendum Ludovicum ardentiùs incumbit. Eo curante paſſim proſcriptionis tabulæ pependere, diræ per præcones vulgatæ, effectúmque, ut multæ per Sueviam, & Alſatiam urbes devotum Cæſarem averſatæ ad FRIDERICUM deficerent. De transferendo in Galliam imperio cum Carolo Rege ipſe in Campania egerat. Inter hæc Ludovici amicorúmque ditionem multiplici agmine pervagatus, omnem latè regionem cædibus, incendiis, rapinis hauſit, civibus nulla die ſecuris. Prælio decernere avidus Ludovico Burgoviam Anno XXIV. obſidenti diem dicit; ſed antequam cum Alberto fratre accederet, Ludovicus deſerta obſidione poſt perditos quatuor menſium labores receſſit.

Leopoldus Bavarum armis aggreditur.

Joannes Pontifex à Ludovico alienatur.

Leopoldū in eum concitat.

Interceſſiſſe pugnæ binos Henricos, Tyrolenſem alterum, alterum Goritienſem, & jam tum de libertate FRIDERICI agitatum fuiſſe alij putant. Sed fratre etiam dimiſſo nihilo Ludovico Leopoldus æquior iram & arma non niſi cum vita poſuit, novæ expeditionis molitioni immortuus, in quam decimam opum partem è fundis Eccleſiaſticorum cogere, tabulis propediem expediendis, Papa conceſſerat: nimia laborum contentione ſibi mortem accerſiſſe nemini dubium erat. Multis amicorum precibus, ut ceſſationem

nem quampiam admitteret, ægerrimè inductus Argentinam tantisper Anno MCCCXXVI. secessit. Hìc vehementi primùm febri tentatus, in furorem demum prolapsus in Ochsenſteinianis ædibus XXVIII. Februarij finiit, postquam trigesimum nonum annum vivendo attigisset. Mortem ejus solus Ludovicus sinè dolore audiit. Ingemuit ad ejus nuncium Pontifex, principem multa pietatis, & fortitudinis laude conspicuum obiisse testatus. Sanè, utì proceritate corporis magnitudinem animi expressit, ità gestis splendidum nomen etiam illustravit, Gloria militum publica famæ acclamatione nuncupatus. Moriens Isabellam conjugem cum geminis filiabus, Catharina, & Agnete superstitem reliquit; hæc anno trigesimo octavo nupta Boleslao Schweidnizij, & Jauri in Silesia Duci anno nonagesimo secundo ejus seculi obiit: illa Domino Coussinio collocata, matrem anno trigesimo quarto defunctam anno quadragesimo nono secuta est.

Leopoldus moritur.

Ejus Liberi.

Ludovicus, quis demum rerum exitus futurus esset, serìò secum reputare occœpit, procerum alios cum Pontifice dissidium, alios spretæ toties pro FRIDERICO preces alienârant. Leopoldus in exitium Bavari se pro fratre devoverat, & juramenti fidem quotidie implebat: si captivum ultrò detineret, cum Europa omni certandum videbat. Papa fulmen jam vibrârat, Carolus alter Franciæ, alter Hungariæ, Jacobus captivi socer Arragoniæ, RobertusSiciliæ, Reges à Leopoldo concitati, aut Austriacum custodiâ levaret, aut se bello accingeret, disertè denunciabant. Itáque sensim tot malis pertinacia frangi, mitiores ille vultus induere, pro captivo supplices sinè stomacho, & benignè audire; nutantem præ ceteris impulere Conradus ex Eremitarum D. Augustini familia Monacensis, & Godefridus Cartusiæ Prior Maurbacensis. Hic FRIDERICO, Ludovico ille à confessionibus sacris: arctam cum Austriacis necessitudinem, eorum potentiam, immane ex implacabili ira dedecus identidem suggerebant, donec Ulmæ demum concordiam tentari per Legatos pateretur. Quin moræ impatiens Trausnizium ipse Anno vigesimo quinto advolat cum FRIDERICO transacturus. Fidem uterque præsentibus, quos diximus, religiosis viris coram Eucharistico numine obstrinxere, diviniſſimo dein pane diviso sua cuique particula à Conrado præbita per medium, pactis per hos ritus firmatam amicitiam mutuis osculis & amplexu instaurârunt.

Ludovicus Fridericum dimittit.

In quas porrò conditiones depactum sit, scriptoribus non convenit, aliis rerum ignoratione suspensis, aliis partium studio in transversum haud dubiè abreptis. Cardo controversiæ in eo vertitur, num se imperio abdicârit FRIDERICUS? Veriora à recentioribus adferri putamus. Rem ùt ex Annalibus comperimus, da-

Quibus conditionibus?

An Fridericus se Imperio abdicârit?

damus: Vitus Arenpeckius ait, & ex eo Aventinus, uterque chronico Andreæ Presbyteri Ratisbonenſis deceptus: Ludovicum, quo gratiam à Pontifice iniret, nulla æris fundorúmve pactione libertatem FRIDERICO conceſſiſſe hac ſolùm lege, ut imperij inſignia redderet, Cæſareos titulos ejuraret, Bavaro cuicunque prenſanti Imperium nè ſe Auſtriacorum ullus rivalem objiceret. FRIDERICUM verò ſubinde Phthiriaſi correptum meritas violati Sacramenti pœnas dediſſe. At ſui immemor Arenpeckius alterâ continuò paginâ affirmat, FRIDERICUM nulla lege oneratum è cuſtodia dimiſſum, nullas ab eo abdicationis tabulas petitas, nihil paci adversum commiſiſſe, quamvis Regem Romanorum ſe ſcripſerit, Imperatorio tamen titulo abſtinuiſſe. Ad ſuperiora pacta addit Adelzreitterus: jurâſſe FRIDERICUM, ſi pari numero aliquando Electorum ſuffragia in Auſtriacum, Bavarúmque exire contingeret, ab illo ſponte ceſſuro jus omne in Bavarum transferendum. Aſſerunt præterea has tabulas FRIDERICO Pacifico traditas à Ludovico Barbato opis adversùs Ludovicum Gibboſum rebellem filium indigo. At nihil de hac lege ejus ævi ſcriptores, nihil unquam Auſtriaci meminere. Non negligi certè à Georgio Herwarto in ſua pro Ludovico Apologia oportuit, cui depromptas ex Archivo Bavarico tabulas inſeruit. Contendit is quidem petitum à FRIDERICO fuiſſe: Imperio penitus ut abſtineret, literarum omne præſidium, quo tueri fortaſſe in ſpecie jus ſuum poſſet, bona fide traderet. An poſtulatis ſubſcripſerit, ex illo non elicias. Hagenius diviſam inter utrumque poteſtatem hac ratione opinatur, ut per Germaniam Regis titulum FRIDERICUS, per Italiam etiam alter uſurparet; ſed à Pontifice pacta improbante ſolutum religione Auſtriacum, Brietius ſubjungit.

Variæ ſcriptorũ hac ſuper re opiniones.

Non abdicâſſe probabilius.

Horum opinionem penitus jugulant bina diplomata, alterum Monachij Anno MCCCXXV. pridie Naſcentis Virginis, alterum ſequente anno Ulmæ editum: utrumque à Guilielmo Putſchio, qui Ferdinando I. à Secretis erat, Oeniponti repertum, in Annalibus Auſtriæ Cuſpinianus primùm vulgavit. Anno ſubinde MDCLXXIII. Lambecius ex autographo Auguſti tabularij Viennenſis deſcriptum denuo in appendice ad ſacri itineris Cellenſis diarium adjecit. In primo legere eſt, pari honore, pari poteſtate ambos deinceps Imperij rempublicam procuraturos. Signo literis publicis imprimendo utriusque nomen inſculperetur; ſed illud, quod quisque apud ſe ſervaret, alterius nomen primo loco referret; ſi literis ſubſcriberent, alternis is ritus obſervetur. Beneficiarias poſſeſſiones absque utriusque conſilio largiri nulli fas eſſet; ſi quis minora ſua authoritate donârit, ratum alter haberet,

beret; quem in Italiam abire contigerit, in consortem Imperij dominationem Germaniæ transferat; in Latio vicissim alterius nomine imperaturus; hostes omnes communes ambobus sunto. Fidem neutri, aut ambobus quivis juret. Hæc ferè literarum summa. Integras etiam Fuggerus exhibet, quibus subscripti Hennebergicus, Norimbergicus, Gundelfingius, Liechtenbergius, Magister Ulricus, Pilichdorffius, Diessenhoffius, Trausnitius, Conradus demum & Godefridus Monachi.

Ulmensibus literis FRIDERICUM disertè Regem Romanorum Ludovicus appellat. His suffragari annales Fürstenfeldenses, & Aulæ Regiæ Adelzreitterus fatetur. Tria diplomata in Maurbacensis Carthusiæ historia apud Pezium profert Brennerus Prior: unum Caroli IV. Imperatoris, quo immunitates à FRIDERICO, Leopoldo, Alberto, Henrico, Ottone concessas probat; bina à FRIDERICO Anno MCCCXXVII. edita: alterum Viennæ XII. Kalendas Julij, Oeniponti alterum V. Kalend. Januarij, in illo Carolus, in his se FRIDERICUS Romanorum Regem nuncupat. Sanè, si invito Ludovico, si adversùs juratam pacem hos sibi titulos arrogârit, laturum fuisse Bavarum, nemini persuaseris, qui nôrit, ùt tener sit sensus Principum, ubi quis de honore eorum quidquam delibârit. At nullum unquam deinceps discordiæ vestigium; pacem sanctissimè cultam à FRIDERICO, etsi à religione soluto; invitatum sæpius à Joanne Pontifice coronam pollicito, concordiæ studio proficisci nunquam voluisse, passim legas. Fuit quoque Bavari ea de FRIDERICO existimatio, ut terras suas ejus tutelæ committere non dubitârit, dum filio, Brandeburgi obsesso, auxilio abiret. Veniam tamen error illorum meretur, quòd ea pacificatione, ùt credibile, clam omnibus Trausnitij pertractata, conditiones latuerint, donec multo pòst tempore literæ è tabularij tenebris proferrentur; abdicati imperij suspicionem & illud fortasse multis ingenerârit, quòd FRIDERICUS sponte omissis imperij curis quietem splendidis negotiis præhabuerit. Nihil etenim memoriâ dignum posthac gessisse in annalibus legitur, sive quòd Proceres quidem Ludovico clàm addicti animum ejus à Reipublicæ administratione avocârint, sive quòd diuturni carceris tædium vires enervârit. Sub Paschæ tempus Vien- *Fridericus redit è captivitate Viennam.*
nam FRIDERICUS advenit, reducem Cives, Fratres, & præpri-
mis uxor non aliter, ac ab inferis in novam vitam assertum accepere. Summi, medij, infimi ad amantissimum principem conspiciendum propiùs, suúmque gaudium oculis hauriendum accurrerant, & intendebat amorem miseratio; siquidem, quem triennio abhinc vivido, plenóque succi corpore in Bavariam tendentem viderant, nunc vultu pallido, & in quo Pulchri nomen nulla parte deprehendas, exangui, squallido, & extenuato cor-

pusculo vix agnoscebant. Capilli, barbáque trium annorum incrementis sylvescens horrorem intuentibus incusserat. Ad iram in Bavarum multos ea species commôrat; Leopoldum certè è primo aspectu actum in rabiem, quidquid dein furoris in Bavarum effuderat, è Fratris vultu collegisse ferunt.

Postquam carceris sui ærumnas satìs populo è vultu legendas ostendisset, capillum, barbámque integro triennio intonsam posuit, hanc Carolo Hungariæ Regi transmittens. Curato utcunque corpore ad provincias suas postliminio revisendas abiit. Judenburgi nuncium de Fratris Leopoldi obitu, quem altero, ùt narravimus, anno secutus Henricus, accepisse testatur Leobiensis. Dolorem FRIDERICI, & Alberti è gemini fratris obitu conceptum non mediocriter Otto superstes exauxit. Patrimonium proportione in singulos dividi, sibi, quantum alendæ conjugi, familiæque sufficeret, pleno jure assignari postulat: cùm provinciarum partitionem lege ab parente vetitam fratres obtenderent, Bohemos, & Ungaros in arma solicitat, (sponte hac opportunitate emungendi Austriacos accurrisse Bohemum & fratres ad concordiam adegisse refert Balbinus) Carolus Rex Ungariæ Ottonis causam complexus, postquam Legati operam restituendæ paci frustra impendissent, immisso milite (octoginta millia Balbinus numerat) anno vigesimo octavo, oppida pleraque Moraviæ vicina præsente hortantéque Ottone occupat. Mense Julio alterum exercitum numero haud multò inferiorem Joannes Rex Bohemiæ ipse adduxit. Lacerata gemino hoste Austria ambitiosi Ottonis vestigia diu sensit; regio omni malorum genere inundata; Feldspurgum, Rattenspurgum, Ulrickirchium, Eggenburgum, Marcheggum expugnatum annales memorant. Drasendorffium post sex hebdomadarum obsidionem deditione acceptum: Weidhoffium incendio absumptum; Haimburgum castrum cum oppido ab Ottone retentum; universam denique Austriam trans Danubium, à Bohemis, digresso jam Ungaro, adhuc sævientibus infestam. Malo finem FRIDERICI mansuetudo eodem anno attulit; reducto in viam fratre brevì post alterum cum Joanne Rege colloquium pax constitit. Primo congressu parùm aberat, quin orta super ceremoniis bile negotium omne evanesceret; Joanni Regi obviam progresso FRIDERICUS, nec sat celeriter, & minùs ac oportuisset, remoto pileo caput aperuisse videbatur. Ille contemptûs, qualem rebatur, impatiens, renunciari jubet, se se Regem, & Imperatoris filium, cur FRIDERICO in quopiam concederet, non videre, simul colloquium abrupturum minatur. Placatus denuo rediit, ab Ottone pactorum nempe conscio increpitus, quòd contrà, quàm pollicitus esset, multa sibi cedi postularet, pleraque nuper ablata restituit. De-

Otto Frater partem hæreditatis repetit.

Austriam diripit cum Ungaris & Bohemis.

Pax instauratur.

Defluente demum indies magìs, magísque valetudine penitus ſe aulæ, & negotiis publicis FRIDERICUS ſubduxit. Commoratus aliquo tempore in Caſtro Guettenſteinio An. MCCCXXX. Idibus Januarij naturæ conceſſit. De morbi genere non omnibus eadem opinio, paralyſi oppreſſum quidam autumant: alij venenum, alij Philtrum bibiſſe, porrectum à nobili fœmina (an quòd ipſa FRIDERICUM deperiret, an ut marito, quem diligi nôrat, principis gratiam affirmaret? incertum; utrumque reperio) & putreſcente ſenſim corpore, vermibúsque ſcatere cœpto, dyſſenteria obiiſſe. Omnibus, quæ Principem ornare poſſunt, virtutibus eminuiſſe, conſtans eſt ſcriptorum aſſertio, ut adeò à ſpecie tamen corporis, etſi animi prærogativæ non deeſſent, cognomentum aſſecutus eſſe videatur, quòd, unde potiùs inter tot ornamenta nomen fama duceret, non ſatìs expediret. Quantas belli à fortitudine, & peritia laudes collegerit, ſparſim meminimus. Nec minùs cum adversa fortuna, quàm cum hoſte compoſitus fortem ſe præbuit; in ejusdem virtutis arenam triennalem carcerem convertit. Sortem hanc ſuam, & Conſtantiam ſymbolo ſibi familiari expreſſit: partem id inferiorem ſtatuæ Herculis dextero crure confracto referebat, inſcriptis in baſim his vocibus: adhuc ſtat. Ejus invicti animi robur ſimul admirabatur, ſimul indignis adeò modis à fortuna habitum Maximilianus Cæſar dolebat; ut, quemadmodum Cuſpinianus narrat, nunquam ipſe mentionem facere, aut fieri ſinè lacrymis audiret. Sed chorum virtutum manſuetudo ducere viſa, nullam vis animi impenetrabilis, & perpetuus bellorum uſus illi duritiem aſperſit; etſi tenerrimo amore in Patrem ferretur, ipſe tamen percuſſorum ſupplicia, quantum atrocitas ſceleris admittebat, clementiâ temperabat; Leopoldum ſeveriùs animadvertentem identidem admonens, nè manſuetudini nihil tribueret, néve, quod parabat, pœnas de ſuſpectis duntaxat repeteret; nullum ab alloquio Principis mœſtum, ſupplicem nullum, non votorum damnatum, aut ſi repulſam tuliſſet, repulsâ ægrum abſceſiſſe; negatum nempe beneficium vultu ſemper negantis ſuaviſſimo penſatum referunt.

Friderici Mors, & Virtutes.

Fortitudo.

Clementia.

Pietatem rerúmque ſacrarum æſtimationem exemplo, maximísque impendiis mirificè promotum ibat. Ipſe Arenpechius, cæterà FRIDERICO parùm æquus, fateri cogitur poſt Bavaricos carceres pietatis ſtudio inſigniter deditum, multis locis divinum cultum auxiſſe. Ut in egenos, templa, religioſos cœtus effusè liberalis extiterit, certiſſimo argumento ejus ſupremæ tabulæ ſunt. Nihil illis religioſius, nec alias facilè dederis, quibus Deum ſæpius hæredem ſcriptum reperias; innumera ibidem ſacrorum

Pietas.

Liberalitas.

locorum nomina, immensam opum vim iis destinatam legas.

Bina cœnobia condit. Maurbaci splendidum copiosúmque cœnobium An. MCCCXIII. erexit, cui ipse Godefridum Seizensis Carthusiæ priorem præfici, transferríque procuravit. Alterum post libertatem obtentam voti reus Divi Augustini honoribus Viennæ prope aulam Anno MCCCXXVII. moliri cœpit, post novem annorum intervallum ab Ottone perfectum. Cistercienſibus primùm tradere destinârat, sed Conradi Augustiniani viri egregiè pij operâ potissimùm se custodiâ exiisse memor Divi Augustini Eremitis concessit. Immigravit primùm Conradus cum octodecim ejusdem ordinis viris, quos annuente Ludovico Bavaro secum adduxerat, iis paucos post dies alio è domicilio, quod extra muros ad S. Joannem in Werd incolebant, transgressi accessere. Monasterium porrò communibus Fratrum Friderici, Alberti, & Ottonis sumptibus stetisse diploma commonstrat, tribus eorundem sigillis munitum. Anno MDCXXX. excalceati locum obtinuere. Familiares fuisse Friderico sæpéque ex eo auditas has sententias: quod pudeat palàm, clàm nè facito. Morte beata nihil beatiùs. Summum hominis bonum bonus ex hac vita exitus. Fuggerus annotavit.

Ejus uxor. Conjugem habuit Elisabetham Jacobi Arragoniæ Regis filiam, religionum studio, fidei & amoris in maritum planè admirabili. Toto, quo maritus detinebatur tempore, omne solatij genus respuere, inediâ, vigiliis corpus emaciare, sexcentis pœnarum formis libertatem mariti à DEO postulare, ad sacras ædes etiàm longiùs positas peregrina invisere, perdiu & pernox sacris exercitiis vacare, finem plorandi nullum facere, ut vitiatis continente lachrymarum imbre oculis gravissimum cæcitatis periculum adierit. Hinc adeò lector intelligat, citra impudentem calumniam pientissimæ fœminæ impingi non posse conductum ab Elisabetha eliberando marito malum genium, quod vulgi rumore deceptus Andreas Ratisbonensis Presbyter, & ex eo alij scripsere. Secuta est eodem anno adhuc mortuum (priore anno mortuam arbitratur Fuggerus) XIII. Kalendas Augusti extincta. Ejus cadaver apud Minoritas prope Blancam Rudolphi III. uxorem conditum; at Friderici mariti Maurbaci tumulatum est, fratribus regio apparatu justa solventibus. Antequam cum Elisabetha in manus conveniret, sibi aliam Elisabetham Reinoldi, Geldriæ Comitis filiam desponderat, sed Patre Ludovici partes amplexo nuncium misit, quæ dein repudij dolore ægra Greffentalij in Monasterium se abdidit.

Liberi. Liberos tres ex uxore sustulit, marem unum, fœminas binas: Fridericum tenera etiamnum ætate mortuum, & Königsfeldæ

feldæ ſupultum. Annam dein, poſtremo loco Eliſabetham. Hæc Anno XXXIV. deſponſata Joanni Regi Bohemiæ inter ipſum nuptiarum apparatum obiit, pro thalamo tumulum Maurbaci nacta. Annam Viennæ D. Claræ Cœnobium, quod ipſa impenſo patrimonio extruxerat, cum ſexaginta duabus Virginibus Anno XXXIV. ingreſſam, eíque præfectam in eodem loco diem obiiſſe paſſim memorant. Conjuges illi ternos aſſignant. Primùm Regem quendam Poloniæ aut ejus filium, priusquam in torum convenirent, defunctum; alterum Ludovicum dictum Romanum, Ludovici Bavari filium. Tertium Joannem Comitem Goritienſem. At malè iſta cohærere ſubducta ritè temporum ratione Fuggerus exiſtimat in hunc ferè modum differens: ſi nuptiæ cum Ludovico, firmandæ inter patrem, & FRIDERICUM paci, Anno MCCCXXV. initæ, ſponſa vix tum nonum annum attigerat, ſponſus lucem non viderat, ùt qui Romæ, unde nomen ſortitus, natus, quo tamen Pater cum conjuge non niſi anno XXVIII. abierat; at ſi anno trigeſimo quarto in religioſæ vitæ inſtitutum ſe dedit, non cum Caſimiro Ladislai Loctici Poloniæ Regis filio Anno MCCCLXX. defuncto, non cum Goritienſi anno octogeſimo adhucdum vivo juncta fuiſſe potuit. Loctici anno trigeſimo tertio è vivis ſublati ſponſam eſſe potuiſſe conſentit. Alterius enim in Polonia Regis eo ævo non meminere annales.

HISTORIÆ DUCUM STYRIÆ

PARS SECUNDA.


ALBERTUS II.
Sapiens
Felix in terris Sapiens, et in æthere felix. Prudent.
Christ. Dietell sculpsit Gracy.



IHS

ALBERTUS II.

Dictus Sapiens,

Ab aliis etiam Contractus.

DUX STYRIÆ VIII.

EFriderico ab eximiæ pulchritudinis ſpecie nomen ſortito Frater ALBERTUS ob vitium corporis dictus contractus ſucceſſit. Vix à Fratris obitu Provinciarum regimen adiit, malum iſthoc, & tantùm non mortem inter ipſa ferè inaugurationis ſolennia, cum venenato obſonio VIII. Kalendas Apriles comedit. Medicorum arte peſtis è viſceribus in membra propulſa reliquis vitæ annis pedum manuúmque uſum ademit. Eliſabetham Ottonis uxorem cum Duce cœnatam eadem die vis atrociſſimi toxici abſumpſit; à fœmina cibum fuiſſe imbutum, non item quibus veneficij architectis narrat Haſelbachius. Reſectis quidem nuper tum ab ALBERTO, tum à Friderico ſeditionis capitibus, nondum tandem novatorum rabiem extinctam credibile, cœptæ telæ fila pertexere laborantium; alij fors etiam veteribus acceſſerint, quos juſta reorum ſupplicia non tam à ſcelere abſterruerant, quàm neceſſitudo cum reis, Auſtriacorum principum odio inflammârat. Hæc quoniam in ſuis commentariis, unde cetera ferè de ALBERTO petemus, hoc anno accidiſſe referat Antonius Steyererus, cujus opinioni tantò libentiùs ſubſcribimus, quantò majorem ſolertis ſagacíſque ſcriptoris laudem ab erudito orbe jam tulit, Fides iis conſtare non poteſt, quæ ſuprà ex Fuggero & Rhoo inſinuavimus: ALBERTUM ſcilicet ob pedum vitium bello Bavarico cum Fratre Leopoldo non adfuiſſe. Alia proinde cauſa, fors regendarum Provinciarum cura, domi eum continuerit; quanquam in exercitu Leopoldi illum fuiſſe Steyererus autumet,

Contractus dictus

Quòd ob Venenum ſumptum manibus pedibusq; captus.

utì & Ottonem, tum nondum matrimonio cum Elisabetha junctum asserit. Sed conditionem corporis longè miserrimam admirabilis vigor mentis, & inusitata animi decora non æquârunt modò, sed superârunt, unde jure multò majore cognomentum Sapientis, principibus glorioſissimum confecit. Nihil è pertinaci ejus morbo damni respublica unquam accepit, nihil compendij hostes sperare audebant, in ALBERTO æquè experti, quo tumultuanti militi insultabat Severus: caput regnare, non pedes.

Dictus & Sapiens.

Ejus ortus. Natus Anno MCCLXXXXVIII. mense Decembri inter fratres ordine quidem quartus, sed inter eos, qui patre jam Cæsare in lucem editi primus è numerosa ALBERTI Primi sobole unus ipse gentem Austriacam propagavit secuturorum tot Cæsarum Parens; alterum proinde Historiæ initium non immeritò ab eo ducendum putamus. Sed præterquam quod hæredes dederit, domum fœderibus, amicitiis insigniter stabilitam, patrimonium multis partibus auctum, provincias sapientiâ suâ, optimè constitutas hæredibus reliquit. Carinthia morte ultimi Ducis Henrici obvenit, quod dein dicturi sumus. Ferretanum comitatum dotis nomine uxor Joanna attulit. Patrem ea habuit Ulricum Ferretanum Comitem, Matrem Joannam Reginaldi Montis Bellicardi filiam. Defuncto Anno MCCCXXIV. Idibus Martij Ulrico, tertia pòst die nullâ pompâ ALBERTUS Matrimonium cum Joanna iniit, solennibus ceremoniis in sequentem Majum, dilatis. Verebatur quippe, nè Gerardus Basileensis Præsul, cujus beneficium comitatus erat, promissi pœnitens, matrimonio obturbaret. Joannæ soror Ursula acceptis bis mille argenti semissibus se sponte, ùt pater jussit, abdicârat. Defuncto binis pòst annis Leopoldo Fratre ejus Provincias regendas obtinuit; secuto mox ab obitu mense Alsatiæ, & Brisgoviæ; hinc in Ergoviam profectus indicto Badenæ conventu, Helveticos, qui suæ ditionis, ordines, mense Octobri Sacramento adegit. Hoc velut dominandi tyrocinio eruditus ad vastam jam tum Austriacarum Provinciarum rempublicam anno trigesimo accessit, initiis quidem, ùt diximus, non admodum lætis, sed quibus ipse virtute sua vim ominis ademit.

Parentes.

Ferretanũ comitatum seu Pfyrt obtinet.

Otto Frater Columbariam obsidet. Interea dum ALBERTUS domi cum veneno luctatur, Otto Frater in Ludovicum arma expediit. Causam belli non reperio. E tribus unam fuisse vero simillimum: vel quòd fratris nuper captivi calamitas adhuc menti obversaretur, vel quòd recèns Carinthiam Bohemo Ludovicus addixerit, vel quòd Joannes Pontifex Austriacos in Cæsarem minùs obsequentem concitârit. Ut brevì is turbo conquiesceret, facilitas Cæsaris obtinuit, qui amicitiam Austriacorum eo rerum articulo necessariam non minùs,

ac

ac utilem prospiciebat. Cùm Columbariam verberaret Otto, urbi auxilium laturus Bavarus accurrit, copiísque multùm se inferiorem conspicatus, ultro, si obsidione abiret, trigesies mille argenti semisses numeraturum pollicetur. Nec Otto abnuebat, affluente indies in castra Bavarica milite territus, nisi Ludovici fidem socij in suspicionem adduxissent; nihilo tamen secius ea subindè, adnitente Joanne Bohemiæ Rege, coaluit. Is fortè, nescio unde? (nam more erratici syderis eo anno Franconiam, Rhenum, totámque Alemanniam pervagatum Balbinus: in Lithuaniam à Cæsare missum, indéque reducem affirmat Fuggerus) in castra delatus, his conditionibus litem diremit: Otto militem in stativa abduceret; Cæsar vigesies mille argenti semisses repræsentet; aut Tigurum, Schaffhusium, Rhinfeldam, & S. Galli urbes pignori opponat. Ære deficiente reverà oppositas, & cum Tigurini se uni Imperio obnoxios libertatem suam lædi his pactis quererentur, substitutum fuisse Brisacum Fuggerus ait; pro S. Galli Fano Neoburgum nominat. Bohemo in locatæ operæ pretium Kayserspergа, aliáque minora oppida cessa sunt. Fœdus cum Joanne Austriaci in eadem pactione icêre. Summa ferè capita hæc erant: quandocunque Regem Bohemiæ prensare imperium contingeret, ambientem sua ope Austriaci fulcirent: idem officium Rex exhiberet, si eo cessante Austriaci coronam peterent; & cum haud dubiè graviùs eo tempore è veneno laboraret Albertus, adjectum & istud, ut extinctis ambobus fratribus superstes Joannes Provinciarum, & liberorum tutelam susciperet, eandem operam impensuris, si ipsum è vivis citiùs abire eveniret.

Paciscitur cum Cæsare Ludovico.

Fœdus init cum Joanne Bohemo.

Et quod rarum inter eos, qui bis amici, constitit deinceps inita nunc concordia, utilissima Ludovico futura, nisi sua fata principem, ceterà non illaudatum, æternis turbis destinâssent. Ambo siquidem fratres ad conciliandum Ludovico Pontificem non multò pòst curam omnem adjecere, missóque Anno XXXII. suo, & aliorum Germaniæ principum nomine Legato Ludovicum reddi Ecclesiæ postulant: propria Austriacis laude, qui honestiora potiùs regnantibus, quàm usitatiora secuti, non tam ad mensuram utilitatis suæ, quàm amicorum & fidei colere amicitiam consueverunt. Sed jam annosa ira precibus aures præstruxerat. Legati non sinè stomacho rejecti adeò nihil impetrârunt, ut etiam ferali sententia, si Rebdorffio fides, ambo fratres notarentur: velut tacita collusione adversùs Ecclesiam machinari quidpiam viderentur, qui operam suam conciliando hosti collocâssent. Subinde sive de optima Alberti fide edocuerint alij, sivè ipsum adverterit, quantùm offenso Austriaco rem

Albertus, Otto frustra Pontificem conciliare Ludovico conantur.

Ecclesiæ afflixerit, Patavienſi Epiſcopo, itidem Alberto, conciliatoris munus demandat: nunc quoque amici memor ALBERTUS paci ſe volentem, lubentémque ſubſcripturum reponit, ſi receptus unà in gratiam Bavarus, Imperator à Romanorum Curia ſalutaretur: quò totus hic conatus evanuit; rejectis tamen mitiùs poſtulatis, neceſſariam repulſam Pontifex excusârat dictitans: neminem deinceps fore, qui non Eccleſiæ jura impunè violari poſſe exiſtimet, ſi à Papa decerni triumphum velut ob operam bene navatam Ludovico viderent, poſtquam Eccleſiam impugnâſſet. Impetravit tamen Patavienſis ab ALBERTO, & Ottone, ut Eberſtorffium, & cùm hic re infecta rediiſſet, Laurentium Epiſcopum Gurcenſem Oratores ad Papam mitterent; huic dein, muneri ſuo Anno XXXVI. immortuo, Conradum Abbatem Salmenſem ſubrogârunt. An is aliquod operæ pretium fecerit? incertum. Sub annum XXXVIII. jam placato Pontifice uſos fratres fuiſſe, ſcriptæ ultro citróque literæ indicium faciunt; quibus ingens adversùm Judæos concitata per Germaniam tempeſtas occaſionem dederat. Ea alibi cœpta, & Bavariam pervagata, multò atrociſſimè per Auſtriam & Carinthiam in ſacrilegam gentem deſæviit; obvios quosque promiſcuis cædibus furens populus ſternebat, raptabátque ad ſupplicia nullo adhucdum judicio damnatos. Furorem accenderant binæ Euchariſtici, ùt viſum erat, panis particulæ, quarum altera Pulckaviæ in Auſtria, Wolffspergæ in Carinthia altera, haud procul Judæi cujusdam ædibus, reperta ſanguinis notis imbuta apparebat, creditúmque continuò populo, ab Hebræis ferro violatam fuiſſe. Nihil auſus decernere ALBERTUS, quòd ad conflandam Judæis invidiam aliàs cujusdam dolo aſperſum ſanguine panem ſimilem, abjectúmque in viam ab Eccleſiaſtico quodam in Auſtria cognôrat. Benedictum XII. conſulit, quid agendum ille, ſentiendúmve cenſeret? Reſpondit multâ benevolentiâ Pontifex, laudato prolixè pietatis, & religionis ſtudio Patavienſis arbitrio eo in negotio ſtare jubet. Quid Pulckaviæ actum, tacent annales; Wolffspergæ ſceleris convicti ſeptuaginta ferè igne ſacrilegum facinus luerunt.

Cædes Judæorum ob violatam SS. Euchariſtiam.

Otto Moraviâ populatur.

Non eadem pacis cum Bohemo ſancitæ, ùt ejus cum Ludovico firmitas. Ruptam fuiſſe ab Auſtriacis Anno XXXI. ſtimulante Cæſare hunc in modum ſcribit Balbinus. Evocatus à Guelphis Joannes Rex in Italiam moverat, multis urbibus in fidem acceptis; Epiſcopos, quos Cæſar ejecerat, Eccleſiis ſuis reſtituit. Id porrò factum etſi Ludovico excusârat, viginti duos dies cum eo in Inſula Danubij prope Ratisbonam commoratus; iram tamen tum potiùs preſſit, quàm poſuit. Cæſar Norimber-

gæ

gæ Germaniæ principibus graviter queſtus erat, Italiam à Joanne novis turbis miſceri: in urbes iniquam poteſtatem uſurpari. Dein Ottoni multis præterea pollicitationibus allecto vicariam in Imperio poteſtatem ſpondebat, ſi Bohemum bello appeteret. Dedit id non invito fratre Otto amicitiæ Ludovici, collectóque immani exercitu ſub Auguſtum in Moraviam irrupit. Mille octingentos gravis armaturæ, ceterorum viginti millia: his quinquagies mille, quà Polonos, quà Ungaros adjunxiſſe ſe, idem Balbinus teſtatur. Sed tantis impendiis, velut præter egeſtatem Moraviæ aliud quæſitum non foret, nihil ultro actum. Cùm etenim Rex viginti aliquot ſuorum millia ex adverſa ripa objeciſſet, Otto Danubium tranſire & cunctatus, & veritus, dilabentibus ſenſim auxiliariis, retro ceſſit.

Rex Bohemiæ Auſtriam deprædatur.

Joannes campum vacuum ab hoſtibus nactus, mox Moraviæ damna in Auſtria ſarcire aggreditur; eodem impetu quadraginta ampliùs loca occupat, quæ dum negligentiùs cuſtodiuntur à Præfectis, in poteſtatem Auſtriacorum anno altero rediere, cæſo inſuper ex inſidiis Moravorum Bohemorúmque exercitu. Ea clades animos demum ad pacis conſilia flexit, atque, quò ea diuturnior eſſet, gemini matrimonij ſponſione confirmata eſt: Anna Joannis Regis filia ab Ottone, Eliſabetha è Friderico Auſtriaco genita à Joanne in conjuges aptatis, ſi modò agnatas ſponſas impedimenti lege Pontifex ſolviſſet. Otto quidem celebratis Anno XXXIV. nuptiis fidem exſolvit. At Joannes neglectâ Eliſabethâ Annam Borboniam Anno XXXVII. in torum adſcivit. Belli hujus Steyererus non meminit; fœderis tamen à Carolo Ungaro cum Friderico Anno XXVIII. percuſſi tabulas hoc anno immutatas refert, conventúmque, ut, cùm nuper adversùs omnes hoſtes, excepto Rege Bohemiæ, ſibi mutuò ſuppetias laturos jurâſſent, nunc & Bohemum quoque hoſtem uterque habiturus eſſet; quandocunque alterutrum opem flagitare contingeret. Sed, ùt fœderibus ferè accidit non ultrà eſſe ſanctis, niſi donec utilibus, & iſtud orta ſuper quibusdam caſtris lite diſſutum priùs concidit, antequam fructus exinde ad Auſtriacos rediret. Bello ſiquidem cum Bohemis anno trigeſimo ſexto ſuſcitato, ubi fœderis uſum maximum eſſe oportebat, Hungari in partes hoſtiles tranſiere. Ejus belli cauſam quoniam nobilis hæreditas, quæ per eos dies Auſtriacis acceſſit, occaſionem præbuit, ab origine repetere juvat.

Ejicitur.

Ottonis cum Anna Bohema ſponſalia & Pax.

Rex Bohemiæ prenſat Carinthiam.

Carinthiam Rudolphus Imperator Anno MCCCLXXXII. Mainhardo Tyrolenſium Comiti, aut ùt Steyererus adducto Rudolphi I. diplomate ait, eo anno filiis ſuis ALBERTO, & Rudolpho, his verò ſubinde cedentibus, anno primùm LXXXVI. be-

neficiario jure tradidit; Mainhardi filium Henricum cùm liberis maribus carere cerneret Joannes Bohemiæ Rex, pingui adeò patrimonio dudum inhiabat. Nec ſegniter in eam ſpem ingreſſus, jam Anno MCCCXIV. ab Henrico filiarum quampiam filio ſuo Joanni ſecundo loco genito ſponſam impetrârat. Eadem pacta adducto quinquenni ſponſo tribus poſt annis non inſtaurari modò curârat, ſed & tabulas à ſocero extorſerat, quibus jus omne in Tyrolim, & Carinthiam ſponſis à morte ſua tradebat. Cùm verò hæc pacta, nondum authoritate Cæſaris probata, infirma probè agnoſceret, novas è Ludovico ex Italia anno trigeſimo reduce literas VIII. Idus Februarij Meraniæ eblanditur; queis cernendæ hæreditatis paternæ poteſtas filiabus, nullo ſuperſtite Maſculo, fiebat.

Filio ſuo ſponſam obtinet Ducis filiam Maultaſchiam.

Hoc ille ſucceſſu animoſior Linningano, Dupontino, & Sarepontino comitatus ad ſocerum redit, negotio tam bellè affecto ſupremam manum impoſiturus. Et obtinuerat ab Henrico, quod petebat, cupiditate, ùt ſolet, in novas ſemper artes ingenioſa. Lex amborum conſenſu perfertur, ut quisquis ſuperſtes alteri viveret, in defuncti liberos, & Provincias, tutoris poteſtatem haberet. Jubentur mox exciti ex utraque Provincia proceres Margaritæ filiæ (à repandi oris vitio dictæ Maultaſchiæ) & ſponſo Joanni Sacramentum dicere. Cùm totum negotium jam in portum ſe ſubduxiſſe credebat, in altum denuo Auſtriacorum vigilantiâ ſurripitur.

Otto Auſtriacus à Cæſare Carinthiam petit.

Compoſita, quod ſuprà narravimus, ad Columbariam pace, vetera Auſtriæ jura & privilegia Hagenoæ VIII. Idus Auguſti Ludovicus literis ſuis munierat. Prona Cæſaris voluntate opportunè uſus Otto, beneficium iſthoc ſibi fratríque caro nimiùm vænire queritur, amplâ nimirum provinciâ ſpoliatis: ea lege Carinthiam à Patruis ceſſam, ab Avo traditam Mainhardo, ut ſi aliquando è liberis marem nullum ſupereſſe contingeret, Auſtriacæ ditioni, unde decerpta erat, redderetur; per leges Imperij alioquin fœminæ nulli licitum in ſimilem hæreditatem immigrare. Vera dici plùs ſatìs Cæſar intellexerat, ſed antiquare legem æquè ac tueri res paribus difficultatibus obſepta videbatur. Utrumque de ſe bene meritum agnoſcebat; Bohemum, quòd pacem nuper confecerit; Auſtriacum, quòd non recuſârit. Si petitioni Ottonis annueret, collatum recèns beneficium parùm decorè alteri adimebat, & turpiùs Regem exturbârat, quàm nuper non admiſiſſet. Repulsâ irritare Auſtriacos tutum eo tempore non erat, quo omni parte hoſtes à Papa ſolicitati ebulliebant. Mediam viam ingreſſus, qua nec ipſe ſe præcipitis conſilij, nec ſuâ ſententiâ Bohemos iniquæ poſſeſſionis damnâſſe

se videretur. Litis arbitros nominat Rudolphum Hohenbergicum, Berchtoldum Graispachium, Ulricum Pfannebergicum, Joannem Dieſſenhoffium, Henricum Gumpenbergicum, Joannem Waldenburgicum, Henricum Preiſingerum.

Poſtquam eum ſenatum Auſtriaci fratres ratum habuiſſent, exeunte Novembri Auguſtæ Vindelicorum conſedere. Æſtimato utriusque jure in hanc ſententiam VI. Kalendas Decembres itum eſt, ut jam nunc Cæſar confectis ritè tabulis fidem Auſtriacis obliget, conferendam ab ſe Carinthiam, ſi absque filio Henricus deceſſerit. Tyrolim præterea occupare fas eſſet demptis, quæ in Valle Oenana ſita & vicina Bavariæ, ſuæ ditioni adjicere Cæſar cupiebat: iis tamen recuperandis vires Cæſari ſociarent; adversùs Bohemum aliósque hoſtes mutuò ſibi auxilio eſſent; quantum Henrici filiabus relinqui oporteret à morte Patris, poteſtas judicandi penès Cæſarem eſſet; ſi is minùs æquè judicâſſe videretur, ij, qui nunc, ſententiam dicerent, à qua recedere nulli fas eſſet. Et acquievit pactis Ludovicus jam ob ſuſceptum in Italiam iter à Joanne alienior. Quieverat & pars utraque, ſuſpenſa nempe ad obitum Henrici lite, quem ubi anno XXXV. pridie IX. Apriles extinctum accepiſſent Auſtriaci, mox ſe ad hæreditatem adeundam accingunt, Conradum primùm Auffenſteinium, Carinthiæ, ùt ajunt, Mareſchallum nuper Prætorem ſibi adjungunt, perſuadéntque, ut primus cum hæredibus in poteſtatem fidémque Auſtriacorum ſe daret, id quod per Ottonem Leihtenſteinium affinem ſuum præſtitit literis ea ſuper re V. Kalendas Maij exaratis.

Et addicitur Auſtriacis.

Moritur Dux Carinthiæ Henricus.

Eodem ferè tempore in hanc urbem Ludovicum Cæſarem invitant; nec jam Carinthiam duntaxat, ſed & Tyrolim beneficiario jure ab Auguſto hoſpite VI. Nonas Maij obtinent. Atque nè inter verba duntaxat literásque is favor conſiſteret, unà pollicetur, ſe adversùs Bohemum, & generum ejus Henricum Bojorum Ducem haud dubiè arma ſumpturos præſtò futurum, nec ab ſe pacem his, aut Alpinis Carinthiævè proceribus, Ducum ingratis, unquam concedendam, eadem lege liberos ſuos ab ſe obſtringendos, donec Tyrolim, & Carinthiam Auſtriaci ſubjugâſſent; ſcriptísque triduo pòſt ad Provinciarum ordines literis de beneficio in Auſtriacos translato edocet, fidémque iisdem præſtari imperat. Haud aliis ferè conditionibus fœdus cum Stephano Bojo, Ludovico Brandeburgico, & Guilielmo fratribus ſancitum. Fridericus quoque Salisburgenſis centum equites Ducum ſtipendio alendos, caſtra ſua & munita per Carinthiam loca obtulit. Demum Eccleſiæ ſuæ Archidapiferos (uſitatum ſub id tempus Carinthiæ Ducibus munus erat) nominat. His celeriter & al-

Cæſar Lincij denuo Carinthiã, Tyrolim, Carniolíam Auſtriacis concedit.

& alto ſilentio transactis mox Udalricum Pfannebergicum Auſtriæ Mareſchallum, & Udalricum Waldſejum Styriæ Præfectum in Carinthiam, & Carnioliam expediunt. Carnioli nulla tergiverſatione ſe dedidere. Carinthi poſtulatis induciis ſe in poteſtate fore reſponderant, ſi interea temporis nemo alter principum ſibi provinciam vendicaret.

Nullum eorum, quæ nuper acta Lincij, indicium hactenus ad Joannem, & Margaritam ſponſos effluxerat, donec ſe ſe exhæredatos ingenti animorum conſternatione ſentirent, Carniolis partes Auſtriacorum amplexis, Carinthis nutantibus, & propediem defecturis. Mittuntur extemplo in omnem partem nuncij, alij Pariſios ad Regem Patrem, ad fratres alij evolant. Joannes Ciſtercienſium Abbas cœnobij de victoria dicti, Lincium abire ad Cæſarem Jubetur. Huc quoque non multò pòſt Carolus Marchio Moraviæ, ſponſi frater, & Henricus Bojariæ inferioris regulus acceſſere; ille imploratâ Cæſaris Ducúmque Clementiâ cauſam agebat, hi iniquam etiam ſententiam criminabantur; fruſtra omnes fuere.

Irrita Maultaſchiæ ad Cæſarem Legatio.

Joannes Rex eodem adhuc anno reversus, cùm verba afferentibus præter verba nihil reddi cerneret, per Saxoniæ Ducem & Olomucenſem Antiſtitem bellum Auſtriacis indicit. Fervebat utrinque integra hyems delectibus militum, ad ſtipendia ſcilicet, non item in pugnam conſcribendorum. Auſtriacos, Styros, Carinthos, Carniolos ſub ſigna Otto coëgerat, Ludovicus cum Bavaris ſe adventurum ſpopondit. Joanni Bohemi, Ungari, Misnenſes, Saxones, & Poloni militabant. Remittente tantiſper gelu numeroſis cohortibus in Auſtriam infuſi populationem latè circumferunt. His Otto quidem obviam cum ſuis iverat, ſed numero impar, & injecto ab amicis proditionis metu, mox clàm ipſe ſe ſubducens, universum exercitum in eandem fugæ ignominiam abripuit, indignato ſupra modum Alberto, eam gloriam hoſti conceſſam. Advectis poſt paucos dies Bavarorum auxiliariis copiis, iterum in hoſtem ambo fratres duxere. At nunc territus numero Bohemus campóque excedens, nupernum fugæ dedecus utcunque Ottoni penſavit. Inde bellum in Bavariam translatum, ſinè clade denuò finiendum. Hinc Cæſare & Auſtriacis, inde Rege Bohemo & Henrico Bavaro arma oſtentantibus. Tyrolim tribus exercitibus appetitam ad vallem Atheſinam à Maſtino Scaligero, ad Pyruſtanam à Goritienſi, ad Oenanam à Ludovico Cæſaris filio, virtus Caroli Marchionis Moraviæ, & Tyrolis pro Joanne fratre vix dum pubere præfecti, ſervavit. Non eadem fortuna Regis Patris fuit Kayſerspergâ, aliíſque, quæ in conciliatæ pacis præmium nuper abſtulit, per Alſa-

Bellum adversùs Regem Bohemiæ.

Tyrolim defendit Carolus Marchio Moraviæ.

tiam

tiam oppidis multati. Sub idem tempus Margaritam, vulgò Maultaſchiam, militem indutam barbarè in Carinthiam deſævîſſe Fuggerus cum aliis refert. At eam expeditionem à nullo veterum memoratam alieno adeò tempore, quo Tyrolis periclitabatur, ſuſceptam commentis anilibus accerſendam eruditè commonſtrat Steyererus.

Atque hìc belli turbo, quo plures Provincias involutum iri timebant, repentè ſubſidit: Joannes quippe in Pruſſos bellum parabat, Auſtriacorum verò cum Ludovico fœdus hiare cœperat, offenſo, quòd quædam intra vallem Onaſi oppida poſtulanti denegâſſent; colloquio primùm Lincij, dein Freyſtadij, poſtremùm Laureaci indicto. Adnitente potiſſimùm Joanna Alberti conjuge pacis conditiones VII. Idus Octobris in tabulas relatæ ſunt. His cautum, nè quis deinceps Auſtriacis ſuper Carinthiæ poſſeſſione litem intentaret. Auſtriacis imperatum, Znoymam, quam dotis uxoriæ nomine Otto tenebat, Bohemo redderent, eidem belli ſumptus perſolverent; Joanni & Margaritæ Tyrolis cum quibusdam ſuperioris Carinthiæ caſtris permiſſa. Bohemus curaturum ſe jurârat, ut intra paucos menſes ambo filij, nurus Margarita, & ejus ſoror pactis ſubſcriberent.

Pace Auſtriacis Carinthia, Maultaſchiæ Margaretæ Tyrolis cedit.

At non ea mens filiis Carolo, & præſertim Joanni fuit, ad quem damnum propiùs pertinebat. Damnata Patris facilitate nunquam deſtituros ſe jurant, donec Auſtriacorum manibus Carinthiam eripuiſſent. Néve morâ animorum ardor tepeſceret, continuò militem Carinthiam versùs rapiunt, feliciùs, ſi quàm vovere, tam vincere pronum fuiſſet. Ubi fauces montium, & anguſtiorum viarum capita, per quæ traducere militem neceſſe habebant, valido Goritienſium Comitum præſidio inſeſſa offendiſſent, re infecta abiere. Carolus Anno XLI. Viennam delatus, pacem ſe poſthac culturum, nec aſylum ullum præbiturum reis, quos ſuis ditionibus Auſtriaci expulerint, IX. Kalendas Januarij promiſerat. At an Joannes & Margarita ſponſionem Patris aliquando impleverint? incertum. Admonitus hoc ipſo anno ab Alberto Rex Joannes, ut tandem filium, nurúmque pro poteſtate pater adigeret, iterum ſponſionem Znoymæ VII. Kalend. Decembres renovavit, ea lege, ut nè Albertus decem aureorum millia, quâ ſummâ olim ſecum tranſegiſſet, ſolveret, donec ipſe abdicationis tabulas præſentâſſet. Nihil tamen à nuru impetratum fuiſſe credibile, quæ ſub idem ferè tempus maritum toro, & provinciâ ejecit.

Regis Joannis filij aditum in Carinthiam tentant.

Longum, quod diſcordias excepit, pacis otium, donec Tigurinæ turbæ bellum abrumperet, Albertus pangendis fœderi-

bus, conciliandis dissidentium amicitiis, excipiendis domi suæ hospitibus, variis itineribus absumpsit. Universa hìc pluribúsque annis gesta compendio referemus, unde lector uno velut aspectu videat, quantum in ALBERTO publicæ quietis studium, quanta ejus inter Europæ principes authoritas, de sapientia ejus existimatio, quanta jam tum Austriacæ domûs potentia, divitiæque extiterint, ùt cujus amicitia fœdúsque magni in omnem partem momenti Europæ Monarchis videbatur. Anno seculi XXXVII. in fœdus à Philippo Valesio Franciæ Rege invitatus, Galliæ hostes pro suis habiturum pridie Idus Januarij promisit, nec in pacem, nisi ambobus probatam consensurum. Cum Carolo quoque Hungariæ Rege controversias, quæ Laureacensi pacificatione nondum penitus discussæ, mense Septembri composuit, pactísque priorum temporum instauratis se se Anckensteinensi castro abdicârat, Sverezenbachium in vicem ab Hungaro recepturus. Lis adhuc de damnis Bohemico bello nuper Austriæ ab Hungaro illatis, quæ ALBERTUS ab Rege præstanda contendebat, restabat, ea denuo Anno XLI. agitata, delatóque ad Carolum Moravicum, aliósque delectos arbitrio, ij ab ALBERTO pronunciaverunt. Verùm ùt ùt stabilita his amicitiis domus, principe tamen fulcro, hærede nempe caruit. Dudum ea cura ALBERTUM afflictæ ceteroquin valetudinis exedebat; igitur ad lustrandas Rheni Provincias cum uxore profectus, Aquisgranum ad prodigiosam Divæ Virginis imaginem divertit, salutatáque ex itinere Agnete sorore, Ungariæ Regina, aureum calicem, quem dono ab ipsa acceperat, magni ponderis Ecclesiæ obtulit. Aurum post biennium Calendis Novembribus DEUS nato Rudolpho rependit. Aquisgrano Coloniam, hinc Sanctorum exuviis dives Argentinam delatus Bertholdum Præsulem per summam injuriam in custodiam datum, carcere exemit. Augustæ Imperatorem allocutus Viennam iterum incredibili populi lætitiâ tenuit, distributis in plures Ecclesias ossibus Sanctorum: majorem partem Ducali sacello, & Gemnicensi cœnobio inferri imperavit.

Fœdus cum Gallo.

Cum Ungaro.

Ad Rhenum proficiscitur.

Vix ab itinere respirârat, cùm hinc opem Patavinensis Præsul, inde Carinthi Anno XXXVIII. exposcerent. Ibi quidem turbæ excitatæ à civibus urbis imperium usurpare contendentibus, quas levi negotio Dux compescuit, restituto in pristinam authoritatem Præsule, à quo grati animi ergò Protector salutatus liberum in urbem, ceteráque Episcopi castra aditum obtinuit. Carinthiæ verò fines adducta valida militum manu Joannes Tyrolis Comes perrumpere attentabat, sed totus is conatus demum in rapinas, & incendia desiit; quippe arctiora ad Leontium viâ claustra, qua agere militem moliebatur, præsidio Goritienses firmârunt, simul

Turbas Patavij componit.

mul ALBERTUS selectis copiis succinctus advolârat. Hostili periculo expeditus ad ordinandam provinciarum rempublicam se retulit. Carinthiam inprimis salubribus legibus temperavit, inter cetera statuens, nè convitio læsi in singulare certamen descenderent, facti convitij reus à judice plecteretur. Villaci cum Bertrando Aquilejensi super Venzano aliísque oppidis, quæ, beneficiario titulo Carinthiæ Ducibus à Patriarchis antè tradita, is conferre renuerat, collocutus. Controversiâ nondum finitâ in Carnioliam, hinc Græcium tetendit. Rogatus isthic à Carinthiæ Legatis XVIII. Kalendas Octobres, vetera jura legésque novis auctas in meliorem formam, eámque ferè, qua Styri utebantur, redegit. Tabulas domum relatas populóque lectas in munitissimum castrum Osterwizium ordines deposuere. Anno XXXIX. reversus in Styriam diploma à Rudolpho I. datum jura Provinciæ complexum, atque in patrium idioma translatum sua authoritate munivit.

In Styriam abit.

Hæc inter amittendæ Carinthiæ metus novas curas accersiit; metum haud dubiè Rex Bohemiæ injecerit, auxerítve, qui Anno XLII. properato itinere Viennam delatus, ejecti filij dolore æger, multis Ludovicum Brandeburgicum criminabatur. Ferunt hoc colloquium non sinè utriusque risu terminatum: Regem scilicet cæcum, cùm ALBERTUS pedibus captus deducere, ipse fores invenire nequiret, explorantem palpantémque parietes, conclave oberrâsse. Turbarum porrò author Margarita Maultaschia extiterat, quæ repudiato Joanne Ludovicum Brandeburgicum Ludovici Bavari filium in thalamum subrogârat; ferebatúrque Cæsar præter Tyrolim etiam Carinthiam novo sponso addixisse; nec id dissimulabat Ludovicus, Ducis Carinthiæ titulo jam publicis literis inserto. Itaque ut sibi populi fidem ampliùs veteri ceremoniarum religione affirmaret, in Carinthiam festinatò profectus, per Cunradum Gurcensem antistitem recepto ibidem ritu inaugurari se fecit; propè aberat, quin è Ducali eo saxo sub sepulchrali marmore conderetur, nisi gravissimum morbum, quo correptus erat, sinceræ ardentésque populi preces depulissent. Stiborius culinæ Præfectus veneni præbiti insimulatus mensium aliquot carcere crimen non suum luit; compertâ innocentiâ calumniator caveæ primùm inclusus populóque exhibitus, pœnam talionis inter vincula subire coactus est. Rixa verius, quàm bellum cum Eberhardo Wirtenbergico fuit, quòd quietem tantisper Anno XLIII. interpellavit. Ægrè Eberhardus ferebat à Conrado Scholklingæ domino id oppidum cum Ehinga, & Berga ALBERTO venditum, armáque Conrado intulerat; cúmque nihil admodum adversùs eum proficeret ALBERTI

A Joanne Rege Bohemiæ Viennæ invisitur.

In Carinthiæ Ducem solito ritu inauguratur.

Graviter ægrotat.

Discordia cum Eberhardo Wirtenbergico.

ſuppetiis ſuffultum, in Auſtriacorum ditionem illatus occupato oppido Mergâ agros etiam inter mutuos cædes evaſtârat. Joannæ ALBERTI uxoris, quæ tum eas provincias præſens regebat, & Cæſaris operâ, paci etiam fœdus in decem annos adjectum eſt.

At illam, quæ domi æmulatione Walſeanorum, & Roſenbergicorum Bohemiæ procerum enata, graſſatura latiùs principibus etiam, populísque commiſſis timebatur, diſcordiam uno Caroli Moraviæ Reguli alloquio ſedavit. In omne porrò periculum, unde quies publica damnum accipere poſſet, intentus Ludovicum Ungarorum Regem ſapientiſſimus princeps Anno XLV. edocet: cognitum ſibi diuturno jam uſu, multos perfidiæ aliorúmque facinorum reos, quos aut ipſe edicto publico, aut ſuus pœnæ metus Auſtriâ ejeciſſet, in Hungariam irrepere; fieri poſſe, ut quemadmodùm Carolo patri acciderat, ita & ipſum dolis mendaciſve in pernicioſas amicitiæ ſuſpiciones adducant; genus id hominum eſſe, qui nunquam dubitent, malè conceptæ in Principem iræ, univerſæ reipublicæ damnis litare; candorem, nivésque meros præ ſe ferre, revera non aliud, quàm excitatis inter Reges diſſidiis, impunem ſcelerum licentiam turbarum beneficio quærere. Captus his amicitiæ officiis Rex non modò, ùt ALBERTus deſiderârat, ſpopondit ejecturum regno quantocyus, quotquot ejus generis intra Hungariam deprehendiſſet; néve deinceps furtim ſe inſinuarent nobiles viros ad regni confinia collocaturum, qui acceſſu arceant, captósve pro poteſtate puniant; verùm & ipſe Anno XLVII. Viennam ad ſalutandum Ducem acceſſit. Eodem anno binos Cæſares Vienna hoſpites excepit non mediocri ALBERTI gloriâ, cujus amicitiam coronata capita certatim ambiebant. Prior urbem ſubiit VIII. Kalendas Februarij Carolus Joannis Regis Bohemiæ filius cum Ludovico genero ſuo, Anno ſuperiore VI. Kalendas Decembres Bonnæ Cæſareâ coronâ ornatus. Omnem ille lapidem moverat, ut abſtractos à Bavaro Auſtriacóque factioni ſuæ aſſereret. At operam ille non minùs, ac anno ſuperiore Pontifex Clemens VI. luſerat, à quo per literas in partes eligendi propediem Cæſaris invitatus, adduci non potuit, ut datam amicitiæ fidem abrumperet. Veritus haud dubiè nihilominus Ludovicus Bavarus, nè ab his in transverſum actus animum mutâſſet, vix iis Poſonium digreſſis ſolicitè advolat, etiam, atque etiam obteſtatus, nè, quam jam inde à Friderici Pulchri morte pacem coluiſſent, eo rerum articulo convulſam velit. Inſtauratum denuò fœdus fuiſſe inde credibile eſt, quòd eodem tempore dato gemino diplomate gratiam Cæſar referre voluiſſe videatur. Altero cavit, nè ullibi civitatis jure donentur, quotquot relictâ Auſtriâ, mu-

Vienna à Ludovico Rege Hungariæ, & à Carolo Cæſare.

Item à Ludovico Cæſare Invitatur.

ne-

neris sui, quod gesserunt rationes non exposuissent. Altero Austriacis supremi per Alsatiam judicis munus pro Cæsare demandavit.

Ludovico eodem anno V. Idus Octobres è vivis sublato, evocatóque à quibusdam principum ad Imperium Eduardo Angliæ Rege Carolus dignitatis retinendæ solicitus repetita ingressione, ALBERTUM tentandum putavit; iterum in Austriam anno XLVIII. contendit. Oppidum Laha colloquio designatum; nec abhorrebat jam à fœdere ALBERTUS Ludovici morte, amicitiæ religione exsolutus; amplas etiam Carolus conditiones afferebat, nihil de felici rei exitu anxius. Verùm ad Conradi Hardeckij causam negotiatio omnis adhæsit: cùm Regis gratiâ, omnique ditione exutum ALBERTUS vellet, Carolus id se commissurum negaret, nullo operæ pretio colloquium solvêre. Offensum non mediocriter eâ repulsâ se Cæsar ferebat, sed iram haud diuturnam esse siverunt nova pericula, utilísque cumprimis ALBERTI opera adversùs alterum æmulum Fridericum Miscensem, quem destinari ad Romanum solium fama vulgârat. Ergo mense Majo Ducem Brunam evocat, ibíque detentum diutiùs, magnificéque habitum suis demum partibus adjungit. Conventum est in conditiones nuper ad oppidum Laha propositas, scilicet utriusque proles, ubi adoleverint, matrimonio jungerentur. ALBERTUS Carolo Romanorum Regi fidem, obsequiúmque juraret; adversùs quemcunque hostem (exceptis Bojariæ principibus, Ludovici defuncti liberis) assisteret. Vicissim Carolus vetera Austriæ privilegia literis suis VII. Kalendas Junij obmuniit. Cùm verò dudum eam prærogativam concessam esse Austriacis Dux commonstrâsset, nè extra Provinciæ suæ limites ad profitendam clientelam adigi à quopiam possent, in castrum Seveldium profecti, alter solenne Sacramentum dixit, alter terras Imperij beneficio retinendas addixit, actis in tabulas Nonis Junij relatis. Jámque penitus consuetudine, & sapientiâ ALBERTI devinctus Carolus secum Patavium in comitia deduxerat, aliis super alios favoribus cumulatum. Lincij in itinere literas Ludovici Cæsaris Austriæ juribus non æquissimas antiquavit. Patavij inundæ potissimùm concordiæ inter Cæsarem, & Bavaros ratio tentata. Ejus causæ arbitrum Carolus ALBERTUM jussit. Sed exulcerato supra modum Ludovico Bojo, Brandeburgi Domino, exitu negotium caruit.

Fœdus primò frustra tentatum

Cum Carolo Cæsare perficitur.

Multò illustrius benevolentiæ documentum lata adversùm Brisacenses sententia fuit, qui defuncto Ludovico, Austriacorum dominio se se evolvere moliti, ut solius posthac imperij ditioni redderentur, orabant. Carolus rejectis continuò velut se-

Caroli Cæsaris in Albertum benevolentia.

ditioſorum precibus, & repetito Sacramento fidem jurari Alberto juſſit, & novis tabulis pignori eam urbem tradidit. Interfecto Anno L. quem ſuprà nominavi Bertrando Patriarcha, diſſidium cum Aquilejenſi Eccleſia recruduit, multáque in Foro Julio oppida intellecta ejus morte Albertus occupârat. Nullum iterum hac in cauſa amici officium deſiderari Carolus paſſus eſt. Viennam ipſe anno altero approperat, Nicolaum Fratrem ſuum in Bertrandi locum ſuffectum aggreditur, alias ex aliis pacificationis formulas procudit; evincit denique, ut Albertus in duodecim annorum inducias conſentiret, Nicolaus agrum Venzanenſem cum caſtro cognomine, Vippaco, Fano S. Michaëlis, aliſque olim beneficij nomine concedi ſolitis Alberto attribueret. His quidem legibus tantò prolixiùs Albertus ſubſcripſit, quantò impenſiùs ejus opem ſuperior ad Rhenum ditio flagitabat ab Tigurinis inhumaniter habita. Longo certè bello brevibus in Foro Julio diſcordiis præluſum eſt. Res ità habuit.

Belli Helvetici origo.

Joannes Comes Habſpurgicus patris itidem Joannis necem ab Tigurinis illatam ulciſci dudum meditatus (ſi bene originem refert Fuggerus) Tigurum Anno L. ipſo Divi Matthiæ feſto diſſimulato cultu ſubiit, urbem, ſi res ferret, furto belli occupaturus. Cives detecta proditione non contenti alios cecîdiſſe, alios cum Joanne compegiſſe in vincula, menſe Septembri Rappersvillam novam, ſubinde & veterem evertunt; vallem Vegenſem, & Marchiam depopulantur. Albertum Joannis captivitas, Rudolphi Godefridi, Comitum itidem Habſpurgicorum damna periculáque vehementer commoverant; ampliùs tabellio perculit, nuncians Tigurinos, Uriorum, Suitiorum, Subſylvaniorum, & Lavernatum fœderi acceſſiſſe. Verebatur etenim, nè ſerpente latiùs mali exempli contagio reliqua etiam oppida in hoc aſylum transgreſſa jugum excuterent. Malo itaque à celeritate facturus remedium ex Auſtria in Ergoviam contendit. Pontem Arulæ Nonis Sextilibus ingreſſo Legati Tigurinorum occurrunt ſplendidis muneribus multóque verborum apparatu iram ſopire conati. Dux benignè habitos dimiſsósq; ad proximum Nobilium conventum cauſam ſuam pluribus acturus adeſſe jubet; acri, qualis eſſe iratis læsísque conſuevit, facundia fœdus ante ſex annos ictum, perfidè violatum, illata damna, incolas immaniter habitos exprobrat; nî occupata oppida, ablata civibus bona redderent, everſa inſtaurarent, bellum denunciat. Legati alia velut jure facta tuiti, alia elevant: bellum non odio, ſed juſtæ defenſionis ſtudio ſuſceptum; irritatos ab Habſpurgicis vim repuliſſe veriùs, quàm intuliſſe; Rappersvillam receptaculum prædonum fuiſſe; excisa caſtra reparare majus viribus ſuis opus eſſe. Ergo cùm

æqui

æqui nihil impetratum iri ALBERTUS videret, XVIII. Kalend. Octobris undecim millia, quà peditum, quà equitum Tiguro circumfudit, paucis pòst horis, quàm fœderatorum ſuppetiæ urbem intrâſſent. Elapſis aliquot diebus à Friderico Toggenburgico, Herdego Rechbergio, Conrado Berenfelſa, & Bernatum Legatis emolliti, cives ſtaturos ſe, ſociósque conditionibus, quas æqui arbitri dictârint, pollicentur. Celebratus conventus eſt ad Campum Regium arbitrorum principe Regina Agnete ALBERTI ſorore; decretúmque præter ea, quæ nuper ALBERTUS poſtulârat: Si quos Duci ſubjectos civitate donâſſent, eo jure exuti eſſent; nec poſthac recipere quemquam fas eſſet; controverſias legibus, non armis dirimerent; Lucernates ditioni Auſtriacæ ſe reddant.

Albertus Tigurum obſidet.

Inducia ſancitæ.

Duris licèt conditionibus aut acquievere, aut acquieſcere ſimulabant, evitandi belli deſiderio, & ſexdecim, quos ALBERTUS è primis civibus detinebat, obſidum liberandorum curâ adacti. Pacificationem poſtmodum Habſpurgicis parùm probatam, Tigurinorum ſocij penitus execrabantur. Hi conditiones vel victis acerbas dicebant: illi libertatem Joanni ſtipulatam oportuiſſe querebantur. Horum precibus ſtimulatus ALBERTUS captum repetens, cùm non impetrâſſet, obſides carcere concludi jubet. Jam fœderati non ampliùs de rupti fœderis cauſa ſoliciti Glaronam Auſtriacæ ditionis urbem, non admodum invitam ſubigunt, fœderíque alligant. Aquenſem agrum populati, quatuor legiones à Joanne Ellerbachio ALBERTI cubiculario adductas fundunt. Nihilo feliciùs altero Anno LII. Walterius Stadius ſub prælij initium interfectus pugnavit. Percurſâ dein Ergoviâ, vi acceptum Habſpurgi caſtrum lacui vicinum Lucernates funditus diruunt. Tigurini Tugium ad deditionem compellunt. Interea ALBERTUS ex Auſtria, quò anno ſuperiore concluſæ pacis fiduciâ, & conjugi recèns defunctæ juſta perſoluturus abierat, iterum auditis Helvetiorum motibus revolârat; jámque ad Campum Regium conſederat, cùm Tugij acriùs ab hoſtibus preſſi ejus opem implorârunt. At ille, quòd caput rei petere decreviſſet, neglectis eorum precibus militem in expeditionem adversùs Tigurinos ſervandum cenſebat, certus expugnato Tiguro ſponte Tugium ad obſequium rediturum. Seriò tandem rem agendam ſpecies erat. Miles, annona, obſidionales Machinæ ſolicitè comparatæ; nè quis alibi hoſtis obſidionem interpellaret, cum Ludovico Bavaro, Brandenburgenſi Marchione, & Tyrolenſi Comite decennales inducias pangit, per quas de Carinthia litem movere non liceret; in totidem annos amicitiam, & mutuum auxilium ab Amadeo Sabaudo ſtipulatus, imminentem jamjam Tigurinorum capitibus procellam ſanè non levem Ludovicus Marchio

Iterum arma resumuntur.

Secundò Tigurum Albertus cingit.

avertit, adducto rursum in pacis consilia ALBERTO. Admotus sub medium Julij exercitus post dies septendecim abducitur, publicatis per castra induciis. Lucernæ subinde hæc concordiæ capita utriusque partis consensu scripta. Tugium, Glarona Austriacis, Rappersvilla Habspurgicis posthac pareat; Lucernates aliique tributa, census, vectigalia veteri consuetudine pendant; è Ducis provinciis, oppidis, populis in fœdus neminem annectere liceat. His fœderati Tiguri Kalendis Septembris, ALBERTUS XVIII. Kalendas Octobres ad pontem Arulæ subscripsere.

Et recedit.

Illusum sibi mox altero anno conciliatores sensere; etenim, cùm Bucheimus pro Austriaco præfectus Glaronenses, Tugiósque appellâsset, ut è nupernæ pacis legibus ejurato Tigurinorum fœdere ALBERTO fidem obstringerent, id sibi fas esse præcisè negant, nondum per fœderatorum sententiam juramenti religione solutis. Nihilo mitiùs Tigurini respondêre nupera Bernatum accessione elati. Sed & ALBERTUS interim vires suas novis armorum sociis fœderibúsque fundavit; quippe Carolus Cæsar iterum Viennæ comitante Ludovico Bavaro Brandeburgiæ Principe commoratus, ejúsque frater Joannes ALBERTO, & filio Rudolpho jurata fide Idibus Martij promiserant, viribus, opibus, sanguine, vita, hæreditarias eorum Provincias, quas aut possiderent, aut possessuri aliquando essent, defensuros, si eadem ab se præstanda & ipsi pollicerentur; stipendia tamen is solveret, cujus auxilio miles mereret. Audita itaque iterata Helvetiorum defectione ad Carolum mense Maij intra ipsas Pentecostes ferias in castrum Weitra ALBERTUS excurrit; vehementi oratione veteres, recentésque, à quibus nunquam fœderati Helvetiæ populi cessarent, injurias exponit, revocatísque in memoriam pactis, auxilia sibi præstari flagitat. Annuit prolixè Cæsar, id vicissim postulans, ut Patavium se assectaretur, controversias, quæ sibi adhuc cum Bavaris intercederent, suâ prudentiâ compositurus. Et probavere etiam Bavari arbitrum testatissimæ sapientiæ laude latè notum. Confecto hìc negotio Cæsar Helvetos ad dicendam coram se causam paratos esse jubet. Postquam Tigurinorum Legatos Constantiæ audiisset, Tigurum ipse tertio nonas Octobris subiens gravi oratione cives, ac socios officij commonet; at illi, etsi reipsa omne obsequij nomen aversati nonnisi libertatem spirarent, reposuere nihilominus Cæsari, Imperio non Duci obsequentes se fore; qua promissæ obedientiæ larvâ an falsus, an falli non invitus Carolus, non adverterat, sponderi ab ipsis obsequium, non quòd Imperatorem Dominum vellent, sed hostem nollent, timeréntque. Nec ultrà adactis aliud præter inducias imperavit.

Carolus Cæsar cum fratre Viennæ moratur.

Opem adversùs Helvetos promittit.

Frustra Tigurinis obsequiũ suadet.

Anno

Anno LIV. menſe Aprili Auſtriacorum, credibile, querelis ſolicitatus, rediens litis arbitrium ſibi uni deferri poſtulavit. Permiſere ſe nulla exceptione Auſtriaci: eam conditionem oppoſuere fœderati, ſi Cæſar ſuo chirographo caverit, ſuam ſocietatem, privilegia, jura in quæſtionem nunquam vocanda. Offenſus audaci poſtulato Carolus, fœdera ea, quæ commemorâſſent, privata authoritate, non annuente, non conſulto Cæſare conſtituta, iniqua, irrita, ſeditioſa pronunciat; illi contrà, cùm alia defenſionis ratio non ſuppeteret, legum imperialium ſe rudes, faciendi duntaxat operis, & moliendi ſoli peritos fateri, obſequium nihilominus recuſare. Aliam ergo viam ingreſſus occultè ſibi à civibus tantum æris ſubminiſtrari poſtulat, quantum Tugio, Glaronæ, ceteríſque controverſis oppidis redimendis ſufficeret, ratus ea demum ratione, & tranquillitati, & fœderatorum juribus conſultum fore. Civibus facultatum tenuitatem cauſatis univerſa ea tractatio in pacta induciarum deſiit. Id nundinationis conſilium, neſcio unde? in conſcientiam ALBERTI adductum, incredibile, quanto ſtomacho intellexerit. Ubi Ratisbonam Cæſar menſe Junio adventâſſet, ignominioſum ſibi, ùt ajebant, mercatum in os exprobrans libera voce objecerat: nondum eò redactum ſuum ærarium, ut ſubhaſtatis provinciis locupletari opus haberet; tantum ſibi adhuc nummorum ad manus eſſe, qui coëmendis Caroli terris abunde ſufficiant. Devorata illa loquentis libertate Cæſar publico in confeſſu nihilo ſecius pro ALBERTO ſcivit, cum reliquis principibus cauſam ejus juſtam videri pronunciat, omníque ope tuendam, ſimul binis literis XII. Kalendas quintiles ad Tigurinos expeditis, finem induciarum alteris, alteris bellum indicit. Initium ALBERTUS fecit ſignis ad Tigurinorum muros V. Kalendas Auguſti jam tertiùm adductis; at cùm intra primos dies Joannes Habſpurgicus in caſtra delatus Rappersvillam venalem abſtuliſſet, omiſſa tantiſper obſidione IV. Nonas Sextiles ad reparandos loci muros reducit; Joanni interea, donec pecuniam redderet, Hochenbergâ aliísque poſſeſſionibus pignori traditis. Mox ubi Cæſaris principúmque amicorum cohortes caſtra ad Tigurum XIII. Kalendas Septembres fixiſſe cognôrat, & ipſe rediit. Producto in quartam ferè hebdomadem obſidio, inviolati adhucdum muri ſtabant; tempus omne levibus velitationibus, & aggerum mœnibus prætentorum oppugnatione contritum. Expeditionem multo armorum ſtrepitu, militum numero, impendiis, expectatione maxima ſuſceptam Ducum ſimultas, populorum, voluntatúmque diſſimilitudo corrupit; nunc his nunc illis primum in acie locum pertinaci contentione depoſcentibus. Acceſſerat callida urbis ſimulatio depacto in prœalta turri Imperij vexillo obſequium profeſſæ:

Oppida controverſa emere tentat.

Indignante Alberto.

Tigurum tertio fruſtra obſeſſum.

Irritæ obſidionis cauſæ.

quo artificio consecuti, ut versâ in miserationem irâ, obsessores fœderati remissiùs agerent, Cæsare principibúsque, ut urbem fidam, obsequentémque ceteris Imperij civitatibus ùt sociam aspicientibus. Et revera XVIII. Kalendas Octobres cum Rudolpho Palatino primus castris Spiram versùs excesserat, eo exemplo, ceu audito è classico receptûs signo vasa ceteræ cohortes auxiliariæ colligunt; postremus signa ALBERTUS revulsit, tributóque in præsidia milite, & in Bucheimium translato Imperio cum Ludovico Marchione Pontem ad Arulam abiit sponsalia inter liberos Mainhardum, & Margaritam innovaturi.

Votorum Romæ cum Anna uxore Nonis Aprilis Anno LV. damnatum Carolum, amici nuper deserti curæ vehementiùs pulsabant. In Germaniam redux, nihil antiquiùs habuit lite ALBERTUM inter, & Tigurinos dirimenda, & proniora omnia multò, quàm crediderat, reperit. Helveti ipsi in pacem inclinabant perpetuis à vicino ALBERTI exercitu incursionibus fatigati; sed præcipuè quingentorum Hungarorum turma à Bucheimio Februario Mense adducta animos ignibus, & sagittis infregit, quos ad inferendam non magìs, quàm evitandam cladem impigros sensere toties, rarò vidêre, equorum velocitate ablatos citiùs, quàm telum in avolantes emitterent. Agitatâ iterum Ratisbonæ in frequentibus comitiis causâ, eandem concordiæ formulam, quam tertio abhinc anno Ludovicus produxerat, Cæsar X. Kalendas Augusti dictavit, læsæ Majestatis pœnam, qui secùs faxit, interminatus. Sinè mora & exceptione Tigurini suo, & sociorum nomine VIII. Kalendas Augusti in leges juravere. Ità molestum bellum finiit, meliori haud dubiè successu ab ALBERTO terminandum, si, quemadmodum bonam causam cæca justitia, ità cæca fortuna, aut dignosceret, aut semper tueretur.

Pax cum Tigurinis.

Tres non ampliùs vitæ anni ab hac pace ALBERTO supererant, itineribus, morbo, laboribus exhausto. Itaque vicinam mortem citra dubium persentiscens in tempora, quæ solâ famâ victurus erat, curas jam propiùs extendit, consiliis in id unum ferè collatis, ut Domum, quam tot incrementis auctam ab se relinqueret, duraturis stabilimentis fulciret. Nondum in Austriam Ratisbonâ reversus, mutuam armorum societatem cum Stephano Bavaro mense Septembri paciscitur. Viennam delatum dignus suâ sapientiâ metus incesserat, nè quatuor filiorum numerus fratres aliquando collideret, dum minor defuncti patris reverentia non æquè ambitionem cohiberet. Et huic quoque malo, quantum licebat, præverterat legibus hunc in modum præscriptis: concordiam summo studio colerent, amore & reverentia, quæ fratres & principes, ALBERTI nempe filios, & Austriacam stirpem dece-

Fœdus cum Bavaro.

Leges præscribit filiis.

deceret, se complecterentur, non matrimonij, non offensæ obtentu Austriâ secederent. Si quem his legibus non obtemperare contigerit, fratres ceteri adhibitis in consilium proceribus saniora omni conatu persuadeant; contumacem junctis viribus reducant. Hæc in senatu lecta, postquam se observaturos juramento ordines spopondissent, vigesimâ quintâ Novembris tabulis consignavit.

Quas filius Rudolphus enucleatiùs exposuit.

Easdem leges magìs enucleatè expositas filius Rudolphus fratribus præscripsit, probatásque proceribus XIV. Kalend. Septembris Anno LXIV. his ferè verbis tulit. Mandato Patris curatè morem gerant; quid quid bonorum singulis accesserit, commune omnibus esto. Major natu regendi authoritate anteeat, Rempublicam è justitiæ legibus administret, beneficia conferat. Ille parte fructuum ampliore gaudeto, splendidiore pompa utitor; tenuiori ceteri, decenti tamen censu victitent. Nullus sibi soli jurari fidem, aut aliud quidpiam præstari jubeat. Non suo duntaxat arbitrio forum agat, jus dicat. Consiliarij communi suffragio legantur; seniori tamen fas esto, quem libuerit, ad consilium adhibere. Si id causa gravior postulare videatur, idem clientelam reliquorum nomine Cæsari profiteatur, tabularium obtineat, tributa indicat, colligátque publicis usibus eroganda. Provinciarum prætores, urbium præsules, arcium præfectos, nisi alicubi juniorum fratrum quispiam præesset, designet, cetera munia dispensèt; neque tamen, nisi fratres annuerint, fundos, urbes, castra vendere, pignorìve opponere soli integrum esto. Si seniorem morbo, aut quovis demum vitio regimini minùs idoneum reddi accidat, ætate propinquior gubernacula capessat, restituto cedat; iisdem honoris titulis utantur omnes. Matrimonia non ineant, nisi omnium suffragiis probata. Assentatores, aularum fucos, genus hominum dissolvendæ concordiæ natum, nè tolerent. Si fratrum quispiam concordiam ruperit, ceteri Ordinum ope integrare amicitiam satagant; dissidenti pertinaciùs obedientiam populus fidémque nè præstato. His demum ipse adjicit, vires ut operámque omnem in commune conferant, donec à deducta ad fastigium Divi Stephani fabricâ Canonicorum etiam Collegium accedat.

Varia Alberti fœdera.

Ut quoque filiis, & Provinciarum quieti à vicina Hungaria caveret, constitutum jam aliàs suis legibus inter se, & Regem Ludovicum fœdus literis ad decimum usque à morte sua annum V. Idus Januarij Anno LVI. affirmavit; néve verbis duntaxat absolvi videretur, mutuis continuò officiis amicitiam coluere. Iste litis, quam sibi Margarita senior Tyrolensis ob dotem olim promissam intentârat, arbitrum ALBERTUM delegerat: is vicissim in

Hungariam profectus controverſias ſe inter, & Cæſarem enatas diſcutiendas Ludovico obtulit, nominatis quatuor Conſiliariis ſuis, Ulrico Waldſejo, Hermano Landebergico, Alberone Buecheimio, & Ottone Meyſſovio, quibus plenam transigendi poteſtatem literis Jaurini XVI. Kalendas Februarij datis fecerat. Cum Nicolao Patriarcha Aquilejenſi pacem ſtabilire inchoârat, reddito Græcio Vindorum, & quibusdam immunitatibus, quas per Carniam ſibi Præſul deberi contenderat. Cum Tigurinis operâ Præfecti Buecheimij fœdus in quinque annos coaluit. At nunquam ſibi uni, domuíque ſuæ vacare diffuſa virtutis exiſtimatio ſinebat. Paucis ante mortem menſibus in Bavariam profectus, gemino pacis beneficio eam provinciam ſibi obſtrinxit: alterâ Epiſcopum Salisburgenſem, & Stephanum Ducem mutuis cædibus, & incendiis aliquamdiu graſſatos compoſuit; alterâ multò præſtabiliore Bavariam Eccleſiæ conciliavit. Siquidem, quod dudum per Legatos ſuos impensè flagitârat, hoc demum anno LVIII. à Pontifice obtinuit, ut univerſa Bavaria, ferali ſententia jam in XXX. annum notata, abſolveretur. Aſſerunt tamen alij, factam quidem nunc à Pontifice poteſtatem Paulo Friſingenſi Epiſcopo, & Petro Lambertino Abbati, ut causâ ritè diſcuſsâ poſtulatis Alberti ſatisfacerent; ſed id demum Anno LX. urgente cœpta patris filio Rudolpho Monachij à Friſingenſi præſtitum. Atque hìc deſiit Princeps non ſuæ ditionis duntaxat, ſed Europæ commodis natus; quippe confectis Patavij Margaritæ filiæ ſponſalibus Viennam cùm menſe Junio rediiſſet, lenta ægritudine conſumptus XIII. Kalendas Auguſti obiit, delatus poſtridie Gemnicum; ibidem hodiedum marmoreo tumulo incluſus quieſcit.

Moritur Albertus.

Ejus Liberi.

Filios, quos è Joanna unica conjuge ſuſcepit, hoc ordine Steyererus refert. Primus in lucem editus eſt Rudolphus Anno MCCCXXXIX. Kalendis Novembr. innumeris votis à cælo impetratus, poſtquam annis quindecim ſterile matrimonium pientiſſimos conjuges afflixiſſet. Fridericus primam lucem An. XLVII. aſpexit, qua die incertum. Ultra quindecim annos vitam vix extendit Anno LXII., IV. Idus Decembr. extinctus. Catharinam Anno XLII. natam fuiſſe laudatus author conjicit. Ea tenera adhuc ætate in Divæ Claræ cœnobium transgreſſa Anno LXXXI., IV. Idus Januarij religiosè finiit. Margaritæ alterius filiæ annus natalis æquè incertus: quadrageſimus ſextus ferè ſeculi fuiſſe putatur. Hæc à patre adhuc vivente Mainhardo, ùt diximus, deſponſa matrimonium Anno LIX. iniit. Erat porrò Mainhardus è Ludovico Brandeburgico, Ludovici Bavari Cæſaris filio, & Margaritâ Maultaſchiâ Tyrolis Comite genitus.

Main-

Mainhardo Idibus Januarij Anno LXIII. defuncto cum Joanne Henrico, quem Maultaſchia repudiârat, ſequente anno menſe Februario in manus convenit. Sterile utì primum, ità iſtud Margaritæ matrimonium, & vix duorum annorum fuit; quippe XIX. Kalendas Februarij Anno LXIV. vivere deſiit, Brunæ ſepulta. Tertiam quidam his filiam adjungunt Agnetem.

Sed quoniam veterum ejus ævi ſcriptorum nemo, nec Gemnicenſes tabulæ illius uspiam meminere; ſuppoſititium cerebri, calamíque decepti partum Steyererus exiſtimat, præſertim cùm erroris ſuſpicionem Authorum de ejus marito diſcordia meritò injiciat, aliis Boleslaum Secundum Swidniciæ, aliis Henricum Secundum Javorij, Henricum V. Ferreum Sagani Ducem aliis nominantibus. De reliquis duobus filiis Alberto, & Leopoldo ſuo loco narraturi ſumus. *Uxor.* Mater omnium erat Joanna Ferretana Comes, ſpectatæ virtutis fœmina, & quæ cum marito pietatis ſtudiis certaret. Ejus beneficentiam cœnobium Thannenſe, Luciscellenſe plurimùm experta. Runenſibus Anno XLV. VI. Kalendas Octobris plenam poteſtatem de iis, qui Monaſterio ſubjecti, judicandi conceſſit. Magnanima & mariti cumprimis ſtudioſa; ipſa Avenionem anno eodem ad Pontificem legationem pro Alberto obiit, ex Eccleſiaſticis per Styriam, & Carinthiam fundis decimam fructuum partem poſtulans; non impetratâ tamen à Clemente VI. veniâ rediit. Nata eſt Baſileæ Anno MCCC. Supremam diem XVII. ante Kalendas Decembr. Anno LI. habuit, membris poſt abortum acerbè convulſis extincta. Ad ejus denique laudes dixiſſe ſufficiat, ab Alberto id ſapientiæ principe fuiſſe amatam. Ludovicum Bavarum à Joanna veneno peremptum ſcripſere aliqui cum Arempeckio; adjungit hic etiam Fridericum, & Leopoldum Ottonis Hilaris filios: ſed per injuriam impingi Joannæ Pezius oſtendit.

Operosè de Alberto litem ſcriptores agitant, an in Epiſcopum Patavienſem electus aliquando Canonicorum ſuffragiis fuerit. *An fuerit electus Epiſcopus Patavienſis & Subdiaconus?* Clauſtro-Neoburgenſe Chronicon calamo plerumque fido conſcriptum diſertè affirmat, defuncto Anno XIII. Bernardo Prambachio Epiſcopo, diviſos in geminam factionem canonicos, plurimos Gebhardo Waldſejo, paucos Alberto Auſtriaco tiaram obtuliſſe; Gebhardum ſubinde ad Pontificem profectum, ibíque per biennium commoratum deceſſiſſe. Addit inſuper Haſelbachius, Subdiaconi dignitate initiatum fuiſſe, ſed mortuis ceteris omnibus fratribus lege à Pontifice ſolutum, matrimonium iniiſſe; Viennæ Parochi munus obiiſſe ſcribit Schritovinus. Eadem ab his Recentiores mutuati affirmant. Nihil horum narratio Steyererum movet; quin, quanta ea eſt, inter fabellas re-

censet, ita differens: Albertum Saxonem ex Agnete Alberti Primi Cæsaris sorore genitum, jam Anno VIII. Viennæ Parochum præfuisse, Anno XX. inde ad Passavienſis Episcopatûs dignitatem evectum. Igitur, si ALBERTO Austriaco inter Viennenses Curiones locus assignandus, ab eo ante annum seculi VIII. procuratam Ecclesiam dicere necesse est, quo tempore vix ingressus pueritiam, annum ætatis IX. non excesserat. Haselbachij narrationem malè cohærentem pugnantémque seipsa confici. Vivebant, ùt ipse fatetur, anno adhucdum XX. ALBERTI fratres Leopoldus, Henricus, Otto vegetæ omnes, florentísque ætatis, & Otto quidem nonnisi Anno XXXIX. obiturus; quod igitur tum stirpis emorituræ periculum, ob quod ALBERTUS deserto ordine Ecclesiastico ad nuptias provolaret, legis gratiam Pontifex faceret? aut cur in tanto discrimine ad annum usque XXIV. uxorem ducere ALBERTUS distulisset? vix etiam credibile, Gebhardum è gente Waldsejorum tot nominibus obstricta Austriacis adversùs ALBERTUM dignitatem pertinaciter tuiturum fuisse; quin tacent omnino reliqui de discordibus Electorum animis; Waldsejos eundem gratiæ gradum semper obtinuisse apud Austriacos variis documentis in comperto est. Quòd si tamen non omnem Claustro-Neoburgensi Chronico abrogare fidem libeat: illud verosimile dicere licebit. ALBERTUM Saxonem & Gebhardum Waldsejum à sua quemque parte optatum dissidiis causam præbuisse, authorem verò Chronici nominum similitudine deceptum ALBERTUM Austriacum suppositum esse. Ita Steyererus. Hansizius existimat, non esse, cur Claustro-Neoburgense Chronicon probatæ ceterà fidei, & eo seculo conscriptum erroris damnetur: fieri potuisse, ut eligeretur ALBERTUS, abhorreret pars major ab immatura ætate; nè tamen irritarent Austriacos, è Waldseja gente multùm gratiosa Gebhardum optarent; néve illo defuncto ALBERTUM Austriacum, aut alium subrogarent, metum duorum Cæsarum obstare potuisse; Ludovicum quippe offenderant, si Austriacum nominarent: Fridericum Pulchrum, si præterirent, donec demum anno XX. constitutis jam ALBERTI nuptiis Pontifex Albertum Saxonem, rogantibus Austriacis, Episcopum juberet.

Alberti virtutes.

Verùm etsi ALBERTUS non sacris initiatus, nec Episcopus aliquando extiterit, quotquot tamen scriptores ejus meminere, ceu religiosissimi Principis ideam expingunt. Corpore misero adeò afflictóque tot annis cùm esset, ut non manus movere, non gressum figere valeret, cibum alienis manibus ministrari, lecticâ semper circumferri opus haberet; nunquam tamen queri, aut gemere auditus, quin, quam cum Divinis voluntatibus conjunctionem vel inter eremi incolas prodigio propiorem existimes, iis

Tolerantia.

sibi

sibi precibus interdictum semper voluit, quibus eo malo expediri à Deo postularet. Præter eas, quas ab ALBERTO ditioni Austriacæ adjectas terras meminimus, plurima in Suevia, Tyroli, Brisgovia, Hercinia, Alsatia quà pretio coëmerat, quà sibi debita, & ab aliis possessa vindicârat; nunquam tamen habendi cupiditate se abripi passus, ità augendæ potentiæ studium moderabatur, ut nè unquam quæsito operosè juris colore manus in aliena immitteret. Magni animi, & generosæ Clementiæ heroum documentum Anno LVI. edidit. Basileam minorem pignore tenenti alias ex aliis lites super utriusque civitatis juribus cives movêre: & rumor erat, fœdus cum Helvetis percussisse. *Clementia.*

Fervebat tum maximè discordia, dum urbs XV. Kal. Nov. erumpente igne fœdè deformata insuper terræ motu conciderat. Advolant continuò inde locorum Præfecti, rem, ùt rebantur, multò gratissimam ALBERTO nunciaturi; hortantur: oppugnationem urbis, quam nuper destinârat, nunc susciperet; stratis latè muris ultro ad victoriam, & vindictam viam patere; occasionem divinitus oblatam elabi manibus nè sineret. Vultu ALBERTus contrà (unde animi magnitudinem legeres) ad majestatem composito: & à me vos barbarum adeò facinus, & abjectæ mentis expectatis; qui ignobilium ferarum more, miseris, territis, prostratis ungues infigam? Victoriæ, cujus pudeat, nunquam occasionem neglexisse pœnitebit. Imò verò urbem suam muniant, vires instaurent, ubi robur suum nostro eò exæquaverint, ut è dignitate nostra sit eos hostes putare, tum demum dispiciam, num arma expediam. Ultro animi excelsitati indulsit: è sylva Hercinia vicinisque pagis quadringentos agricolas ab se in id opus mercede conductos Basileensibus mittit, Vicum Ferri dictum atque à Rheni ponte ad forum frumentarium porrectum repurgare jubet. Aliàs cùm Austriaci multos è superiore Germania in aula versari quererentur, non absimili, quàm Pater olim, responso nè hiscere deinceps ausos compescuit: non se eorum murmure movendum, ut vel canem advenam abesse pateretur; principem se esse, regere scire, regi ab aulicis nec didicisse, nec natum esse. Insignem animi fortitudinem cum invalido licèt corpore conjunctam symbolica ipse imagine expressit. Visebatur in ea armatus pede dextero terræ insistens, sinistro crure confracto, & grallorum uni innixo, subjectis vocibus: Et hic virum agit. *Constantia.* *Symbolum.*

Justitiæ curâ multò maximâ, comitate, populi animos mirificè capiebat. Ipse gestatoriâ sellâ deportatus quotidie ferè fora, tribunalia obire, si causas extrahi audîsset, judices severè corripere, infimæ etiam conditionis homines alloqui, ut liberè, quæ vellent, expromerent: blandissimis verbis animos addere. Ejus *Justitia.*

integritati judicij, ſapientiæque nemo non Principum cauſam ſuam credebat. Ipſum, licèt natu minorem, fratrum tamen conſiliis adeſſe ſemper Provinciales cupiebant, tum rectè agendum rati, ubi citra ejus ſententiam nil concluſum fuiſſet. Morum porrò ſanctimoniam, inſigni erga DEUM pietate, munificentiâ in pauperes, & ſacra loca alebat, Divinis officiis aſſiduus aderat, miſtúsque concinentium choris ſacra carmina alta voce proſequebatur. Nato poſt tot ſterilis conjugii annos filio, immenſis gaudiis populus incedebat; ALBERTUS tamen ſpectacula publica, choreas, & quæ hujusmodi ſumptuoſæ gratulationis officia, vetuit, alia lætitiæ ſigna edi non paſſus, quàm quibus filium ſingulare DEI beneficium ab ſe agnoſci teſtaretur; ſupplicationes, quarum ferè ſemper pars erat, indicere, vim magnam pecuniæ in ædes ſacras, & pauperes erogare. Monaſterio, quod cum Fratre Leopoldo Anno XXII. ab ſe extruendum voverat, ut imminenti cum Ludovico Bavaro prælio felicem eventum exoraret, Gemnici Anno XXX., VIII. Kalend. Julij initium fecit. Binis pòſt annis Idibus Auguſti primum ſua manu lapidem in fundamenta demiſit; Carthuſienſibus traditum pro eo, quo in Divam Virginem ſtudiis ferebatur, S. MARIÆ Thronum appellari imperavit. Regiis alioquin impendiis extructum ditatúmque, cùm identidem novis fundis augere non deſiſteret, ut adeò vel ipſis Patribus nimia ea, effuſáque liberalitas videretur, ferunt ab iisdem admonitum: munificentiæ modum poneret, ſibi abundè proſpectum jam eſſe. At repoſuiſſe ALBERTUM: acciperent dum ipſis daretur, venturum aliquando tempus, quo aliis ſuffecturum nihil eſſet.

Pietas.

Condit Gemnicenſe Cœnobium.

Otto frater Novomontanum.

ALBERTI Fratri, Ottoni, Ciſtercienſis familia Novomontanum in Styria Cœnobium, honori quoque Divinæ Virginis conditum, debet. Inchoatum eſt Anno MCCCXXVII. quo Fridericus filius Ottoni natus eſt, evocatíque è S. Crucis religioſi. Quo anno editus in lucem Otto, incertum: An. MCCCI. cum fratribus Henrico, & Mainhardo in vivis fuiſſe conſtat. Anno ſeculi XXXIX. Græcio æger Viennam deportatus, ibidem IV. Kal. Martij obiit, cadaver apud D. Auguſtini religioſos initio tumulatum, Novomontani ſubinde ſuo tumulo intulere. Binas uxores habuit: Eliſabetham Sthephani Bavari filiam, quâ Anno XXX. extinctâ, Annam Joannis Regis Bohemiæ in torum induxit, An. XXXVIII. III. Nonas Septembr. morituram. Præter Fridericum jam nominatum ex prima conjuge ſuperſtitem reliquit Leopoldum Anno XVIII. natum. Uterque eodem Anno ſeculi XLIV. præmatura morte abrepti, Fridericus III. Idus Decembr. Leopoldus IV. Idus Auguſti. Sunt tamen, qui Friderici mortem ad Annum ſequentem referunt.

RU-


RUDOLPHUS
Magnanimus
Robur alit, geminátque animi præstantia vires Virgil.
Christ. Dietell sculpsit Græcy



RUDOLPHUS.

Cognomento Magnanimus,

DUX STYRIÆ IX.

POenitere Albertum non poterat orbitatis diuturnæ obtento Rudolpho. Dignum is & cælo, & tam diu rogato, munus fuit, quod magnitudine sua abunde pensavit, si quid gratiæ longior mora beneficio decoxit. Indoles illi, qualem sapiens Pater optare in Principe filio debebat, maximarum rerum gerendarum, tam capax, quàm avida. Germanorum Principum ornamenta à vanis fucatísque laudibus ritè discernens, pietatem & literas intimis curis complectebatur. Quantum his promovendis opum profuderit, vel è Vienna sola lector sat æstimat; pietatis alterum, literarum alterum præsidium, prima sua decora urbs illa Rudolpho debet. Nec diu prodere laudatissimus Princeps distulit, unde potissimùm immortalem sibi gloriam confectam vellet. Vix sextum ad decimum annum addiderat, jam in pulcrum Fundatoris nomen, quod illi præterea grati animi ergò fama adjecerat, ire occœpit. Divinæ, ùt ipse in literis suis ait, adversùm se beneficentiæ memor, & suorum exemplo incitatus à Patre postulârat, ut conclave, in quo primos vitæ annos exegerat, OO. SS. honoribus dicatum, in sacellum verti admitteret. Delectatus multùm liberali in Cælites filij ingenio suópte euntis, quò ductum volebat, Albertus prolixè annuit. Mox ille omni conatu ad ordinandam ritè fabricam incumbere, ornamenta, splendorem, quantum maximum posset, accersere, fundis, ære, annuísque fructibus locupletare, ministrorum justum numerum designare; honori quietíque eorum cavere, statutis in illos pœnis, qui incommodare ausint. Sanctorum Exuvias undique conquisitas eò inferre. Pontificem denique Innocentium VI. eò usque solicitare, donec Collegiatis, ùt vocant, Ecclesiis accensam potestate Archiepiscopi Salisburgensis, & Episcopi Patavienſis eximeret. Et visum Papæ est egregios igniculos impensè fovendos; datis Avenione II. Kalend. Januarij Anno MCCCLVIII. ad Episcopos Gurcensem, & Lavantinum, ac Abbatem Scotorum literis, quæ Dux postulârat, fieri imperat. Rudimenta hæc fuere principis, haud multò pòst majora molituri.

Rudolphus OO. SS. Ecclesiam Collegiatam intra Palatium instituit.

Dum Fundatoris titulos domi, Magnanimi laudes alibi merebatur, Anno LVII. menſe Septembris in ſuperiorem Germaniam cum conjuge Catharina abiit; à Carolo IV. Cæſare, ſocero, per Alſatiam juris dicundi prætor renunciatus, ab Patre Auſtriacæ ditionis provincias ad Rhenum Gubernare vicaria poteſtate juſſus, ut ſenſim uſu condocefactus ampliorem olim rempublicam non tyro tractaret. Sueviâ, Alſatiâ, Rhenóque peragrato cordati ubique, & veterani Rectoris nomen abſtulit. Prætura ejus primùm Rhinfeldenſibus profuit, quorum agros Henricus Hohenbergicus crebris excurſionibus infeſtârat; hunc mox in jus citatum incuſſo armorum metu reddere injuſtè ablata compulit, & à vi deinceps abſtinere. Rappersvillam delato refertur, per Regis Joannis abſentiam in Anglia captivi Gallias à facinoroſis, Duce Arnoldo de Servola, turbari, templa, monaſteria, ſacros DEO homines indignis modis haberi, ſpoliari, everti; in ipſam adeò aulam Pontificis licentiam proditorum hominum graſſari; appellatósque jam ſæpius ab Innocentio Carolum Cæſarem, & Regem Joannem; ipſe, quamvìs non imploratus, ultro auxiliares turmas obtulit, quam voluntatem literis ad Ducem datis Innocentius dilaudavit. Eodem loco longiori tempore commoratus, obſervavit vicinam oppido Deiparæ Eremum, magna populi peregrè affluentis religione coli, in quam cùm acceſſus nonniſi per lacum interjectum pateret, nec leve, nec infrequens ab ventis, & fluctibus periculum navigantes adibant. Ergo peregrinorum commodo juxtà, & ſecuritati conſulturus, dignum pietate ſua, & magnificentiâ opus inſtituit, totúmque lacum, quantus Rappersvillâ. Hurdam usque per duo paſſuum millia porrigitur, ſublicio ponte conjungit, ſublicam ipſe primam ſua manu depangens. Néve publica iſthæc commoditas ejus cœnobij religioſis fraudi eſſet, quæſtum è naulo facere ſolitis, tum à vectigali, quod pontem tranſituri pendere conſuêſſent, omnes monaſterio ſubjectos immunes dixit, cùm Rappersvillanam eorum domum publicis oneribus abſolvit.

Sueviam & Alſatiã adminiſtrat.

Lacum in peregrinorum gratiam ponte inſternit.

De Patris morte nuncius affertur.

Auſtriaci fidem jurant.

Fabricæ pontis intento triſtiſſimus de Patris obitu nuncius affertur. De ordinum tamen fide ſecurus duos adhuc menſes reſtiterat, donec rebus Provinciæ ritè conſtitutis, totam Rappersvillanam ditionem quatuor, & ſesqui librarum millibus ab agnatis Habſpurgicis emptam Auſtriaci juris feciſſet. Alberto dein Bucheimio provinciis impoſito in Auſtriam eodem Anno LVIII. tetendit, indictísque in diem X. Kalendas Decembr. comitiis, ipſe ſolio ſubinde conſidens, diademate, ac reliquo Ducis cultu conſpicuus ordines Auſtriæ ſacramentum dicentes, in foro Ducali audiit; tum Palatina munia inter Proceres diviſit, quæ anno

ſequen-

sequente auxit, dicto supremo Venatorum per Austriam Præfecto Friderico Kreusbachio, additóque, quo munus cum dignitate sustineret, oppido Rapotonis, quod deinceps mutato nomine Jagerburgum appellari voluit. A profana ad sacram Rempublicam ornandam conversus, opus illud multò augustissimum, quod dudum animo informârat, aggreditur Vetere D. Stephani Ecclesiâ solo æquari jussâ, primus (quemadmodum ipse literis XIX. Julij consignârat eodem Anno LIX.) cum conjuge Catharina V. Idus Martij ligonem in terram defixit, primum lapidem VII. Idus Apriles in fundamenta celeberrimæ Basilicæ collocavit, cui annus demum seculi ultimus fastigium imponet. Fallitur adeò Fuggerus, sive dum inchoati operis gloriam Alberto Patri attribuit, sive dum manus à Rudolpho operi admotas grati animi ergò post obtentam Tyrolim affirmat.

D. Stephani Basilicam inchoat.

Postquam cælestem opem sibi insignis operis molitione conciliâsset, humanis præsidiis potentiam firmare instituit. Pragæ primùm Carolum Cæsarem convenit, beneficiariam Provinciarum hæreditatem postulaturus. Sed luis metu subsistere non ausus ad Ludovicum Hungariæ Regem Posonium se contulit; renovatis ibidem, in quas pater convenerat, IV. Nonas Augusti pactorum tabulis, reversus in Austriam, haud multò pòst Salisburgum abiit, quo jam sororem suam Margaretam, alteram, item Margaretam Maultaschiam, Luodovicum Bavarum, & utriusque filium Mainhardum appulsos cognôrat. Negotii summa isthæc erat: ejecto, quod aliàs insinuavimus, Joanne Bohemo Maultaschia Ludovicum Anno XLII. adscivit: pensi nil habens inflictam à Pontifice anathematis pœnam, matrimonio non sanè sterili interea usa, præter ceteros Mainhardum filium, edidit. Alberti primùm, tum eò defuncto, Rudolphi precibus placatus Pontifex, potestatem demum Ortolpho Salisburgensi contulit, si crimina detestati, pœnas etiam ab se susceptum iri sponderent, veniam ineundi matrimonii utrique Margaretæ, Mainhardo, & Ludovico faceret, quæ cùm præstitissent Rudolpho vade, & fidei sponsore, Monachij IV. Nonas Septembres, anathemate liberati, altera die magna populi gratulatione, Ludovicus cum Margareta Maultaschia, cum Austriaca Mainhardus Matrimonium, secundùm Ecclesiæ ritus iniere. A Ludovico, sponso filio nonaginta, à Rudolpho sorori sexaginta florenorum millia in dotem attributa; ipse verò à Maultaschia hæres Tyrolis scribi obtinuit, si ipsam, aut filium sinè liberis decedere eveniret.

Fœdus cum Ludovico Hungariæ Rege.

Monachij nuptiali festo sororis Margaritæ interest.

Ceteras quoque Provincias lustraturus mense Januario Anno LX. in Styriam transiit, exceptóque fidei Sacramento, &

In Styria juramentum ordi-

num excipit. probatis immunitatum tabulis, in Carinthiam festinavit, cujus aliqua oppida cum Frisaco, Villaco, Fano S. Viti palàm obsequium detrectâsse, in fide alia nutare audierat. Tumultus hos concitatos à Ludovico Patriarcha Aquilejensi ob veteres de beneficiariis lites, attractúmque in societatem Leopoldum Bambergensem argumento sunt induciæ, quas pridie Idus Martij ad S. Viti Dux cum ambobus pepigit ad VIII. Kalendas Januarij duraturas, ea lege, ut captivos quævis pars liberos abire sineret. Non itaque, ùt quidam scripsere, evocati ab Alberto adhuc Styriæ, Carinthiæque proceres Viennæ sacramentum Anno LV. dixere: jussi tum quidem ibidem adesse, non alio tamen fine convenerunt, quàm ut tabulas, quibus dividi provincias à filiis vetabatur, ratas ipsi quoque haberent.

Cæsari Clientelam Seveldij profitetur. Pacatâ hunc in modum provinciâ Cæsarem Carolum denuo accessit postulata, quæ anno superiore grassantis luis periculum interpellârat, repetiturus, editásque à Friderico I. anno MCLVI. tabulas exhibens, haud gravatè obtinuit, nè, quod illis decernebatur, extra Austriam Imperij beneficia reciperet. Itaque circa idus Majas Seveldium, quo in loco Albertum nuper inaugurârat, Cæsar se contulit, nec dies post multos fratres in Clientelares possessiones immisit, literísque XII. Kalendas Junij datis beneficium muniit. Veteri jam inde à Friderico privilegio Austriæ Ducibus ad hæc inaugurationis solennia diverso longè, ac aliis ritu venire licebat: ducali scilicet habitu, & qualem aliàs descripsimus, pileo conspicuis, manum præterea baculo instructis, & equo vectis vexillum, & gladius præferebantur. Hujus tum prærogativæ usu magna parte abstinendum Rudolphus censuit, sive quòd de hoc Cæsari id cupienti gratificari voluisset, sive quòd absentibus Imperii Electoribus, adstante duntaxat è primi ordinis principibus Ludovico Rege Hungariæ minorem conventûs celebritatem videret; néve tamen ea modestia sibi, filiisve fraudi secutis temporibus esset, publicis tabulis XII. Kalend. Julii Imperator cavit. Ab his Znoymam profecti pluribus pro Provinciarum quiete dispositis ad veterum legum formulam amicitiam stabilierunt.

Controversia Ducis cum Cæsare ob causam Wirtembergici. Sed ùt pertenui filo amicitiæ vincula inter Principes texi consueverunt, ea Eberhardi Wirtembergici causa non multò pòstrupit. Comes hic Sueviæ, & quibusdam Imperij urbibus præfectus licentiam quidlibet faciendi sibi arrogârat, non cives modò acerbissimis exactionibus, vectigalibus, teloniis exhauriebat, sed ipso etiam aut connivente, aut tuente impunè passim latrociniis, vi injusta regio premebatur, vocatúsque Norimbergam à Cæsare nihil admodum noxæ in ea licentia agnoscere, nec constringe-

re

re velle videbatur. Ruperto itaque Palatino mandatum, hominem armis ad officium compelleret; nè penitus ſua ditione excuteretur, Argentinenſis, Auguſtani, & Spirenſis præſulis precibus Carolus dedit. At Eberhardo in gratiam recepto, Rudolpho, quod illi clàm aut apertè faviſſet, bellum minabatur, quod tamen Dux tempore Eslingam ad Cæſarem excurrens à Provinciis ſuis averterat. Carò nihilominus eam pacem conſtitiſſe Rudolpho, quidam affirmant; verùm literæ ab utróque iis diebus ſcriptæ, integratæ amicitiæ citra ullam conditionem meminere. *Sopitur.* Sub idem tempus ſe ſe cum Fratribus jure omni, quod in Bohemiam, Moraviam, ceteras regni Bohemiæ poſſeſſiones, ſive dotis uxoriæ, ſive alio nomine obtinuiſſet, ſe abdicârat, donec è Carolo aut Joanne mares liberi ſupereſſent; literas inſuper in tabulario ſuo aſſervatas, quibus jus hoc tueri aliquando poſſet, redditurum pollicitus. *Pacta utrimq.* Iisdem penè verbis Carolus & Frater ditioni Auſtriacæ Nonis Septembris renunciârunt; in amicitiæ porrò ſinceræ pignus, fœdus ſanxerunt; conſilio, viribus alter alteri adeſſet, mutua ope ditiones ſuas augere, tueri ſtudeant; ſi Bohemiam, Moraviam, Poloniam hoſtis invaſerit, Rudolphus: ſi Auſtriam, Styriam, Carinthiam, Carnioliam, Marchiam Slavonicam, Portum Naonis, Carolus ad vim depellendam accurat. Urbes, caſtra, oppida, quæ ſocius occupabit, Domino reſtituet, ſpolia duntaxat illi, & captivos ſervare liceat; annonam viciſſim is, cujus cauſa agitur, ſubſidiariis cohortibus præſtet. Cæſarem comitatus Norimbergam Rudolphus id etiam impetravit, ut fidem obligaret: nullum ditionis Auſtriacæ ab ſe inter aulicos aut ſervitium invito inſcióve Duce admittendum, non præſtandum auxilium favorémve, qui actionem Duci moverit, aut ſe injuſtè oppreſſum queſtus fuerit. *Cæſaris in Ducem Benevolentia.* Judæos ex Auſtria profugos Bohemiâ quóque, & Moraviâ excludendos; eo deníque amicitiæ Anno LXI. progreſſi, ut nihil, niſi communi conſilio, acturos, admiſſo etiam in pacta Wenceslao, Caroli filio, pollicerentur, non prolem in matrimonium, non nomen in fœdus aliquod daturos, non expeditionem ſuſcepturos. Veteri Ducum prærogativâ nulli fas erat, ex Auſtriacæ gentis populo quempiam ad dicendam cauſam in tribunal Imperij evocare, ſive quod Rottvillæ, ſive quod in aula Cæſaris juri dicundo conſtitutum. Illi quoque privilegio ampliſſimo Diplomate Cæſar ſubſcripſit.

Aliam præterea conteſtandæ amicitiæ occaſionem Aquilejenſium motus præbuere; quippe cùm violatas ab ipſis inducias Cæſare ſponſore decennio abhinc pactas Rudolphus quereretur, Carolus omnes Eccleſiæ Aquilejenſi obnoxios III. Idus Auguſti hoſtes pronunciavit. Interea jam militem Dux collegerat, juſsúm-

que præcedere, ipſe cum fratre Friderico conſecutus exeunte Auguſto Goritiam cum quatuor millibus tenuit. Motísque indead Nonas Septembr. caſtris, Manſanum, Butrium ad deditionem adegit; octingenti alij plectendis Glemonenſibus immiſſi, quorum crimina non pauca fuere; quod Cluſam munitiſſimum Auſtriacorum inter Alpes caſtellum occupârint; Venzonenſes acerbè vexaverint; mercatoribus Auſtriacis bona ſua ademerint. Sociorum fortunâ territi Utinenſes, & Ludovicus Patriarcha, ùt urbem ſuam circumſideri vidêre, ad clementiam Ducis vertuntur: pacem ſupplicibus, qualem ipſe, & Cæſar dictaret, Dux promittit; ſed ea Ludovico anno altero Viennam profecto absque Cæſaris, jam diſſidentis, arbitrio in hæc capita coaluit: Præfectum quinquaginta armatis ſtipatum in Foro Julio tuendæ provinciæ, & juri dicendo Dux deſignet; Patriarcha caſtrum ab Rege Hungariæ nominandum tradat, ſtipendia perſolvat. Vindogræcium, Loſſium, ceteráque per Styriam, Carinthiam, Carnioliam, Marchiam Slavonicam, ac Charſtenſe territorium oppida Aquilejenſi Eccleſiæ obnoxia in Auſtriacos conferat; Cluſam, Manſanum, Haunbergam nuper Duci erepta recuperare ſtudeat, recuperata reddat; damnum interea quingentis libris ſarciat; captivis abitus pateat; ceterà mutua ope amicitiam poſthac teſtentur. Alter quoque hujus expeditionis inſignis fructus exſtitit arctior cum Mainhardo Goritienſi Comite conjunctio. Auſtriacos hæredes ſuos, & Filiarum tutores inſtituit, ſi Filiorum expers decederet, & Leopoldus Rudolphi Frater, Catharinam filiam uxorem optaret.

Expeditio Ducis in Forum Julium.

Ab Duce Goritienſi hæredes ſcribuntur Auſtriaci.

Eruperat inter Cæſarem, & Auſtriacos Anno LXII. bellum, niſi Pontificis ſolertia adhucdum ſub cineribus gliſcens præfocâſſet. Primæ ejus ſcintillæ ex Hungaria emicuere. Tacito dudum odio, unde concepto neſcio, Rex Ludovicus, & Carolus Cæſar diſſidebant; dubium, an erupturum eſſet, incendium aſpera dicacitate Cæſar ventilârat, Regis Matrem fœminam parùm pudicam calumniatus: excanduit Ludovicus, ùt par erat, ad injuriam matris; nec mulier, convitij ſenſu penè inſaniens, flammis oleum affundere deſinebat. Bellum continuò apparat; Rudolphum Principem, & vicinum, & amicum, & potentem crebris nuntiis ad jungenda arma excitat; at eum licèt offenſum violandi fœderis haud ità pridem percuſſi pudor retinebat. Conſenſit tamen, etſi timidè primùm; nè tamen nihil Carolo tribuere videretur, ſalvam legem voluit, qua Cæſari adversùm Hungaros militanti viros duodecim ſubmittere jubebatur. Auctis ſubinde diſſidiis, ipſe & Mainhardus Tyrolenſis operam nullis conditionibus ligatam Ludovico Ungaro, & Caſimiro Polono ulti-

Fœdus Rudolphi cum Hungaro adversùs Cæſarem.

ultima Februarii Posonii addicunt. At Budæ VI. Idus Martii in has leges jurârunt: spolia ex æquo dividerentur; arma qui altero invito poneret, perjurus haberetur. His quo RUDOLPHUM arctiùs illigaret, Hungarus alia adjecit, videlicet: Veteres de limitibus controversias octo arbitri communi approbatione, deligendi post bellum, finirent, si quas novas oriri contingeret, pace itidem non nisi composita discuterentur; Schwarzenbachium, Castrum Austriaci sibi vendicarent; ob novæ civitatis defensionem pecuniam aliàs pactam nè posthac Reges Hungariæ exigerent, nec nomina ea de causa pluribus jam annis facta Austriaci expungere cogerentur. Evanuere consilia simul, ac futuri belli fama ad Innocentium VI. Avenionem effluxit; missus continuò Ægidius Vicentinus Episcopus, scriptæque à Pontifice II. Kalendas Junii ad Austriacum literæ iram denique excussere.

Tyrolis accedit Austriacis.

Annus LXIII. nobilem Austriacis hæreditatem obtulit, multiplici quidem jure cernendam, sed armis tandem vindicandam. Tyrolim Anno seculi XXXV. beneficiarii jure à Lodovico Bavaro collatam, Laureacensi pacificatione anno altero Margaritæ permissam, ab eodem rursus, maribus suæ stirpis emortuis, RUDOLPHO Anno LIX. Monachii transcriptam suprà meminimus. Obierat hoc anno Meraniæ Idibus Januarii Mainhardus nullis è Margarita Austriaca liberis susceptis. Margarita Maultaschia defuncti mater, & ipsa ab Octobri Anni LXI. vidua, regimen continuò à morte filii aggressa novem è primoribus, quibuscum curas divideret, adscisit. Nec cunctatus audito Mainhardi excessu RUDOLPHUS per montes altis nivibus obsitos, multóque gelu adstrictos Bolzanum VII. Kalendas Februar. eluctatur, efficítque, ut in frequenti ordinum consessu in Monacensem formulam denuo Margarita juraret: Tyrolis & quæ in Bavaria juris sui essent, castrorum hæredem Austriam scriberet; procurationem tamen Provinciarum, fructúsque quoad viveret, sibi seponebat. III. Nonas Februarii in fœdus quoque à Mainhardo nuper Posonii cum Ludovico, & Casimiro Regibus ictum descendit. RUDOLPHUS, etsi verba duntaxat sibi data ægerrimè ferret, quibus insuper parùm fidendum censebat, non magis scilicet, ac mobile inconstánsque fœminarum ingenium esse consuevit, firmis, summa tamen in speciem voluntate subscribit; nè fœminam irritaret, recente iterum imperii gustu incensam, & tantò acriùs restituram, quantò impensiùs rogaretur, Tyroli ceu cui ad summam votorum nil defuisset, excedit; quamvis jam tum non multò pòst adoriendam denuo Margaritam statuisset. Nec in vanum cecidere conatus; multa, qua valebat, arte industriáque negligenti similis, & velut aliud agens Margaritam eò impellit, ut Provinciarum procuratione se abituram,

ſpoponderit, modò ità ordinibus videretur, ſtatuiſſéntque, quando, quibúsve conditionibus id factum oporteat. Adeò multis profuit calori ambitûs nôſſe moderari. Intenditur certè ſæpenumero frigidiore petitione benefaciendi ſtudium: ubi contrà Patronum poteſtatis ſuæ vel ipſo poſtulantis ardore admonitum vehementior contentio ad negandum provocat, dum datâ generosè repulsâ tantum ferè gloriæ offerri intelligit, quantum à collato beneficio conſecuturus erat.

Ordines cenſent certis conditionibus tradendas Auſtriacis Provincias à Margarita.

Coacto III. Idus Septembris ſenatu Proceres citra moram pro Rudolpho in hæc verba ſcivere. Tyrolim omnem quamprimùm Auſtriæ Provinciis inſerendam; caſtra quaterna Grieſſium, Ambraſſium, Montem S. Martini, & Steinium in Tyroli: in Bavaria Klingerium, Waſſerburgum, Kueffſteinium, Kitzpũchlam, Raherbergium Margarita retineret, unde aulam, familiam è dignitate ſua ſuſtineret; quibus Dux auri libras Bernenſes ter mille auctarium adjicit. Si à morte Margaritæ etiam in Boicas poſſeſſiones immigrare libuerit, nomina ab ea facta diſſolvere adipſum pertineret. Rudolphus, qui, utprimùm Margaritam flecti poſſe audiit, in Tyrolim advolârat, non ad conditionem modò omnem acceſſit, ſed nullis artibus, nullis officiis, quibus penitus fœminam caperet, pepercit, plura, quàm ſtipulati ordines eſſent, Margaritæ addicens; ut adeò ipſa hanc Ducis adversùm ſe humanitatem publicis literis dilaudaret. Iisdem porrò Meraniæ ſub medium Octobris datis donationem ſibi ratam primùm, tum Duces Auſtriæ cum nuru ſua Margarita, non Tyrolis duntaxat, ſed Boicæ etiam ditionis hæredes, fœdúsque ſibi æternum cum Auſtriacis fore renunciavit. Facilè ordines in eam ſententiam, quam ipſi nuper tulere, denuo ſcivere, dictóque continuò ſacramento Principem ſalutârunt.

Eas tradit.

Peractis ceremoniis Rudolphus ad ordinandam rempublicam oculos intendit: prima ei Tridentinæ Eccleſiæ cura, à qua diutius Comites antea diſſidebant; conventorum Leges XIV. Kalendas Octobris ſcriptæ fuêre. Promiſit Antiſtes, beneficia & Privilegia ab ſua Eccleſia aliàs Comiti Tyrolis concedi ſolita, ſibi quoque deinceps rata futura. Arma, ſi res popoſcerit, Rudolpho juncturum, niſi Papa peteretur; ſi quas controverſias ſe inter & ſubjectum populum naſci contigerit, amplexurum ſententiam, quam Dux Prætórve eis dictârit; munitiora loca non aliis, niſi qui Duci probati eidem fidem obligârint, creditum. Probavit inſuper, ut iidem à partibus Auſtriacorum ſtarent, ſi bellum ipſe moveret, eadémque lege ceteri Eccleſiæ Tridentinæ Clientes tenerentur. Dux viciſſim omnem Epiſcopi Alberti regionem adversùm injurias hoſtium ſe tuiturum ſpopon-

Rudolphus ordinat rempublicam.

pondit; haud minore propensione Petrus Curiensis clientelarem Comitum Tyrolensium ditionem contulit. His è sententia confectis ærarii rationes Rudolphus subduxit, cùm peculatûs reos quosdam Proceres comperisset, severè reprehensos censibus, & malè usurpatis fructibus multavit. In Austriam demum comitante Margarita Maultaschia, & altera Margaritâ sorore, utrâque viduâ, se retulit. Transigendum adhuc super Tyroli cum Cæsare restabat; implexum id non mediocri difficultate negotium initio videbatur, quod Ungarico fœdere nuper graviter irritatus eam vindictæ occasionem arrepturus avidè credebatur; etsi enim ab armis nuper Rudolphus hortatu Pontificis abstinuerit, non perinde Carolum placârat. Sed hunc quoque obicem Urbani X. infinita solertia, & Boleslai Svidnicensium Ducis dexteritas submovit. Stabant jam accincti ad pugnam in Moraviæ limitibus Bohemorum, & Ungarorum exercitus, cùm ab utroque Boleslaus sibi, & Casimiro Poloniæ Regi controversiæ arbitrium permitti impetravit. Concluſa cum Hungaro sub Anni LXIV. initium pace, pronior jam in generum Cæsar, Brunæ benevolè exceptum Tyrolis Ducem VI. Idus Februarii nominavit. Biduo pòst vetera de successione hæreditaria conventa hinc Carolus Cæsar, Wenceslaus & Joannes Moravus, inde Rudolphus, Albertus, Leopoldus, & soror Margarita innovârunt. Videlicet ut Luccemburgensibus emortuis hæreditatem eorum Austria-ci: si hi, & Regium Ludovici genus defecerit, vicissim Bohemi relictas Provincias occuparent; suis tamen Legibus quisque populus vivere permitteretur. Atque his pactis præter Electores, Proceres Austriæ, Styriæ, & Carinthiæ VII. Kalendas Martii subscripsere.

Viennam redit cum utraque Margarita.

Cæsar confirmat abduationem Margaritæ.

Pacta renovat cum Austriacis super successione in Bohemiam.

Nondum tamen tot Legum, fœderum, juris repagulis Tyrolis possessionem Rudolphus obmunierat, quin Duces Bavariæ perrumpi posse sperarent. Ludovicus quidem Romanus Brandeburgiæ Dominus, & Otto frater, uterque Bavarus scriptis Budissinæ in Lusatia VIII. Idus Majas tabulis nihil sibi juris posthac in Tyrolim esse voluerunt. Suum quoque Albertus III. Goritiensium Comes Mainhardo Tyrolensi proavo natus Rudolpho detulerat. At Albertus alter Bojariæ Dux cum Fratre Stephano, & hujus Filii, Stephanus Fridericus, & Joannes immani opimæ hereditatis cupiditate deflagrabant, spoliatos se per summam injuriam clàm, palàm lamentabantur; hæc in frequenti procerum consessu Landishuti celebrato exagerata oratione occinunt, bellum denique ut cerneretur, extundunt. Norimbergensis, Nassovius, Schwarzenburgius, Orlamundanus, & Steinius Comes in partes Bavarorum se dedere; Pilgrinus Pucheimius, Salis-

Bavari bellum ob Tyrolim movent.

burgenſis Antiſtes Auſtriacos amplexus, uti Bavariæ propior, ità gravior finibus incubuit; quem ut à ſpargendis ultro incendiis (magna ſiquidem pars regionis jam arſerat) averterent, Muldorfium obſidione cinxere ab Ulrico Weiſſenekerio ſtrenuè in tertium Menſem defenſum, donec collecto interea milite Auſtriaci Riedam aſſilirent. Ejus oppidi amittendi metu ad propria tuenda revocati omiſſa properè obſidione in RUDOLPHUM ducunt ſpe freti, fore, ut manus conſererent. At RUDOLPHUS, quod unum volebat, Muldorfium liberâſſe contentus audito Bavarorum adventu, & ipſe vaſa conclamari juſſit, cladis tamen aliquid in receptu paſſum ſcribunt quidam. Nihil non Ludovicus Rex Hungariæ utrique genti amicus egerat, quo concordiam perſuaderet, ægrè primum conſecutus, ut in inducias à die antè Idus Septembr. ad IX. Kalend. Majas alterius anni conſentirent. Cùm ceſſatione armorum iram, & cupiditatem langueſcere fruſtra ſperâſſet, eas ad VIII. Kalend. Julii extendi multo labore obtinuit. His elapſis non ultro Bavari cohiberi ſe paſſi totis viribus in Tyrolim aſpirant: Rottenburgum Bavarici juris, & dotale Margaritæ caſtrum nullo negotio patuit, reſeratis proditione Kundelspruggeri loco præfecti portis. Rottemburgi caſum Kuiffſteinium, Kitzpüchla ſecuta, vallis Oenana propè omnis direpta, & Bavarorum ſignis inſeſſa: Oenipontum & Hala dumtaxat hoſtem excluſere.

Inducia procurante Ludovico Rege Hungariæ.

Reſumptis annis penetrant in Tyrolim.

Vallem eadem celeritate, qua amiſerant, Auſtriaci recepere; Caſtra tamen ſuprà nominata cum Schlosberga, Landeggio, & Matriano in manibus hoſtium relinqui oportuit præcipite jam in hyemem autumno. Dum reſtinctum jam mutuis damnis rixantium ardorem Ludovicus credidit, denuo operam luſit. Pacem iteratò inculcanti id demum indulſerunt, ut paucorum dierum inducias, à Nonis Octobris ad IX. Kalendas Maji ejus interceſſioni dediſſe viderentur, quas alioquin hyems imperabat. Major jam erat ambientium cupiditas, quàm ut fruſtrari ſe ullis conditionibus ſineret; præſertim cùm è lætis initiis felicis eventûs augurium jam cepiſſe ſe pro certo haberent. Nihil tamen inde ſegniùs, ac illi novæ ditioni, Ludovicus Pacificatoris gloriæ inhiabat, quam etiam Anno LXIX. obtinuit, utráque parte tot levium pugnarum, & ignobilium ferè excurſionum (his enim tota expeditio finiebatur) pertæsâ: tertio itaque Kalendas Octobr. his ſibi legibus quietem imperârunt. Tyrolenſem Comitatum omnem cum Caſtris Schlosberga, Landeggio, & Matriano Auſtriacis reſtitutum iri, ab Joanne Duce Catharinæ Goritienſis ſponſo jure omni, quod uxor in eum comitatum allatura videretur, cedendum. Ejus quippe hæredem non modò nuper Mainhardus Pater, ſed & Filius Albertus Catharinæ Frater Ru-

Pax inter Auſtriacos & Bavaros.

DOLPHUM, VIII. Idus Junias Anno LXV. renunciavit. Ab Austriacis centum sexdecim florenorum millia ærario Bavarico inferenda; Schardingam, pignori ab Alberto Bavaro Anno LVI. ob sexaginta florenorum millia oppositam reddendam; ab iisdem tollenda nomina, ob quæ Kuiffsteinium, Kitzpüchla, aliáque Margaritæ Seniori obnoxia; captivi remittendi. Hæc porrò, etsi non nisi quarto post RUDOLPHI mortem anno evenerint, huc tamen, quoniam ad idem bellum pertinerent, conjicienda putavimus, meliùs facturos rati, si majorem rerum gestarum, quàm temporum rationem haberemus.

Allabebatur interea Annus LXV. RUDOLPHO fatalis: Viennensi urbi, nisi eum Mors Principis funestâsset, inter candidissimos numerandus. Siquidem Dux vel inter belli curas ornandæ Austriæ intentus, hoc demum anno, quod dudum antea statuerat, effecit. Præsagum mortis hucusque distulisse consultò diceres, ut gemino pulcherrimo operi immoreretur. Alterum erat illatum urbi Canonicorum Collegium, quod, quemadmodum narravimus, in Palatii sacello initio collocatum, cùm locus justo angustior videretur, ad ampliſſimam Divi Stephani Basilicam, nuper ab se cœptam transtulit; alterum Academia fuit. Extabat Viennæ ludus literarum multis jam retro annis apertus. Locus ejus prope D. Stephani: quæ initia, & quarum tum scientiarum tractatio usitata, incertum. Fridericum II. Anno MCCXXXVII. quo post edomitum Fridericum Bellicosum Viennæ versabatur, ejus authorem esse Lazius è diplomatis elicuisse se putat. Verùm ùt Steyerero videtur, sat infeliciter.

Rudolphus Academiam, & Canonicorũ Collegium ad D. Stephani Viennæ instituit.

Nunc verò RUDOLPHUS assignatis prope FF. Minorum Cœnobium ædibus Academiam instituit. Probavit Ducis consilium Pontifex Urbanus V. Divinam duntaxat scientiam doceri tum vetuit, sed id quoque ab Urbano VI. Neapoli cõmorato Anno LXXXIV. X. Kalendas Martii Albertus Frater impetravit. Postquam illustria hæc immortalis nominis fundamenta Viennæ jeciſſet, in Insubriam abiit mortem oppetiturus. Causa itineris nova cum Bernabove Mediolanensi Regulo affinitas, cujus Filiam Viridam sibi Leopoldus desponsârat, finitísque planè per eos dies nuptiarum tractatibus centum florenûm millia dotis nomine Pater, sponsæ verò maritus Labacum, Crainburgum, & Lithopolim assignârat. Fratris subinde socerum allocuturus RUDOLPHUS Mediolanum multo procerum comitatu tetendit; ea in urbe non diu commoratus, ardenti febri corripitur; paucorum dierum morbo ad extrema redactus VI. Kalendas Augusti vitam posuit. Cadaver ibidem in æde D. Joannis ad Concham dicta depositum; non

Mediolani moritur.

non multo pòst Viennam revecto mœsta Conjux IV. Nonas Decembris justa persolvit. Monumentum ejus & uxoris hodiedum ad D. Stephani juxta aram à Sanctissimo Sacramento nuncupatam visitur; ossa in medio cryptæ pelle quadam, & panno aureo involuta, manus è sublimi porrecta, intento in hæc verba digito: Hìc jacet fundator. commonstrat.

Ejus uxor. Liberos nullos, uxorem unicam (nam duxisse Maultaschiam somnium est) habuit Catharinam pietate, clementiâ, morum Elegantiâ multùm commendatam. Pacis inter RUDOLPHUM, Ludovicum Ungarum, & Cæsarem Anno LXIV. plenè compositæ gloriam Principes ipsi suo testimonio Catharinæ adscripserunt. Basilicam D. Stephani unà cum Marito ornandam suscepit. Nata est Anno MCCCXLII. Patre Carolo IV. Cæsare tum adhuc Marchione Moraviæ, & Margarita Blania Matre Caroli Valesii filia; matrimonium Anno LVII. cum RUDOLPHO Viennæ, Mense Julio præsente Carolo Cæsare iniit. Decies septies mille, & quingentis florenis, quos Pater in dotem assignârat, Laham, Eggenburgum, & Greitschensteinium Albertus Sapiens opposuit, unde singulis annis mille quinque florenos colligeret, ea tamen lege, ut restituta ab Austriacis dote nihil juris in oppida Bohemis esset, si liberos Catharina non ederet. A morte Mariti oppidum S. Bertholdi ab Alberto socero extructum, incoluit. VI. Kalendas Majas Anno XCV. è vivis abiit juxta maritum tumulata. Qui alteris nuptiis innexam Ottoni Bavaro, Brandeburgiæ post Ludovicum Fratrem Domino, scribunt, non meliori id fide asserunt, ac qui Maultaschiam RUDOLPHO conjungunt.

Historicorum de morte Rudolphi varia narratio. Quænam præmaturæ mortis causa RUDOLPHO extiterit, non eâdem omnes narratione exponunt; morbo, ùt diximus, alii, alii veneno hausto obiisse existimant. Haselbachius ità refert. Potestatem, qua plurimùm in dæmones valeret, Clericorum quispiam jactârat, periculi faciendi gratiâ RUDOLPHUM secum sylvam Viennensem versùs die quadam deduxit; ubi ad montem Gluttenhoffenium ventum esset, circulóque sese inclusissent, confusum murmur velut responsa edentis genii audiri cœptum, tum multam scintillarum vim per aërem apparuisse. Hìc Ducem fraudis fortè latentis suspicio incessit, obtestante nequicquam clerico, sese circulo ejicit, locum præstigiarum coràm inspecturus. Deprehensâ intra foveam vetulâ follium flatu prunas solicitante in furias actus, ipsam cum impostore culeo insutum in fluentem præcipitari è vestigio imperat, nec tantillâ temporis morâ, qua scelera expiaret, flagitanti impensè clerico admissâ. Miser ejus cruditatis impatiens ad divinum tribunal provocat:

cat: risu tum quidem adstantium excepta appellatio, altero tamen pòst Anno Rudolphus vivis excessit. Felix Malleolus reum illum nobilem quendam virum extitisse: alii non aquis mersum, sed securi percussum affirmant; quæ quidem varia adeò scriptorum narratio, sed ante omnia nota Rudolphi pietas dubitare non sinit, fabulæ quidpiam subesse.

Rudolphi pietas, & munificentia.

At calumnia ab eo, qui Chronicon Salisburgense supplevit, impacta se sua atrocitate ipsam jugulat: Rudolphum ille juratum Clericorum hostem nuncupat, quos diris exactionibus exhauserit, annua pro defunctis statáque sacrificia impediisse. Auditum non rarò dixisse: si secum Principes ceteri conspirârint, Ecclesiasticis universim pellem detracturum; se Papam, se Archiepiscopum esse. Mirum sanè Principis ingenium, si, quos pelle sua exutos optabat, opimis tamem sacerdotiis, honoribus, apparatu vestium, qualem longè splendidissimum à Canonicis ad D. Stephani adhiberi voluit, cumulârit. Quî verò piacularia sacra damnâsset, quæ pro se, & Conjuge quotannis ad Cellas Marianas perpetrari ultimo vitæ anno, III. Kalendas Februarii imperavit? Aliter de Rudolpho Haslbachius, à quo ferè sequentia mutuati sumus; Ecclesiasticorum Patrem, & quo non alter Divinum cultum ardentiùs promoverit, appellat. Sanctorum Lipsana multo studio conquisita, non vi, ùt Salisburgensis calumniatur, erepta, auro argentóque vestiri antè curârat, quàm aris inferret; divino officio ipse crebrò modico comitatu stipatus nocturnis etiam horis adfuit, atque ut ritè decentérque peragerentur, impensè urgebat. Præter Divi Stephani Basilicam, Cœnobium S. Augustini religiosis Fürstenfeldæ in Styria inferiore, alterúmque Judenburgi in Styria superiore condidit. Extra Viennam in suburbio ab Argilla dicto viginti Viginibus, è Divæ Claræ ordine alendis asceterium extruxit. At illud, nè Turcæ obsessæ urbi inde incommodarent, Anno MDXXIX. funditus eversum nè ruderibus quidem hodie se prodit.

Magnanimitas.

Impavidum ejus animum Haselbachius hoc argumento demonstrat; quod sibi à viris authoritate gravibus relatum non semel testatur. Invitatus à Cæsare Carolo Pragam Rudolphus (annum silet) se contulerat, in intimum conclave deductus Cæsarem militum globo circumdatum offendit, rogatúsque, eccur se accitum crederet? cùm sibi id ignotum respondisset, Carolus subjicit: captivum custodiri posthac te jubeo, nè te opponere ausis, teneris: ratus nempe inopinata denunciatione perculsum iri. At ille nec minis, nec armatorum, qui haud procul Rege constiterant, aspectu territus, ceu audito classico

defenſionem momento parat; non citiùs Carolus finierat, quàm Rudolphi gladius fulſerit, altera manu in veſtem ejus injecta, altera in ictum ſuſpenſa, mucronéque in pectus obverſo, antequam feriret, torvis oculis ſocerum alloquitur. Falleris Cæſar! ſi te Rudolpho vincula injecturum ſperas; exanimem antè ſolutúmque corpore, quàm in cuſtodia videris; priùs ego hoc enſe latus tuum hauriam, alterúmque dein funus non invitus tuo incumbam; ſimul converſus ad milites, quos primùm attonitos, nunc collectis animis, Carolo opitulari velle conſpexerat, vultu, unde facta verbis haud dubiè reſponſura intelligerent, minatur: eo momento, quo vel latum unguem, pedem loco moverint, ſeſe in vitalia Cæſaris enſem immerſurum. Ipſum adeò Carolum metus ferè exanimârat, ut ſiſtere gradum prætorianos juberet, blandéque Ducem allocutus factum excuſaret, animúmque ſuum nequaquam verbis conſentire, ſimulatas minas fuiſſe; propoſitum ſibi duntaxat experiri, an in repentinis periculis ſuus ſibi gener conſtaret. Suſpicio tamen erat Carolum Auſtriam Transdanubianam hoc dolo extorquere conatum; ſimul ad convivium ſequentis diei invitat. At Rudolphus non priùs dimiſſo è manibus, quàm ſecuritatem juratus addixiſſet, Cæſare, nihilo ferè è Caroli, quàm fortè metu expreſſam intelligebat, modeſtia placatior; equidem ſi virtutis edi à me documentum adeò avidè expectâras, cur intra conclave exceptum inſidiis, tot armatis velut indagine cinctum, non adversùs vim, ùt oportebat, munitum aggrederis? Virtutis militaris arbiter apertus campus eſt: prandere tecum non abnuo, at tu domi meæ conviva prior eſto, inde intelligam, à te nihil dolo malo adversùm me hodie tentatum. Narrat ultra hæc author: recepiſſe Cæſarem ſe venturum; ſevero tamen mandato inhibuiſſe, nè quis ligna carbonésve Auſtriæ Duci venumdaret; à Rudolpho nihilo ſecius coëmptis nucum corticibus epulas regali luxu inſtructas, ipſum verò clàm omnibus nocte concubia cum paucis Pragâ elapſum continuis itineribus ad Ludovicum Regem Hungariæ properâſſe, ut eum injuriæ vindicem ſibi adjungeret. Carolum ſubinde de inuſitato ignis pabulo edoctum, cùm altera die, ut rei inſolentiam coràm inſpiceret, ante horam prandii in Ducis ædes acceſſiſſet, ejus abſentiâ conſternatum literas in menſa reperiſſe, quibus ad ſingulare certamen à Rudolpho provocabatur. Sed hujus fabellæ fides penès Autorem eſto. Simillimum quid Veronæ inter Cæſarem Fridericum II. & Fridericum Bellicoſum Auſtriæ Styriæque Ducem accidiſſe narratur ab aliis, unde mutuatus Haſelbachius ingenioſum focum ex Italia in Bohemiam tranſtulerit.

Latas à Judicibus ſententias curatè ipſe perlegebat, atque ſi ratæ ſibi eſſent, depicto in utroque tabularum margine Crucis ſigno, non nomen, ùt mos ceteroquin obtinuit, ſuum, ſed has voces: Hoc eſt verum. ſubjiciebat, ut ſibi probari, quæ ſenatui placuiſſent, perſpectáque eſſe magìs diſertè teſtaretur. Fama eſt, arcanas notas ipſum ſuo ductu ingenióque excogitâſſe, quibus graviora negotia cum abſentibus conſiliariis communicârat, mandata ad Duces Præfectósque perſcripſerat. Profundi ingenii acrimoniam, artium, quibus alii utiliùs ſæpe, quàm honeſtiùs uti conſueverunt, non indocilem, multus animi candor exerrare non ſivit; id decus velut ſibi proprium, ſi Fugerus bene divinat, vulpis imagine expreſſum voluit, cui ſubſcriptæ voces legebantur: Inſipiens ſapientia. Ad liberalitatem dignámque ſuis proavis magnificentiam ſuapte pronus, ſplendidâ Pompâ mirè capiebatur. Palatini Archi-Ducis titulum à Friderico I. Cæſare collatum primus uſurpâſſe, ſignísque, ac literis inſcripſiſſe certum eſt. Vultum ejus ſic Haſelbachius expingit: fuiſſe latiore facie, bile crebriùs ſuffuſa, nigrâ barbâ, ſed rariore; oculis paulò majoribus, mediocri mento. Denique, nè, quo Rudolphi magnanimitatem ſibi plenè expreſſiſſe videbatur, omittamus, ait: aut Auſtriam elaturus ad ſydera, aut in ruinam acturus fuerat, ſi vitam ultro produxiſſet.

Juſtitiæ cura.

Symbolum.

ALBERTUS III.

Dictus cum Trica.

DUX STYRIÆ X.

Annus natalis Alberti & Leopoldi fratrum.

QUo Anno ALBERTUS, Fratérque ejus Leopoldus primam lucem aſpexerint, reperire nondum licuit. Annum ſeculi LXV. ætatis ſibi decimum ſextum ille: hic decimum quartum fuiſſe teſtatur literis XIX. Aprilis exaratis, queis Waidhoffenſem Eccleſiam Rudolphus Patavino Epiſcopo pro Viennenſi ejus poteſtati exempta tradidit; unde conficias, ALBERTUM aut poſt. XIII. Kalendas Majas Anno Seculi XLIX. aut ſequente ante eum diem editum. Leopoldum verò eodem dierum ordine aut anno LI. aut LII. natum. Ambos fratres altero ab obitu Rudolphi anno ad Cæſarem clientelam, ut conjicere licet, profeſſuri abiere; ſiquidem diplomati Pragæ à Carolo edito eo tempore ſubſcripti leguntur.

Lis inter Epiſcopū & urbem Paſſavienſem ab Alberto componitur.

Vix annus effluxerat, quo reipublicæ procurationem adiit, impensâ Eccleſiæ Patavienſi operâ ipſa regiminis initia penè conſecravit. Fatale jam diſcordiis nomen Auſtriacorum eſſe cœperat, à quo Albertus II. tot confectis feliciter pacificationibus inclaruit, ut jam Auſtriaco arbitro dirimi lites paſſim diſſidentes optarent. Fervebat Anno LXVII. controverſia ALBERTUM III. Epiſcopum inter & cives Patavienſes pertinaci utrinque ſtudio agitata, nec finienda, niſi acie decerneretur, videbatur. Quin prælium revera ad Haffnercellam commiſſum, & cruentam victoriam reportatam à Præſule Bruſchius aſſerit: cauſa diſſidii extitit ALBERTI in tuendis juribus ſolertia. Impetrârat is non modò anno proximè elapſo Eccleſiam ſuam in tutelam à Cæſare recipi, ſed nunc etiam Ottonis III. diploma ratum haberi. Eo porrò urbs, vicinúmque territorium, Cæſari aliàs obnoxium, Epiſcopi poteſtati ſubjiciebatur. ALBERTUS jus ſuum perſecutus, jure jurando ſibi fidem addici poſtulat; hanc prærogativam ſuam eſſe Magiſtratus civicus contendit. A verbis ad ſcuta convolant, nec jam ditionem duntaxat Patavienſem, ſed vicinam Auſtriam armati percurſant; id præcipite furore conſecuti, ut tanto citiùs ALBERTUS ab Epiſcopo imploratus in fœdus ad D. Hippolyti


ALBERTUS
Com Trier.
Non sine Pierijs exercuit artibus arma,
Gaudet enim virtus testes sibi junger Musas. Claud.
Christ. Dietell sculpsit Gracy.



polyti Fanum, XVI. Octobr. deſcenderet, conditionibus civitati ſanè non lætis, quibus nempe ſibi pacem Præſul niſi è conſilio aſſenſúque ſociorum tractandam interdixerat; à ducibus dimidia bonorum parte Cives ſpoliari licebat, quo ſibi de damnis illatis ſatisfacerent; ſi bello in longius tempus extracto hæc non ſufficerent, bonorum virorum æſtimatione plura conceſſum iri ſpondebatur. Arbitri porrò Ulricus Comes Schaumbergicus, Eberhardus Waldſejus Auſtriæ ſuperioris Præfectus, & Eberhardus Dachsbergicus jubebantur. Fregerat Auſtriacæ potentiæ metus, & propoſitæ à Cæſare proſcriptionis tabulæ feroces Paſſavienſium ſpiritus. Miſsâ Viennam legatione omne litis arbitrium ad ALBERTUM deferunt, ſcriptísque XVII. Decembris literis, quidquid Ducibus videretur, ſibi ratum fore promittunt; nil ab ſe moræ futurum, quin ad Divi Georgij diem ſaltem ſimultatum finis exiſtat. Operam præterea daturos, nè unquam tutelâ Ducum indigni videantur; poſtquam & Epiſcopus paratum in concordiam animum commonſtrâſſet, has leges arbitri propoſuere: poſitis continuò armis cives ad obſequium redirent; decem librarum millia Præſuli numerarent; ſuo ipſos ſigillo uti fas deinceps eſſet; Conſules Magiſtratum ſuum ſibi, ſed rogato Epiſcopi conſenſu, crearent. Ne verò mota ſeditio illis impunè abiret, tribus ùt Hundius, & Bruſchius, aut ùt Shritovinus, triginta ſelibrarum millibus Epiſcopo pendi juſſis Cæſar multavit; ex hac diſcordia ſibi Auſtriaci unicam Pacificatorum gloriam ſepoſuere. Altera, quæ comitem Eggonem, & Friburgenſes colliſerat, lucri etiam aliquid attulit. Multa Eggo adversùs Cives avarè, & per vim egerat, atque cùm ij fruſtra Cæſari ſæpius queſti, clàm fœdus cum Baſileenſibus, Briſacenſibus, Neoburgenſibus, & Bernatibus agitâſſent, noctu tranſcenſis furtivè muris urbem occupare moliebatur; poſtquam detecto ante diem conſilio, non tantùm urbis irritus, ſed amiſſa etiam, quæ urbi dominabatur, arce Burchaldio abſcedere coactus fuiſſet, non modica clade Endingam obſidentes rejecit. Ea pugna vicinorum Principum, & Conſtantienſis præſertim Antiſtitis ſolicitudinem excitârat, ut ad reſtinguendum, antequam ſe ultro explicaret incendium, confeſtim accurrerent. Apparuit inter ipſa tractatuum initia coalituram nunquam bona fide Cives inter, & Comitem amicitiam. Decretum itaque: Eggo receptis duodecim florenorum millibus Friburgum Agnato Auſtriaco cederet. *Friburgum Auſtriacis accedit.*

At enatam domi diſſenſionem non ſanè è re Auſtriæ Fratres compoſuerunt. Tacitis primùm æmulationibus utriusque Ducis Aulici diſſidebant, atque, quemadmodum evenire frequenter conſpicimus, ut, quorum conſiliis ordinare rempublicam

consueverunt, eorum studiis persæpe, & animos suos imbui, miscerique principes patiuntur, inter ipsos adeò Duces sese simultates insinuabant. Antequam vetus animorum conjunctio dissolveretur penitus, proceres quidam Authores Leopoldo fiunt, ut Fratre Viennæ relicto tantisper in Ergoviam secederet. Tum ALBERTUM, qui utì ætate provectior, ità potestate prior Provinciis juxta legem hactenus receptam præerat, multis argumentis aggressi, ut cum fratre ditionem partiretur, postulant. Id quidem legi Patris adversari, at leges in reipublicæ salutem condi; antiquari posse, & debere, ubi pernicioſæ esse cœperint. Evertendæ certè reipublicæ machinam non esse adhuc validiorem inventam Fratrum Principum discordiâ; nè ea propediem admoveatur se magnopere vereri. Præfocata esse in semente mala, si suæ quisque parti imperitet; accidendam quidem hac ratione singulorum potentiam, utriusque tamen minorem non fore. Satiùs profectò esse partem decerpi, quàm intestinis tumultibus enervari totum, atteríque. Persuadent denique, ut ALBERTUS Austriâ, Styriâ, Carinthiâ vicinísque regionibus contentus Alsatiam, & quidquid in Suevia & Helvetia Austriacis paruit, Leopoldo attribueret; Tyrolensem Comitatum velut in medio oppositum communi potestate administrandum servârunt; quo verò anno id factum, mirè variant scriptores: quidam in sexagesimum quintum, alii in sequentem referunt; at Hagenius quidquid provinciarum erat, aliquot annis ab ALBERTO administratum affirmat. Anno LXVIII. Leopoldum Viennæ commoratum hospitio excepisse Carolum Cæsarem in comperto est, quippe ejus, & ALBERTI nomen inscriptum diplomati legitur, quo vetera Ecclesiæ Romanæ jura Imperator, III. Idus Apriles Viennæ salva esse integráque jussit; itaque si à divisis Provinciis continuò in suas, út passim narrant, abiit, quinquennio abfuturus, ante annum LXVIII. nullam Duces divisionem fecere.

Prima Provinciarum Austriacarum inter duos fratres partitio.

Perruptis semel saluberrimæ legis repagulis secundò & tertiò partitionis tractatus resumuntur; miram fratris felicitatem, & ardentius pacis studium, cujus gratiâ nihil non amplecti videbatur, nupero eventu Leopoldus cognôrat. Elapsis quinque annis de divisione expostulat, æquabilem non fuisse; tot liberis, quos suscepisset, è dignitate alendis non sufficere: ALBERTUM, cui paucióres essent, minore censu vivere haud ægrè posse. Accessêre & Procerum vota, qui regi ad tempus saltem à Leopoldo etiam Austriam optabant. Græcium itaque ALBERTUS se conferret, Styriam, Carinthiam cum adsitis provinciis gubernaturus. Nondum hic variandi finis. Iterum Leopoldus prolium suarum numerum occinere, locupletiorem se Patrem quàm Principem que-

Secunda divisio.

ri,

ri, ALBERTUM fertilioribus Regionibus imperare, qui tamen conjugio minimè fœcundo utens multitudine prolium non laboraret. Proceres etiam non multò pòst pacificum iterum præ bellicoso, qualis Leopoldus erat, Principem respicere; in judicium denuo nuperna conventa revocantur, partitionis formula recuditur adnitente præsertim Meissovio, & Liechtensteinio, VII. Kalend. Octobres Anno LXXIX. tertiò his legibus patrimonium Claustro-Neoburgi herciscuntur: Styria, Carinthia, Carniolia, Marchia Vindorum, Tyrolis, Valis Athesina, Alsatia, ditio Sueviæ, & quæ alia cum centum florenorum millibus Leopoldi sunto. Neostadium præterea, Clamium, Schadwiennam, Neokirchium idem obtineto; castra verò oppignorata Starenbergam, Buttenum, Terenbergum, Schwarzbergum, Guttensteinium cum utraque Austria, Styrensi dynastia, Ischlandia, Halla, ALBERTUS recipito; eadem hæredum, donec superstint, quæ nunc Patrum portio esto. A comitiis ALBERTUS Viennam, in Sueviam Leopoldus discessere. *Tertia divisio.*

Sartam quidem omnes integrámque fratrum concordiam optabant, quacunq; tamen arte potiùs animorum conjunctionem reparari, quàm distractis Provinciis voluissent: commutatum veriùs in aliud non levius, quàm sublatum hac medela malum plerique sentiebant. Certè ùt quisque magìs cordatus, ità minùs probabat consilium tot funestis exemplis damnatum, gnari, id magnæ ditioni in diversos Dominos tributæ evenire, quod grandi flumini in plures alveolos derivato. At nullum argumentum luculentiùs perniciem consilii demonstravit, quàm quòd id æmulus prolixè probârit. Refert enim Haselbachius: ubi sibi partitionis tabulas sua authoritate firmandas offerri Carolus Cæsar conspexisset, attonitum, simul insolente lætitiâ gestientem exclamâsse: Bonum factum superi! quod tot annorum meditatione procudi à nobis non potuit; id tandem hodie nos consecutos videmus; enervandæ dudum, extenuandæque Austriacorum potentiæ frustra studuimus: pro rima, quam quæsivimus, hiatum ipsi immanem aperiunt. Non opus jam gladiis nec artibus, postquam suis se pactis ultro conficere occœperunt. Sed ceciniſſe triumphum ante victoriam secuta paulo pòst, & ea, quæ vivimus, tempora abunde loquuntur, evigilante nempe pro ea gente, cui rediturum postliminio Imperii coronam destinârat, DEO, ut junctis denuo Provinciis par tuendæ dignitati potentia accederet. *Caroli Cæsaris de divisione dictum.*

Neque tamen nihil malorum interea in rempublicam invectum est, postquam divisæ Principum vires minùs timeri cœpissent. Sunt qui latrocinia, & rapinas ea ætate penè in usum abiisse scribant; multam certè operam, magnámque temporis partem *Alberti in grassatores expeditio.*

in exſcindendis graſſatorum receptaculis ALBERTUS poſuit. Caſtrum Schönbergium, & alterum Gruebium, nondum adeò, ùt putârant, infirmum prima ſenſere ALBERTUM; inde ejusdem nominis Comes, hinc Puecheimius Auſtriæ Dapifer vicinam regionem excurſionibus infeſtam habuere. Acceptis deditione munitionibus, domini vitam deprecati veniam obtinuere, ceteri furcâ crimina luerunt. Recenſet cum aliis hanc expeditionem Haſelbachius, at Ducem Leopoldum nominat. Non minùs fœdum tum facinus duorum è Styria Procerum fuit. Nuptias cum altera Conjuge Beatrice Friderici Norimbergenſis Burggravij Filia IV. Martii Anno LXXV. inire Dux parârat invitato ad procuranda ſacra ALBERTO Patavienſi Antiſtite.

Albertus Graſſatores publicos tollit.

Tendentem Viennam Otto, & Henricus Ehrnvelſeri inſidiis excipiunt, deportatum in Camerenſe caſtrum integro anno cuſtodiunt, inſuper habito, quod per Salisburgenſem, & Patavienſem diœceſim promulgatum, anathemate. Exaggerârat inſanam prædonum licentiam, tum ALBERTI annua ferè in Pruſſia commoratio, quò adversùm populum Anno LXXVII. adhuc tum ſuperſtitionibus deditum copias deduxerat; tum negotiorum domeſticorum moles, & transformandarum toties partionum cura: quibus ubi ſe explicuiſſet, ad repurgandam iterum regionem incubuit. Ferocior ceteris Henricus Schaumbergicus miſeros colonos exagitabat; caſtra ferè quotquot ab Epiſcopo Patavienſi pignore tenebat (tenebat porrò non pauca) in latibula facinoroſorum verterat. Principi receptaculo Schaumburgo milites ALBERTUS Anno LXXXI. admôrat, compulsúmque ad rogandam veniam hominem adigit, ut quas Patavienſis Epiſcopi arces poſſideret, ſe propediem reſtituturum juraret, ſed ea nempe fide, qualis à prædone, & jamjam capiendo expectari poterat; eadem arte Reinbertum Waldſejum, & Epiſcopum deluſos Anno LXXXVI. à Neunhauſio abduxit, Hochenſtauffium tamen ALBERTO, ſeriò perfidum hominem aggreſſo, Anno XC. tradere coactus fuit. Geminus Schaumburgico Wilhelmus Rorerus extitit, Loſenſteinio munitiſſima ad Styram arce fretus. Nec jam plebi duntaxat gravis, ſed exutâ in Principem reverentiâ miſſos ad ſe Goldekerum, & Velberium atque commeatu inſtructos vinculis oneravit. Impudente hominis audacia excandeſcens ALBERTUS, ipſi ad obſidendum caſtrum Anno LXXX. advolat; captúmque exuri, ſolóque æquari jubet, Rorero procul dubio, niſi fugâ ſibi conſuluiſſet, morte ſcelera luituro. Canonicorum diſſidium, & varia in deligendo Præſule ſtudia in alteram expeditionem eodem Anno ALBERTI arma traxerunt. Mortuo ſuperiore Anno III. Februarii Joanne, ſuffectóque in ejus

locum

locum Hermano, Rupertum Ducem de Monte Urbanus VI. nominârat, à Canonicorum quibusdam rogatus, quorum petitionem Duces Bavariæ, Wenceslaus Bohemus, & Patavienſes Cives ſuſtinebant; at numerus major Georgio Hohenlojo cupiebat; horum partes amplexus ALBERTUS, Patavium à III. Kalend. Octob. ad medium Novembris obſidet, cauſáque Georgii non minùs ſolicitè interea apud Urbanum VI. propugnatâ obtinet, ut, Ruperto in Paderbornenſem Eccleſiam translato, Patavienſi præficeretur. *Patavium obſidet.*

Ad gravius ſubinde bellum adversùs fœdum Principem, Wenceslaum Bohemum Cæſarem ab electoribus ſtimulatum moliri quidem, non patrare mors ſivit. Dyſenteriâ, quam immodica inter venandum concitatione ſibi conſciviſſe creditus, Laxenburgi Anno MCCCXCV. IV. Kalendas Septembris ſupremùm vixit, in Divi Stephani juxta Rudolphi fratris latus ad lævam collocatus eſt inter veras populi lachrymas paſſim per compita mitiſſimum Principem deplorantis. Cùm ad extrema ſe deductum perſentiſceret, ipſe morientium myſteriis procurari poſtulavit; Filium ALBERTUM multo pondere cohortatus, ut cum vicinis Principibus pacem, cum Patruelibus Germanitatem coleret, juſtè clementérque populum regeret, reliquum tempus componendis cum DEO vitæ rationibus religioſiſſimus Princeps impendit. Quo quidem pietatis ſtudio nihil antiquius in omni vita habuit: in more illi poſitum indies ante ſolis ortum ſe è ſtrato proripere, nec antè privati publicíque negotii quidquam ſuſcipere, quàm ſolita pietatis exercitia obiiſſet; ubi divino Miſſæ ſacrificio interfuiſſet, tum demum nullo conditionis diſcrimine, qui Principis alloquium deſiderarent, admittere; præter preces bene longas horarum etiam Canonicarum penſum perſolvebat. Equeſtri baltheo ſub ſacratioris belli initia juxta receptum illo ævo morem inauguratus in Pruſſia, arma ipſa religionibus avitis conſecravit. E Waldenſibus, qui Joannis Patavienſis, ùt refert Bruſchius, nimiâ indulgentiâ paſſim ſedes per eam diœceſim locârant, centenis plures Styræ concremari juſſit, nè ejus ſectæ peſtis latiùs vulgaretur. *Moritur.* *Ejus pietas.*

Caſtrum Laxenburgicum jactis circiter annum LXXVIII. fundamentis extruxit, translatísque è Caſtro Kallenbergenſi, quod ſenſim vetuſtate defluxerat, ſtatuis, adjectóque vivario ad pompam juxtà ac voluptatem exornârat. Situ loci & otii ejus ſuavitate mirè captus magna parte extra urbem degebat. At nihil illi in hac ſolitudine arriſiſſe magìs crederes, quàm quòd liberiùs pietati ſinè interpellatoribus vacare liceret, adeò multum temporis piis cum DEO confabulationibus tribuebat. Utì plantarum cognitionem è Palladio, aliísque, quos aſſiduus lectitabat, egregiam collegerat, ità arte hac plurimùm delectatus hortulum *Laxenburgum ædificat.*

ipſe manibus ſuis colebat: literas univerſim omnes literatósque in pretio, & deliciis habebat. Theologicæ ſcientiæ Magiſtros primus ipſe Viennam Anno LXXXIV. Henricum Langenſteinium, Haſſum & Henricum de Oyta evocavit, diſputantibus crebrò interfuit. Architectonice, Toreutice, Statuariæ, & Mathematice præcipuè afficiebatur. Aſtrologiæ ſtudium amorémque ſuo ſymbolo expreſſum voluiſſe Fuggerus exiſtimat: Aſtrolabio ſcilicet inſcriptæ voces legebantur. Nî aſpicit, non aſpicitur. Aſpectu erat liberali, & ſemper hilari, ut ex vultu nunquam non lætitiam legeres, quam mentis integræ candidæque tranquillitas in frontem ebullire conſuevit. Sermo illi moderatus, & gravis iræ, ſi quis alius, potens: efferveſcentem haud facilè videris; extorquere illi repetitis injuriis vindictam oportuit: irritatus tamen doloris tenacior, & offenſæ memoriam retinuiſſe diutius quibusdam viſus. Nomen à Trica traxit, quòd implexum contortúmque capillum, atque ex humero utrinque immiſſum in pectus geſtaret. Referunt aliqui apud Fuggerum, adſcititios eos crines, quos altera uxor ſibi præſciſſos Marito donârit, atque in arce Laxenburgica ſua adhuc ætate aſſervatos. Ordinem etiam à Trica nuncupatum inſtituiſſe quidam exiſtimant.

Literarũ amor.

Symbolum.

Uxores. Matrimonium bis iniit, Eliſabethæ Caroli IV. Cæſaris filia An. LXVI. in torum cooptata, viduum An. LXXIII. & ſinè liberis reliquit. Nuptias alteras An. LXXV. cum Beatrice Friderici V. Burggravii Norimbergenſis filia initas non pauci improbabant, quaſi minùs pius extitiſſet in patruum, aſſumpta in arctiſſimam vitæ ſocietatem fœmina, cujus proavus tantum momentum ad Ludovici Bavari adversùs Fridericum Pulchrum victoriam attuliſſet. Unicum ea Filium peperit, MCCCLXXVII. Albertum IV. Mirabilia Mundi dictum. Juvat hìc paucorum, qui ſucceſſerant nepotes, ſeriem attexere, ut ſub unum aſpectum compendio ponamus, quemadmodum iis extinctis ſumma rerum, & Auſtriacæ potentiæ robur olim in Styriæ Ducum ſtirpe coaleſcet. Unâ plures Albertus IV. proles ex Joanna Alberti itidem Ducis Bavariæ, & Hollandiæ Comitis filia ſuſtulit: Margaritam Ludovico diviti Bavaro nuptam, & Albertum V. Eliſabethæ unicæ, Sigismundi Cæſaris filiæ, maritum: atque hic ille eſt, qui redditum poſtliminio Auſtriacis Imperii diadema, in ſeros nepotes ad noſtra usque tempora transmiſit, uxoria hæreditate regna Bohemiæ, & Hungariæ: Electorum ſuffragiis, & ſoceri operâ imperatoriam dignitatem Anno MCDXXXVIII. indeptus. Ejus filij Georgius, & Ladislaus Poſthumus, ille orbi duntaxat offenſus: hic antequam Sponſæ Magdalenæ Caroli VII. Franciæ Regis Filiæ jungeretur Anno MCDLVIII. morte abreptus. Filiæ totidem, Anna Wilhelmi Saxonis, & Eliſabetha Caſimiri IV. Poloniæ Regis uxor.

Liberi.

Nepotes.

LEO-


LEOPOLDUS III
Probus.
Mensuram Nominis implet. Ovid.
Christ. Dietell sculpsit Gracy.



LEOPOLDUS
Probus.
DUX STYRIÆ XI.

VT primùm in patrimonii partitionem conventum fuit, in suam ditionem ad Rhenum profectus Leopoldus Alsatiam barbarè deformatam à prædonibus invenit; Angli ii erant, confecta nuper inter suum, & Franciæ Regem pace, missione donati deficiente stipendio collectam viginti annorum bello ferociam in populationes verterunt, percursáque Franciâ quadraginta millia in Alsatiam Anno LXV. infusi, post regionem omnem exesam immensam vim pecuniæ à viris lytri nomine extorquebant, fœminæ prostitutæ pudicitiæ pretio vitam libertatémque redimere aut coactæ, aut permissæ, nullo tantæ multitudini obsistere auso. Carolus Cæsar Avenione redux adventûs sui terrore latrones exegit. Duces eorum Jacobus Homobonus, & alter Archipresbyter Petracorienſis, subinde comprehensi, detracta vivis pelle dignum flagitiis supplicium tulerunt. A Leopoldo, quo ægrè Helvetis faceret, evocatos fuisse, impactum à Stumpfio Austriacis non nisi per calumniam ceteri omnes agnoscunt. Decem pòst annis rediere Harpyiæ à Caussinio, ùt putabatur, in furta conductæ; is Agnete Austriaca Leopoldi, Gloriæ militum, Filiâ natus quarundam Ergoviæ civitatum hæredem è dotalitiis Matris tabulis se ferebat. Angli, Aremorici, Picardi tantò lubentiùs sub signa convenerunt, quantò religiosiùs timebant, nè nuper spoliorum quidpiam suam diligentiam effugisset: hos Caussinius ipse cum mille quingentis hastatis equitibus post quinque hebdomadas sequebatur. Spoliata priùs oppida, villæ, & quidquid minùs munitum, in pœnam scilicet egestatis arsere; ferrum omnibus, & vincula intentata, nisi argentum aut aliud pretium repræsentarent. Leopoldus quidem mali imminentis præscius in omnem partem animum versârat, ut tutam regionem præstaret; sed si vim vi repellere tentaret, LX. aut ùt alii, LXX. millibus paucæ copiolæ objiciendæ in certam necem erant. Itaque, ut quod cupiditatem alliceret, minùs reperirent, populo admonito, ut supellectilem, quantam raptim posset, in munitio-

Angli prædones depopulantur Alsatiam.

ra loca conferret, pagis non paucis faces ſubdi juſſit, ipſe dein cum Werdenbergico aliisque Briſaco ſe continens, eo graviore dolore damna è muris ſpectavit, quo minùs hoſtem inultus ſentire Princeps animi ardens aſſuevit. Quanti diſceſſum ſuum barbari hoſpites venderent, ab afflictis civibus rogati, LX. florenorum millia, LX. pannos auro textos, totidémque equos poſtulavere; cùm verò prudens metus extitiſſet, non ſervandam ab iis juratam modeſtiæ, & abſtinentiæ fidem, qui altero ſacramento, & longo uſu in prædas authorati fuiſſent, viſum eſt non paciſci, præſertim, cùm præter buſta, quibus caveretur, nihil ferè ſupereſſet: & alioquin appareret, non multò pòſt famem nullis conditionibus abitum imperaturam. Itáque res evenit: VIII. Kalendas Decembres in Ergoviam flectuntur. Hìc quoque exuſta jam in hoſpitum gratiam regione, cùm urgente annonæ penuria diviſis turmis incederent, ingens copia contrucidata ab agreſtibus cladium ſuarum dolorem aut metum ulciſcentibus.

Veldkirchium aliáque Leopoldus pretio comparat.

Poſt immania damna LEOPOLDUS, ùt generoſa erat indole, & ampliandi Patrimonii cupidus, calamitatem Alſatiæ prolata alibi ditione anno ſequente levavit, emptóque Pludentio, Sargantio, & Sacro Monte ab Alberto Werdenbergico, comitatum inſuper Veldkirchenſem Auſtriacis poſſeſſionibus inſeruit, numeratis Rudolpho Montfortio ſenis ſupra triginta aureorum millibus. Amiſſis tectis, focisque propè aberat, quin & Principem ſuum Auſtriaca Alſatia amiſiſſet; fortè dolori è nuperis damnis hauſto medelam facturus LEOPOLDUS Briſaco Baſileam minorem ſub Bachi ferias abiit, quam in urbem Circenſes ludos Proceribus edixerat. Eam porrò pignori Joannes Epiſcopus Baſileenſis bello cum civibus implicitus LEOPOLDO armorum ſocio Anno LXX. tradidit, donec triginta aureorum nummûm millia redhiberet, quos in id bellum Dux profuderat; dudum ea pacta cives urebant, nunc verò objecta per ludorum apparatum inviſæ dominationis imago triſtem memoriam acerbiùs renovabat, cùm Auſtriacum tot armatis ſtipatum volitare per urbem conſpicerent, non alio, quàm navatæ adversùm ſe operæ pretio comparatam. Accidit fortè, ut in conferta ſpectatorum turba alios excuſſis calcibus equi ferirent, alii diſſilientium haſtilium fragminibus perſtringerentur; quæſitum diu tacitis odiis colorem è pauculorum ſanguine, plagisque avidè colligunt. Arma conclamant, datóque ære Campano ad ſeditionem ſigno lymphatorum more per fora diſcurrunt. LEOPOLDUS fido valentéque equo Rhenum trajiciens furentum manus evaſit, reliquos aut periculi horrore attonitos, aut ignoratione ſecuros ſua mora efferatæ plebi objecit; obvios equites famulósque trucidant, in domorum latibula dilapſos effractis

Baſileæ periculum à civibus adit.

fractis foribus ad cædem extrahunt, nullâ Magiſtratûs dehortantis, minantísve reverentiâ; donec Conſul ſpoponderit, ſi ferrum ipſi abſtinerent, ab ſe equites ad unum omnes quotquot captos adduxiſſent, carceri mancipandos. Hac arte Rudolphus Habſpurgicus, Hohenlojus, Montfortius, aliíque ſervati, non longo tempore carceres pro aſylo habuere, quibus poſt tumultum compoſitum honorificè dimiſſis authores ſeditionis pœnas dederunt.

Bellum cum Venetis.

Hæc inter compendii è ditione Veneta faciendi ſpes affulgebat. Eam LEOPOLDUS ſuopte ingenio amplioris Imperii cupidus tantò ardentiùs arripuit, quantò recentiori memoria tenebat, ſterile bellum bis in Rempublicam ſuſceptum. Primum Alberti auſpiciis Anno LXVIII. geſtum. Occaſionem Tergeſtinorum ſeditio præbuit; jure, an injuria? vectigalium acerbitate exaſperati, interempto quæſtoriæ, quæ ad portum excubabat, navis præfecto, ſigna etiam Veneta è publicis ædibus non absque ignominia deturbârunt; cùm eò jam progreſſos ſe remittente intemperie conſpicerent, unde pedem ſe impunè relaturos ſperare non poſſent, ipſa cœptorum inſolentiâ in audaciam obfirmati tumultuarium bellum non ſegniùs proſequuntur, quàm ardentiùs inchoârant. Valido Carnorum præſidio urbem muniunt terra maríque clauſi, inde à Creſſi Molini caſtris, hinc à Dominici Michaëlij Claſſe rem ſtrenuè aliquamdiu gerunt. At cùm novæ quotidie copiæ in caſtra claſsémque ſuccederent, veteribus etiam Ducibus Paulus Lauredanus, & Thadæus Juſtinianus ſuffecti eſſent, acres cum primis, & notæ virtutis tribuni, contractiora jam omnia obſeſſis eſſe cœpere continente dierum noctiúmque labore exhauſtis: ſed ne tum quidem ad officium rediere. Deſperata urbis defenſione ab Auſtriacis opem efflagitant, ſe fortunásque dedunt, è Venetorum modò poteſtate exirent: Albertus & ſupplicum legatione, & ſpe potiundæ urbis percommodæ, cùm ſumma celeritate opus eſſe intelligeret, raptis ſecum decem equitum millibus peditúmque manu non exigua Venetos adoritur; eodémque, quo venerat impetu, revulſis vallis in hoſtium ſtationem ſe penetrat, eósque haud dubiè caſtris exuerat, jam fugæ magìs, quàm pugnæ ſolicitos, niſi ſuorum periculum trepidationémque conſpicatus Juſtinianus claſſiarios à Lauredano ſubſidio advocâſſet, ii properè navibus in caſtra delati non inſultantium modò impetum ſuſtinent, ſed & extra valla ejiciunt. Tentato ſubinde ſæpius aditu, cùm caſtra perrumpendi ſpes omnis evanuiſſet, Tergeſtinis cum hoſte paciſci juſſis militem abduxit. Aliàs & Ludovico Hungariæ Regi ſex annorum bello Dalmatiam petenti vires Auſtriaci junxere.

Primum ab Alberto III. pro Tergeſtinis motum.

Alterum à Leopoldo. Nunc verò LEOPOLDUM Franciſcus Carrarius Patavii Dominus infenſus Venetis oſtentato Tarviſio in rempublicam concitârat. Offa hæc erat, quæ creſcere alioquin cupientem non difficulter ineſcaret; atque ſi, quod referunt quidam, verum eſt, conceſſam Tarviſinam Marchiam ab Imperio Henrico Goritienſi, quam cùm tueri adversùs vim Venetorum ſe deſperaret, jus omne in LEOPOLDUM tranſtuliſſe, titulo, cur eam ſibi aſſertum armis iret, non carebat. Relicto itaque Rheno cum quatuor equitum millibus in Tarviſinum agrum tendit, viciniam omnem depopulatus oppidum coronâ cingit. Veneti inexpectato bello obruti velut in extremo diſcrimine tumultuarios delectus haberi maxima celeritate imperant, obtentísque ab Eſtenſi Ferrariæ Principe auxiliis in Marchiam advolant, pro victoria habituri, ſi tantiſper progreſſiones Germanorum ſiſterent, donec juſtus exercitus conflaretur. Non expectandum in tanta ſuorum paucitate hoſtem LEOPOLDUS cenſebat, unde animis conſternatis rediere. Germanos Mercatûs causâ Venetiis degentes, publicatis eorum bonis in vincula compingunt, collatóque in Jacobum Caballum armorum imperio bellum in Auſtriam decernunt. Egreſſi Tarviſio agris latè evaſtatis, munitísque aliquot oppidis ſubactis Feltrium obſident. Nihil contrà LEOPOLDUS eo tumultu, & ſuorum damnis excitatus morari, copias ampliores undique contrahere, & continuatis itineribus in hoſtem feſtinare, conſerendi prælii avidus. At hoſtes notam Ducis fortitudinem veriti, nè inviti in pugnam extraherentur, de ejus conſiliis edocti jam Tarviſium versùs ſe receperant, cùm in Forum Julium adventâſſet.

Exarſit ad vacuæ regionis conſpectum Dux, victoriam, quam animo præceperat, cum hoſte è manibus elapſam indignatus; nè ſaltem integri in ſua latibula ſe reconderent, denuo emerſuri, eodem curſu abeuntium veſtigiis inſiſtit extremum agmen carpturus. Per iter admonetur à ſuis turri Baldinæ juxta viam collocatæ præſidium à Caballo injectum, è qua reditus intercludi, difficilior certè reddi poſſet; ea res hoſtibus in tutiora evadendi ſpatium dedit; quippe mutato conſilio ad eam munitionem tantiſper reſtitum. Expugnata turri præſidiarii ad unum omnes iræ Ducis immolati ſociorum metum fugámque luerunt. Atque hìc rixantium ardor reſedit, induciis à Ludovico Rege Hungariæ in biennium procuratis. Id ſaltem commodi ex eo bello elicuit, quòd Veneti deinceps formidandum LEOPOLDUM didicerint; quin ultra hunc metum fructus non contemnendus extiterat, niſi eum ſibi ipſe intervertiſſet.

Imminebat per id tempus graviſſima tempeſtas Venetis, è qua ſalvam rempublicam non extulerant, niſi Genuenſes conditio-

ditionum aſperitate viros fortes ad deſperationem adegiſſent. Liguribus fœderati Ludovicus Hungarus, Franciſcus Carrarius nunquam Venetis bona fide amicus, & Patriarcha Aquilejenſis non parùm inſuper negotii exhibebant. Nè Auſtriacos captandi per eam opportunitatem Tarviſii cupiditas fœderi aſſereret, multus metus urgebat: itaque ut potentium adeò ſociorum ſpem hoſtibus præciderent, Legatis in Germaniam miſſis, Leopoldo Tarviſium, Bellunum, Seravallam, & caſtrum D. Victoris, utrumque Cenadium, & Italiæ ea parte clauſtra offerunt.

Veneti Tarviſiũ aliaq; oppida Leopoldo offerunt.

Leopoldus amplum donum promptiùs amplexus, quàm conſtantiùs tuitus, extemplo è fidiſſimis quosdam expedit, qui populos ſibi recèns ſubjectos in ſua verba adigerent, attributis aliquot militum turmis, queis Franciſcum Carrarium infeſtis ſignis per Marchiam volitantem tantiſper cohiberent, donec ipſe ad compeſcendum hominis furorem majorem exercitum ſcriberet. Suffecerant quidem præmiſſæ copiæ tuendo adversùm hoſtium aſſultus Tarviſio, non itidem agris adversùs populationes; quare Ducem, profectionem acceleraret, iteratis nunciis ſtimulant: decem interea peditum equitúmque millia properatis delectibus coëgerat, quos ipſe deducendos ſuſcepit. Fixis primùm ad Corregianum caſtris ſuos aliquamdiu continet, donec de motibus hoſtium certiora referrentur, aut prælium, quod unicè avebat, Carrarius fortè offerret. Cùm fruſtra aliquot dierum moras ſpe ea traxiſſet, inveſtigandum, cogendúmque ad certamen ſtatuit. Quà tendere Patavienſes exploratorum indicio cognôrat, ſuos explicatis ordinibus, ut exprobratam quadam convitii ſpecie ſocordiam hoſti excuteret, incedère jubet. At non is erat Carrarius, qui ſuis rationibus congruere cenſeret, uno prælio litem dirimi.

Bellum Leopoldi cum Carrario Patavienſi Comite.

Perſpecto dudum ejus ingenio non conſtituram tandem Leopoldo patientiam, exceſſurum haud dubiè regione nôrat, qui bella acria, quàm diuturna malit. Tædio ſemel victum abſentémque ſpoliari faciliùs poſſe; trahendo bellum, tutiùs certiúsque tenuari ærarium, quàm pugnâ Germanum exercitum. Quod futurum erat, præſagiit. Ut Leopoldus id unum agere hoſtem vidit, nè unquam ſui copiam faceret, circumduci ultro impatiens, trajecto Anaxo Tarviſium aucto præſidio, invectáque annonâ ampliùs firmâſſe ſat habuit, indéque in Germaniam peſſimo, ùt poſtmodum eventus comprobavit, conſilio ſe retulit. Multorum certè ſententia fuit Tarviſium, & Forum Julium omne ſubjugaturum fuiſſe, ſi tantillum reſiſtere in animum inducere potuiſſet; ſi oppida à Carrario munita, arces opportunis locis excitatas, quas dejectas oportuit, non ſinè noxa per-

pertranſiiſſet; opus iſtud quàm maximè neceſſarium, tam minimè arduum illi futurum fuiſſe, qui decem Legionariorum millia, quadringentos equeſtri dignitate conſpicuos ſub ſignis numerâſſet. Carrarius ſanè hoſtium incuriâ meliùs, quàm illi ſuis viribus uſi, quanto ſibi commodo integræ eæ Munitiones eſſent, dilapſo hoſte mox oſtendit, è quibus identidem procurrens nunc agros urebat, nunc Auſtriacorum agmina carpſerat; ſi major vis ingrueret tutum receptum eæ arces omni parte pandebant, arctæ contrà undique res Germanorum.

Tarviſium aliáque Carrario perſoluto pretio dedit.

Imminutus quotidianis velitationibus miles non in eruptiones duntaxat, ſed ſtationes ægrè ſuffecerat; paucorum, qui ſupererant, vires animósque fames inſuper tenuârat; nec malis remedium facere jam pronum, militem, & commeatum è Germania ſubmittere negotium erat non levis periculi, & maximorum ſumptuum, quos rationes ærarij vix tolerârant. Nî porrò id fieret, everſa propediem levi impulſu omnis per Marchiam Auſtriacorum dominatio erat. Hæc denique, & nunciati ex Helvetia motus impulere LEOPOLDUM, ut quam tueri diutius non poſſet, pretio hoſti conceſſam, quàm ſibi nullo fructu ereptam Provinciam mallet. Pronior præter opinionem Carrarius pro Tarviſio, & vicina ditione octoginta, pro Corneliano, Seravalla, Opitergio, Cordignano, Motra, aliísque adſitis locis centum Ducalium nummûm millia perſolvit.

Populationes per Styriam inhibet.

Antequam ad bellum Helveticum ſe accingeret, in Hungariam abiit, nuptias, quas nuper vivente Ludovico Rege inter liberos ſuos pepigerat, Viduæ aſſenſu ſtabiliturus. Redux gravi in itinere morbo correptus Græcii non pauco tempore manibus pedibúsque captus decubuit. Rempublicam deinde malis, quæ per abſentiam, ùt fieri ſolet, Principum, & mutatis toties per intervalla Dominis invaluerant, levare aggreſſus, graſſatores magno numero Styriam percurſantes undique conquiri fecit. Damnorum plurimum Wilhelmus Scherffenbergius dabat; gens ea in Styria tum erat opibus, clientelis & vetuſtæ nobilitatis prærogativa nulli ſecunda, Marburgo, Trevenio, Billichgrazio, Landtroſtio, plurimis aliis ad Dravi ripam imperitabat. Facultatum amplitudine elata, Auſtriæ Carinthiæque Principes non rarò armis laceſſierat. Nihilo reverentior in Ducem Wilhelmus inſuper habitis, queis viarum ſecuritati cavebat, edictis, veteri licentiâ prædas agebat. Quem contemptum non ferens LEOPOLDUS, è caſtro Scherffenbergico, unde agros infeſtos habebat, extractum, bonísque multatum Marburgi collocavit, ſuppeditatis in dies, unde vitam toleraret, alimentis; caſtrum tamen non multò pòſt alter Scherffenbergicus itidem Wilhelmus furto rece-

recepit, interempto, qui id pro Duce obtinebat, Ramugero; gentem ſubinde univerſam Ducum juſſu in Styriam ſuperiorem, & Auſtriam ſupra Onaſum translatam Lazius aſſerit.

Per Helvetiam res in dies in pejus ruêre. Quadriennio jam tacito murmure ſe prodebat tempeſtas, unde erupturam aliquando majore fragore haud ex vano conjiceres; exacuebantur in dies mutuis injuriis, & alternis cladibus odia niſi alterutrius partis internecione non explenda. Hæc licèt intra velitationes leviores conſtiterint, fulgetra tamen inde emicabant, quæ colliſis ſerò armis ſecuta anno LXXXVI. fulmina denunciarent. Cruentæ diſcordiæ cauſam, ut cujusque calamum partium ſtudium imbuit, hi in Auſtriacos, in Helvetos illi conjiciunt: Rhoo, & Fuggerus mediam viam ingreſſi, nec hos unicè abſolvendos, nec illos ſolùm damnandos exiſtimant. Quemadmodum accidere frequentiùs conſuevit, ut quas qui queritur ſe priorem paſſum injurias, innocentem non invenerint, aut ſi non invenerint, reum fecerint, læſo ultionis modum non tenente. Vetus, jam inde, quo in libertatem ſe Helveti aſſeruere, Dominos inter, & populum fervebat æmulatio: his Dominorum perinde ac ſervitutis nomen exoſis, illis heſternos ſervos ſibi exæquari non ferentibus. Vitio præterea Helvetis dabatur: commune perduellium aſylum erexiſſe; malæ cauſæ Patronos nuſpiam certiùs, quàm intra eorum ditionem reperiri; precariò dominari, quisquis vicinos fundos teneret, ſi officii populum commoneret, ſi delicti pœnam repoſceret, ſi vectigalia ſeveriùs à detrectantibus exigeret. Fugam, qui modeſtiſſimè egerint, fœdúsque minari, alios moliri, multos tranſire. Atque hos non foveri modò retinerſque; tacitis etiam hortantibus nunciis, literis confirmari perditorum hominum audaciam, ſolicitari ad fœdus, ſeu meliore nomine ad defectionem; ſubſidium ſeditioſis non promitti tantùm, ſed & exhiberi; nil penſi habere, jure, an injuriâ cujusquam creſcant; coalitam perduellione Rempublicam excitatis paſſim ſeditionibus ſuſtentatum, auctum, ſtabilitum ire. Suis pariter nævis præfectos Leopoldi etiam laborare tum rumor ferebat. Agros Fœderatorum identidem infeſtis ſignis ignibúsque incurſârant. Si nova irarum cauſa deerat, ſat illa viſa, quòd facta ſeceſſione dominii fines arctârint. Eos, qui adhuc in fide perſtabant, immenſis exactionibus exhauſerant; Cives in mancipiorum ferè conditionem redigebant, ut quanto à libertatis commodis magis remoti, tantò minùs ad ejus guſtum felix vicinorum exemplum alliceret, quaſi verò atrocior fames appetentiam ciborum adimere conſueviſſet. In Leopoldo nihil admodum noxæ agnoſcunt; ſi quam contraxit, ea extiterit, quòd verbis reprehen-

Belli Helvetici

disse contentus, in Ministros severiùs non animadverterit. Refert Arenpeckius, subodoratum fortasse arceri ab suo alloquio eos, qui querelas exposituri venissent, obtestatum gravibus verbis Aulicos fuisse, neminem ut posthac repellerent; cùm illi justum esse Præfectorum rigorem, aures quiritanti plebi non præbendas, provocari, si audiantur, lamentantis audaciam, ingererent; respondisse, præsagire sibi animum, ut unà secum in immania damna aliquando præcipitent, sed quæ, ùt optimus Princeps putabat, addebátque, deploraturi non erant. Illatas porrò ultro citróque clades, quæ internecionem anteceſſere, paucis complectemur.

Initia. Rudolphus Comes Kyburgicus Anno LXXXII. Solodurum noctu intercipere tentârat, Canonico, cui hortus suus muro vicinus opportunum proditioni locum obtulerat, operam suam pollicito. Evanuit quidem detecta priùs machinatio, nihilominus Bernates clientum discrimen ulciſci certi, clàm militem parant; cœpti belli invidiam ut ab se amolirentur, Legatos ad LEOPOLDUM expediunt; ejus Præfectos cum Rudolpho conspirâsse exposſtulant, vitio sibi dari non posse, si sociorum, clientúmque causam suam faciant, injuriam vindicent; quid Dux sentiret, faceréve constituisset, renunciet: ad ejus rationes sua consilia temperaturos. Ad quæ pacatè LEOPOLDUS: satis se meminisse pactorum, quæ plerisque Helvetorum oppidis Austriacos innecterent; nil hostile suo jussu patratum. Si transigi citra arma non possit, jus suum, ut liberet, persequerentur. Responsum hoc ceu classicum audiere legati. Nova præterea post tentatum Solodurum irritamenta accesserant.

Ad Tunam & Arbergam nocturna aggressione Austriaci, etsi frustra, aspiraverant. Berchtoldus defuncto fratre Rudolpho possessionum juxtà, ac odiorum hæres agros usſtulârat. In vicem Tigurini, & Glaronenses Rappersvillam in ictum destinant, nundinarum, quæ tum agebantur, celeritate tegendas insidias rati. Tigurini Mercaturam ibidem facere soliti, alii mercatores mentiti frequentes urbem subeunt, arma pro mercibus exprompturi. Glaronenses in vicinis ad pomœria latibulis signum irruptionis expectare jubentur. At ubi Rappersvillani advocato Grüningâ Henrico Geslero Austriaco Præfecto, & dispositis per stationes excubiis, fraudem sibi intellectam significârant, innoxii dilabuntur. Burgdorffium Ergoviæ oppidum subinde aperta vi aggressi cùm frustra essent, Grunenbergam, & vicinas aliquot arces, addactis in sua verba civibus, capiunt. Pace postmodum cum Kyburgensibus facta, & Burgdorffium à Comite pro quadraginta aureorum millibus traditum occupârunt. Ad Roten-

bur-

burgum Lucernatibus feliciùs insidiæ cessere. Egressis fortè festo Dedicationis die ad suburbanum templum cum Hermanno Grunenbergico civibus, in urbem irruunt, occlusisque, nè in auxilium aditus Præfecto pateret, foribus, arcem muris exuunt, fossámque ruderibus explent. Cives quosdam proditionis conscios fuisse ex iis, quæ non multò pòst secùta, proclive est opinari. Pignoris nomine Wolhusium, & Rottenburgum Torbergensis, & Grunenbergicus obtinebant, à quibus haberi duriùs pridem sibi Cives visi Lucernatum opem efflagitant, more hi suo continuò in clientela, & fide sua supplices esse pronunciant. Ejus consilii authores ceu seditionis reos in furcam Torbergensis egerat, Lucernatum verò temeritatem nunc in agros illatus, nunc vias obsidens multis incommodis castigârat. Ii velut, quibus ad causæ æquitatem nil jam ampliùs deesset, jure (si superis placet) suo nuper usis, nunc lasis, collecta militum manu Rottenburgum revolant, arcem utcunque restitutam funditus exscindunt, muros oppidi, nè præsidio posthac hosti essent, proruunt. Ab his Entlibuchum, Sempacum fœderi adscriptum civitate donant, Reicherseio præsidium injiciunt. Fervente hunc in modum discordia Leopoldus morbo levatus in Ergoviam advenerat, amico, ùt sperabat, colloquio animos delinitu-rus. Ergoviâ redux ex itinere ad Tigurinos invisit, à quibus honorificè exceptus Rappersvillam splendido comitatu deducitur. Rogatus hìc à Suittensium legatis vectigal, quod iter per suum teritorium ad Insubres facientibus pendi consveverat, remitteret, postulatis liberaliter annuit, quo sibi voluntates eorum arctiùs adjungeret. Priusquam in Austriam discessisset, suos extremùm allocutus nervosa oratione: cum Tigurinis amicitiam colerent, vicinique nomen sanctissimè haberent, hortatur, severè imperans, etiam atque etiam caverent, nè qua ab ipsis dissensionis origo existeret. Sed nempe intra exulceratum jam animum offensarum abunde sponte nascitur; frustra odii causas submoveris, quas aliunde offerri non expectat.

Leopoldus in Ergovia.

Vix Austriam Dux tenuit, cùm novis in dies injuriis, quarum partem narravimus, Præfecti, amici, socii se lacessi queruntur. Ergo ad bellum, quod evitari non poterat, seriò animum adjicit, militum delectus per provincias edicit. Nobilium plerósque suspecta Helvetorum incrementa suúsque metus socios scripserat, multos ipse conciliat. Franconiæ, Sueviæque civitates quaspiam recèns in fœdus transgressas integratâ amicitiâ ab Helvetorum partibus dexterè abstrahit; Rhenanæ nulla arte se avelli sustinebant. Quod anni LXXXVI., idem expeditionis initium fuit. Media hyeme propiùs hostem itum est, irarum æstu bru-

brumæ sævitiam mitigante. Nondum indicto bello Austriacorum classica è vicino fœderati audiere. Richensejum oppidum Lucernatum præsidio munitum primum calentis militis furorem sustinuit; paucorum dierum obsidione expugnatum direptúmque, arsit, è præsidiariis ducenti interfecti, prolatáque ad innoxios cæde, infantum, & mulierum sanguine compita difluxere; ignis alios absumpsit, alii fugam moliti extra portas, ab excubante equitatu in vicinum lacum adacti, aquis periere. Majenburgi pariter, quod fœderati recèns occupatum milite firmârant, præsidium astu hunc in modum imminutum: pauculos urbi adequitare Dux imperârat, atque, quod expectabat, obtinuit; erumpunt è portis præsidiarii, tergóque fugientium, ignorato fugæ artificio, hærentes in paratas insidias præcipitant. Rediere octoginta capitibus pauciores. Majoris ad rei summam momenti victoria erat de auxiliariis, quas Rhenanæ Civitates submiserant, Helvetorum copiis reportata. Eas jam viam ingressas, ut Tigurinis, Bernensibus, Solodurensibus, & Tugianis se conjungerent, Leopoldo, nunciatum, medium sese in Alsatia interjicit, viáque præceptâ, adactósque ad prælium octingentos equites concîdit: ut adeò jam toto bello moles Helvetiæ uni incumberet, Suevis, ut in hiatum succederent frustra rogatis, & nova cum Leopoldo pacta excusantibus.

Richensejum expugnat.

Rhenanos auxiliarios cædit.

Post hæc, velut integra adhuc pace acta fuissent, bellum à Leopoldo fœderatis denunciatur, jubetúrque celeritate nuncius uti, nè hac clade attonitis otium respirandi à metu indulgeretur; idem socii, Wirtenbergici, Veringenses, Lupodunenses, Hohenbergici agunt; atque, ut alioquin perculsis formidinem aggerarent, singulos feciales alios, post alios expediunt. Duas supra vicenas modico temporis inter vallo porrectas Helvetis epistolas Stumpfius recenset, succedentibus sibi ordine legatis. Imperiales Sueviæ urbes partes medias secutæ, quantò majori strepitu bellum gerendum præ foribus suis cernerent, tantò contentiùs pacem obtrudebant, non ignaræ, vicinos, etsi non belli, damnorum tamen participes fieri. Arte non modica opus erat, ut saltem inducias à Februarii fine ad Maji medium extorquerent: etsi nec iis sua fides admodum firma constiterit, quin quotidianis velitationibus interpolarentur; rixarum adeò usu pars utraque odia alere visa, nè eâ morâ torpescerent. Exeunte induciarum tempore primi in campo Lucernates apparuere, Wolhusium per murorum ruinas vi ingressi, Kapfenbergum victoriæ primæ adjiciunt, pulsóque inde Torembergico, Ergoviam percursatis villis oppidísque exurunt. Tigurini socii incerti adhuc, quò signa Austriaci verterent, militem tuendo Sempachio (intra Lucernatum ditionem hodie situm est) injiciunt, ex

Bellum Helvetis indicit.

even-

eventu consilia moderaturi. Ad id oppidum primam belli fortunam experiri Leopoldo visum: opprimi posse priùs, ac oppugnari Helveti intelligerent, spes erat. Richensejum nuper levi negotio subactum fiduciam affirmabat, fore, ut impetu captum vim non expectaret. Quod si res è sententia caderet, præter receptum oppidum, mille sexcentis (is præsidiariorum numerus erat) Helvetorum copias imminuebat. Admoto ad fines bello, lætísque auspiciis hostem consternârat. Seu explorato itinere, seu proditoris operâ in Ducis propositum penetrârunt Tigurini; itaque cùm fauces Montium prætergressus in Sempacensem agrum IX. Julii emergeret, tendentem ex adverso fœderatorum exercitum conspicit, urbi nondum obsessæ suppetias laturum.

Ad Sempacū ambo exercitus conveniunt.

Hæsit tantisper ad improvisum hostis conspectum, & quid decreti caperet, dubius, in militari senatu raptim consulitur; in hostem rectà eundum una ferè omnium sententia erat. Non augendam receptu vilis plebeculæ audaciam; Nobilium famam nominénque, quod alioquin agresti huic turbæ jam nimiùm viluerit, hac fugæ specie penitus profligari. Hæc dicentibus, unus Joannes Hasenbergius canæ spectatæque virtutis juxtà ac prudentiæ obstitit: ne è cultu armorum nascendíve conditione militem æstiment: numerum, torosos lacertos aspicerent, non alium hostem superiorem faciliùs evadere, quàm quem contempseris. Terram moliri assuetos, à robore non destitui, sævituros in corpora, esto faveret etiam belli peritioribus alea, ac postquam mactandis paucis, vires armáque ipsi hebetârint, tum demum illos diuturniori labore pares defessis victoribus nihilo secius triumphaturos; de animis eorum non esse, cur dubitent: quis enim animosior, quàm cui mori persuasum est. At cui persuasum non sit, qui pro libertate arma induerit? Risere circumstantes, ij nempe, quibus non noti adhuc hostis contemptus, pessimus generosi consilii author, juventutis calorem exauxerat; Joannes Ochsensteinius ante alios: non tu Hasenbergi, tutiora, ùt jactas, præ temerariis, sed timidiora præ generosis habes. Nomen profectò tuum toto pectore moribúsque hausisti. Nè ex te vires nostras animósque metire. Suo illi se malo hodie huc advenisse sentient. Tum ad Leopoldum versus: ex hoc Sylvestrium agrestiúmque manipulo non injucundam hodie cœnam extruemus (sed nempe non cœnaturis) assos, an lixos, ùt libuerit, tibi sub vesperum exhibebimus.

Pugna ad Sempacū An. 1386.

Mox equis, quod contento itinere fatigati, & campus iniquior, ad sarcinas cum famulorum calonúmque turba dimissis, in hostem procurrunt, Hasenbergij vaticinio fidem facturi. Nondum ullo ex Austriacis læso sexaginta Helvetorum ster-

nuntur. Vicerant, si quemadmodum eo successu animi, ità vires creviſſent. At dum Helveti mirâ pervicaciâ pugnam extrahunt, audaciſſimus quisque duratorum multo usu in labores hostium impetum non sustinere, quidam sola lassitudine, æstu, loricæ pondere victi occumbere: ceteri languere, pugnam sensim remittere, equos frustra respectare aut repetere; quippe conspecto Dominorum periculo, fideles sanè famuli, unà secum jumenta fugâ abstulerant. Tum enim verò nobilioris Germaniæ Cannas ad Sempacum aspiceres: viâ inter primos ordines factâ illapsi Helveti ensibus, hastis, sudibus, prout quemque furor aut egestas armârat, miserandam stragem circumferunt: nobiliſſimi quique pecorum ritu, elisa fustibus fronte temporibúsve prostrati. Multi lapidum grandine, quos fundis excussos è vicinis montibus agricolæ depluebant, exanimati. LEOPOLDUM retineri non potuisse, quin inter primos pugnam consereret, scribunt aliqui, alii verò persuaderi se passum, ut eventum prælii in tutiorem locum tantisper digressus præstolaretur. At ubi constratam cadaveribus non paucis arenam, dominari ferè toto campo jam Helvetos, ceteros suorum retrocedere viderat, irâ juxtà, & dolore percitus equo desilit. Per salutem suam suorúmque circumstantes orant, obtestantur, nè in certam necem vitam projiceret; servaret se in vindictam melioribus olim auspiciis rediturus, quando res jam eò reciderint, ut consecuturum haud aliud appareret, quàm ut suo etiam funere Helvetorum enses nobilitaret. Ille contrà: non mihi vita tanti est, quam dedecore servandam putem. Tot virorum cædem inultam, & otiosum aspicere nec pium, nec generosum; malo, jacentis exanimísque frontem, quàm tergum viventis profugíque aspiciant. De interfecto gaudeant, formidati hostis laudem retulero. Nunquam rusticæ turbæ concedam, ut imminutam meâ solùm fugâ suam victoriam doleant. Ibo enimvero, & si DEO ità visum, charorum capitum cadaveribus incumbam. Id saltem assequi non despero, fore ut similes victorias plures hostis non optet.

Simul dixerat, simul in turbatæ aciei fronte constiterat, ínque medios hostium cuneos, quà confertiſſimè prælium ciebant, indutus, latera, ora hastâ fodiebat. Eodem restitutam momento pugnam unus ferè ipse aliquamdiu sustinuit, donec eâdem cum ceteris clade involutus perierit. Martinus Crussius hunc in modum LEOPOLDI cædem enarrat. Eum viribus præ lassitudine æstúque defectum concidisse, à Verna Suitensi sortè observatum, cùm is gladio locum vulneri intra loricam rimaretur, ad mentem rediisse, atque quis esset, indicâsse; audito ejus nomine barbarum hominem resectis, quibus thorax committebatur, loris Principem interemisse. Cùm inquisitum subinde à Bernatibus in cædis

Occiditur Leopoldus

au-

authorem esset, illéque, ùt qui insigne facinus patrâsset, gloriatus se prodidisset, præmii locò, supplicio affectum. Vetuisse certè Helvetos, nè quis vitæ Ducis vim afferret, Arempeckius affirmat; adeò Leopoldi virtus, probitásque vel hostibus amata. Helvetorum ducenti, ex Austriacis duo Gregariorum millia interempti. Multi inter fugiendum devolutis è monte prægrandibus saxis obtriti. Tribus diebus in loco pugnæ fœderati restitere; quarta die famulis indultum herorum cadavera disquirere. Leopoldi in prima serie repertum, vultu totóque corpore multis vulneribus conciso Königsfeldam detulerunt. Eadem in Ecclesia duo Principes, octo Comites, è Burgundis sexdecim, uno plures è Tyrolensibus, & viginti septem alii conditi. Præter hos, CLXXX. in diversa sepulchra asportatos Rhoo, & Fuggerus numerant. Reliqua trecenta, sex & quinquaginta nobilium cadavera eodem, quo pugnatum est, loco in unam fossam conjecta; monumenti vice Ecclesia super tumulum erecta. Inductam hac clade plurium annorum solitudinem in aulas Principum Arenpeckius asserit. Uxor Leopoldi Virida Bernabovis aut Barnabonis Mediolanensis, & Beatricis Scaligeræ filia Anno LXV. in torum adscita. E qua septem liberi superstites defuncto fuere.

Cæsorum Numerus.

Wilhelmus Affabilis, Leopoldus Superbus, Catharinæ è Philippo Audace Burgundiæ Duce genitæ conjux Anno MCDXI. extinctus. Ernestus Ferreus, Fridericus à vacua pera dictus, ducta post Elisabetham Ruperti Palatini Regis Romanorum Filiam, Anna Brunsvicensi Duce Sigismundi Tyrolis Comitis pater, è vivis abiit An. XXXIX. seculi decimi quinti. Elisabetha Henrico Goritiensi desponsa ante nuptias diem clausit. Margaritam Joañes Caroli IV. Filius Moraviæ Dominus consortem adlegit. Catharinæ maritum quidam attribuunt Conradum Burggravium Magdeburgicum; at Fuggerus, & Rhoo verius existimat cælibem obiisse, Virginibus ad Divæ Claræ Viennæ præfectam. Probi Nomen, quo vocabulo ea ætate præstantem militiæ virum ornare Germani consueverunt, illi fama attribuit, symbolo ipse insculpsit. Visebantur in eo claustra montium, geminarum manuum conatu in militares vias aperta; arcanum indicabat inscriptio: Virtuti nil invium. Hæc inter continentia belli studia malo tamen, nimirũ ab heroibus etiam non semper alieno laborâsse Leopoldum Haselbachius aliíq; cõmemorant. In Imperiali Sueviæ præfectura, quam An. LXXIX. à Wenceslao Cæsare quadraginta aureorum millibus in pignus obtinuit, commorato philtrum porrectum, unde mulierem quampiam impotente amore deperierit; extitisse verò tantam insanæ potionis pestem, ut velut rerum omnium ceterarum incurius, non se, non animum multo tempore ab ejus fœminæ forma avelli pateretur.

Leopoldi liberi.

Symbolum.

WILHELMUS
Affabilis.
DUX STYRIÆ XII.

NOn unam fortunæ injuriam Wilhelmus Anno LXXXVI. exhauſit, Patris, Sponſæ, regni, trium adeò chariſſimarum rerum jacturâ intra paucos menſes graviſſimè afflictus, ut vix ſatìs expediret, priúsne Filii, an Sponſi, an Principis partes dolendo expleret. Et patris quidem jactura cum violentæ mortis acerbitate: altera cum inſigni ignominia conjuncta ſenſum doloris in immenſum exaſperare poterant. Malum à Polonis creatum. E geminis Filiabus, quarum altera natu Major Maria Sigismundo, Caroli IV. Cæſaris filio, deſponſa, alteram Hedwigem Ludovicus Poloniæ, & Hungariæ Dominus Wilhelmo deſtinârat: Illam ſceptrum Ungariæ, hanc Poloniæ marito ſuo allaturam. Nè ea pacta aliquando irritarentur, multiplici cura Leopoldus caverat, ordinum regni primò conſenſu ſtabilita, ſubinde publicis literis firmata. Ambas Fuggerus exhibet; alteras XVIII. menſis Auguſti Anno MCCCLXXIV. Erenbergæ à Leopoldo datas, adjecta conditione, ut ſocer ſoceri ditionem, & generi patrimonium tueretur; alteras ab eodem XXIX. menſis Julii, Anno LXXXV. Budæ, quam in urbem vetera pacta cum Eliſabetha vidua innovaturus excurrerat, conſcriptas, queis ducenta florenûm millia afferenda à Filio pollicetur. Ultra hæc Wilhelmum in aula regis educandum Ludovico commiſit, ut in tenera adhuc ætate, alter ex alterius genio mores ad ſimilitudinem effingeret. Viciſſim Hedwigem ætate jam paululùm progreſſam aliquot annis Viennæ inſtituendam Ducibus Pater credidit. Cùm morti proximus Anno LXXXII. filias ſupremùm allocuturus Hedwigem revocâſſet, Wilhelmum ſponſam comitatum multa honoris ſignificatione accepit, egerátque cum ordinibus, ùt quod in votis eſſe Auſtriacis cognôrat, Mariâ Polonis conceſsâ Hedwigem Reginam optârent; at illis eum honorem à natu majore avelli non paſſis ſpem ſaltem alterius Regni Hedwigi legavit XII. Septembris extinctus.

Wilhelmus Deſponſatur Hedwigi, Ludovici Ungariæ, & Poloniæ Regis filiæ.

Nec diu magni Regis vota Poloni diſtulerant: mitti ad ſe Hedwigem altero à morte Ludovici anno poſtulant, ſequente à Ma-


GUILIELMUS.
Affabilis.
Crevit in adverſis Virtus. Lucan.
Christ. Dietell sculpsit Gravej.



Matre Elisabetha impetrant, illa, ùt erat naturæ illecebris affatim instructa, ac rara vultûs specie, sermone, totóque corporis habitu ad capiendos animos mirificè facta, voluntates sibi Procerum facilè devinxerat, ut imponi fœminam solio, & coronâ inaugurari paterentur. Uni Wilhelmo sponsæ forma fraudi fuit. Jagellonem Lithuaniæ Principem, dudum amore Regni ægrum, fama insuper formosissimæ Reginæ sauciârat. Eapropter geminos fratres, qui Hedwigem sibi ambirent, in Poloniam ablegat. jubétque cum universo senatu ampliſſimis conditionibus, cùm singulis grandibus promissis depacisci, Regiis muneribus Hedwigem captare. Expugnati non admodum operosè proceres non æquè facilè Reginam ad deditionem impulere. Est quippe amorum ferè, & odiorum conditio eadem. Utì his, qui primi imbuerint, nihil tenaciùs, ità illi, si in rude adhuc, & expers pectus descenderint, ipsa sensûs sui novitate sese altiùs insinuant. Hærebat tenera adhuc ætate intimis medullis hausſtus amor Wilhelmi, quem, si cum Jagellone componeret, nihil erat, quod in isto amaret. Staturæ modicum, moribus barbarum, vultu deformi rumor expingebat, sacris Christianis nondum institutum in comperto erat. Wilhelmum oris venustas, mores placidi, digna Regio fastigio corporis habitudo, & dulcissima à teneris consuetudo cõmendârat. Vetera itaque Hedwigis pacta, & datam Austriaco fidem obtendere, quam violare sibi jam tantò probrosiùs, quantò evecta altiùs esset. Proceres contrà: non esse, cur violatæ fidei infamiam formidet, infirmum omne pactum inter impuberes: Reginam præterea se meminisse, cui amare præterquam regno fas non esset. Si Wilhelmo nuberet, liberos quidem Regémque daturam reipublicæ: si Jagelloni, novam Regno ditionem, & quo, si pietatem suam in consilio adhibere velit, nihil habere antiquius debeat, ipsum Maritum Religionibus nostris parituram; inferendam ab se Poloniæ Lithuaniam, ejuranda idola Jagellonem pollicitum. Wilhelmi Provincias, & longè positas, & minùs amplas, & nunquam Regno accessuras. Illam adhuc restitantem an Matris authoritate dimoveri à sententia possint, experiri statuunt. Postquam è missis in Hungariam nunciis, Elisabetham suis consiliis acceſſiſſe audierant, nihil morati regnum, & sponsam Jagelloni addicunt.

Hedwigem Jagello Lithuanus obtinet.

Morbo Wilhelmus tenebatur, cùm, quod Poloni cuderent, renunciaretur; sponsæ jam magìs, quàm vitæ solicitus nondum confirmata valetudine in iter se conjicit, splendidum, numerosúmque equitum comitatum trahens. Cracoviæ in urbem, non itidem in arcem à Proceribus admissus: ad D. Franciſci divertit. Exarsere mutuo aspectu vehementiùs annosi igniculi. Hed-

wigis quotidie ex arce ad sponsum suum commeare, choreas agere, omnísque generis lætitiæ signa edere, nuptias vel invitis Regni ordinibus apparare. Igitur cùm nullo hortatu, blanditiis, minis averti posse cernerent, conclavi inclusam arce exire prohibent; nihilominus illa revulsâ serâ elabebatur, nisi Demetrius Gorayus regni Thesaurarius, cùm facundiâ, tum reverenti violentia egressam, dignitatísq; Regiæ admonitam, retinuisset. Perspecta Procerum obstinatione WILHELMUS nil ultra tentandum ratus, occultis itineribus sese imminenti à rivali periculo subducit. Thesauris, quos secum attulerat, nè properanti moram injicerent, Gnevossii Davelicii fidei creditis: sed quos illeinsigni perfidia in suos usus verterat. Paucis post WILHELMI abitum diebus Jagello adfuit, sacróque fonte ablutus, Uladislai nomen accepit. Sunt, qui referant WILHELMUM ritè matrimonio Hedwigi junctum, jussum à Pontifice causam dicere, constanter detrectâsse, dicere solitum: infra dignitatem Archi-Ducis Austriæ esse, pro levi inconstantéque muliercula litem cuipiam intentare. Ratásque inde Jagellonis nuptias Papæ fuisse; quid fidei adhibendum, Lector arbitretur. Errare Haselbachium palàm est, dum pro Jagellone sciviſſe Bonifacium IX. asserit, Urbano VI. uno post mortem Hedwigis, scilicet MCCCLXXXIX. subrogatum. WILHELMUM usque post sponsæ obitum distuliſſe nuptias in comperto est.

Wilhelmus è Polonia abit.

Sponsæ regníque irrito funesta Patris cædes eodem anno lautum Patrimonium obtulit, quod tamen non adiit, ditione omni in Patruum Albertum cum Trica dictum translata; literas Haselbachius recitat feriâ IV. ante D. Colomanum seu octavâ Octobris hunc in modum conscriptas: se cum Fratribus in potestate Patrui, dum is viveret, futurum; nulli attingere rempublicam fas fore; Provinciarum commodis unus prospiceret; de nuptiis Nepotibus provideret. Si è vivis abiret, WILHELMUS aut quisquis Agnatorum senior, & Ducibus & Provinciis non divisa potestate præesset. Si Albertus Junior IV. ejúsve hæredes partem repeterent, ordinibus, reliquísque fratribus incumberet, ab eo ambientem consilio deducere, dissidentes placare. Operâ denique frustra consumptâ præter Austriam, quam Albertus III. possederat, nihil ultra reciperet. Defuncto Alberto III. ùt conventum erat, WILHELMUS gubernacula etiam Austriæ suscepit; perstitit concordia, quamdiu inter socios Imperii dùrare consuevit. Hiavit non multò pòst ea Ducum consortio; dum quivis nimirum servire se crederet, nisi consorti imperaret; itaque alter non rarò alterius acta refigere, latas leges oppositis mandatis elidere, quem hic Aulicorum odisset, ille fovere. Inde suis quoque simultatibus collisi proceres. Nobilitas Austriaca ab Alber-

Alberto Tertio regimen Provinciarum cedit.

to:

to: à WILHELMO Viennenſes cives Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæque proceres faciebant. Hic ætatis prærogativâ, ille jure portionis hæreditariæ ſe potiorem ferebat. Nec levia, nec parva id Ducum diſſidium, ùt fieri neceſſe eſt, mala in rempublicam invexit, & graviora, nî quieſceret, minabatur. Sed eatum Alberti iter Anno fors MCCCXCVII. in Palæſtinam ſuſceptum, tum nova conventa aut ſopierunt, aut conſanârunt. Acquievit WILHELMUS, ut pari poteſtate patruelis Auſtriam adminiſtraret. Ille verò, ut ſe defuncto juxta veterem conſuetudinem penès ſeniorem omnis procuratio relinqueretur.

Poſt reditum è Syria domi litigare non vacavit, aut bello diſtentis, aut belli metu ſuſpenſis, aut nuptiarum apparatu occupatis. His quidem WILHELMUS Joannam Caroli Dyrrachini, Parvi (de pace aliis appellatur) Regis Hungariæ filiam ſibi ſociavit, quam Bertholdus Epiſcopus Friſingenſis, Andreas Grillenbergæ Curio, & Nicolaus Vorlauffius Viennenſis Civis Anno MCDII. magnificâ pompâ Viennam deduxere. Labacum ſponſæ obviam progreſſum, eadémque in urbe Nuptias celebrâſſe, quidam referunt. Doti non pauciores ter centum florenûm millibus dixiſſe Joannam ferunt. Bellum aut eodem, aut ſequente anno fratris causâ Sigismundus Rex Hungariæ minabatur. Wenceslaum evertendæ reipublicæ, & pietati natum Principem, Imperio Electores Anno MCD. Francofurti exuerant, Bohemi regno etiam depulſum cupiebant. Conſilium Sigismundo Wenceslai Fratre, & Jodoco Moravo patrueli fulcientibus. Manus igitur ad Beraunam inopinatò injiciunt. Vinctum in Turrim nigram arcis Pragenſis compingunt; verùm omni cuſtodiæ intra regni fines diffiſi, quòd Anno XCIV. mulierculæ operâ, & lintris beneficio, è curiæ Pragenſis carceribus elapſum meminiſſent, Przibenizium, hinc Crumlovium, poſtremò Viennam deportant. Sed quæ erat miſeri ceteroquin Principis in eludenda cuſtodum ſolertia felicitas, hìc quoque excubias fefellit. Qua arte exitum ſibi confecerit, variant ſcriptores. Dubravius narrat in turrim paucis conſciis detruſum; oblatam ſubinde à Piſcatore ſericeum funiculum, quo è feneſtra demiſſus parato jam lembo in adverſam Danubii ripam evaſit. Alii memorant haud procul aula cuſtodiæ ſemeſtri mandatum, cùm fratres vix longa die conciliandos appareret, miſertos Wenceslai Duces rigorem carceris non nihil laxâſſe, dediſſéque, ut urbem, & vicinos campos animi causâ obambularet, qua ille indulgentiâ uſus profugerit, exceptúsque à Joanne Liechtenſteinio, qui eum in finem L. Sagittarios in vicino occultârat, Nicolſpurgum, hinc Pragam pervenerit; in viginti quatuor hebdomadas, in quadraginta

Wenceslaus Rex Bohemiæ Viennæ captus.

alii, alii in duodecim ſupra annum Viennenſem Wenceslai carcerem extendunt. Ut res ſe habuerit, dolo certè dimiſſum ſuſpicatus Sigismundus quadraginta ſuorum millia Auſtriæ minabatur, ùt primùm hyemis ſævities remiſerit. Eximendis è furentis animi ſuſpicionibus Albertus, Leopoldus, & Erneſtus ad Sigismundum excurrunt, felices ſanè conciliatores, ùt qui non ſibi pacem modò, ſed ſpem novi Regni nepotibus etiam referrent. Quippe Sigismundus Auſtriacorum amicitiam toties ſibi utilem expertus, ut ultra verborum officia gratias referret, Albertum regni Hungariæ, junctarúmque ditionum hæredem dixit, ſi non genito filio ſibi mors contingeret. Filiabus modò, quæ ſupereſſent, dignas natalibus nuptias pararet, ſingulis è centum aureorum millibus dotem conficeret. Cúmque eadem olim ab ſe Jodoco Patrueli promiſſa meminiſſet, eas literas novis tabulis antiquavit, Imperialis Vicarii ſigno munitis. Pacis verò leges fuere, ſibi per Bohemiam, & Moraviam bellum facienti Auſtriaci ſexcentos haſtatos ſubmitterent, quos ante ſex menſes non evocarent. Prædones coërcerent.

Wenceslai fugâ offenditur Sigismundus.

Conciliatur Auſtriacis, & hæredes Regni Hũgariæ dicit.

Liberandæ fidei opportunitatem mox Moravia obtulit, quam Procopii, & Jodoci Barbati, deſignati Cæſaris fratrum, Marchionum diſſidium dudum miſcebat. Querebatur Procopius anguſtius, ac oportebat, ſibi Patrimonium obveniſſe: iniquam diviſionem ut Frater reſcinderet, poſtulat. Jodoco ad eas querelas nil moto, è facinoroſorum hominum colluvie exercitum conflat, adjunctísque Ducibus Alberto Vettavio, & Henrico Dürnteuffelio de Geiſpizio Moraviam omnem naviter emungunt, eâque depaſtâ populationes in Auſtriam proferunt. Collectitium militem in latronum manipulos Ulricus Dachsbergicus, & Fridericus Waldſejus ſæpius eduxere, eversísque hinc & inde latibulis carpi, non tamen exſcindi quatuor annorum ſpatio fæx potuit; ubi occupatâ Znoymâ proterviùs inſultare cœpiſſent, à latrunculis toties provocari indignatus Albertus ſtirpitus malum evellere ſtatuit, reditu in urbem ſibi jurejurando interdicto, niſi dignas de furibus pœnas ſumpſiſſet. At Ducum imperitiâ factum, ut ſedecim millium exercitus nullo operæ pretio urbi in ſextam hebdomadem aſſideret. Alia quidem continuò obſidionis facies erat, poſtquam in caſtra Sigismundus auxilio veniſſet; verùm, ùt tum quidem ſuſpicio ferebat, paratus in omne flagitium Procopius, dum ſe imparem hoſti vidiſſet, ad proditorum artes confugit, parùm ſolicitus, fœdiſſimo flagitio, an virtute hoſtem amoliretur. Veneno utrumq; aggreditur, Sigismundus mox ſolicitato pharmacis ventriculo malum evomuit. Albertus Clauſtro-Neoburgum ſoluta obſidione delatus XXV. Auguſt. Anno MCDIV. dyſenteriæ ſuccubuit.

Moravi prædones caſtigati ab Auſtriacis.

Albertus IV. Moritur.

Mors

Mors Alberti ad unum WILHELMUM Provinciarum regimen iterum devolvit, simul Albertum quintum impuberem in ejus tutelam commisit. At ultoris partes non ille duntaxat, sed & Jodocus Marchio sibi impositas putavit. Hic quidem non multò pòst Znoymâ flagitiosos hostes expulit; ille verò castro Weiterschlagio, quod dolo prædones interceperant, expugnato, quotquot intra muros comprehenderat, in furcam egit; pluribus subinde castris exuti, cùm nuspiam tutos sese Dürnteuffelius, Henricus de Nova Domo, & Vettavius cernerent, obsequentes posthac se fore jurejurando pollicentur. Nec veniâ modò, sed & ablatis fundis supplices, justo equidem, si ab eventu metiri virtutem liceat, clementior WILHELMUS donavit. Mox enim Vettavius beneficii immemor eodem Anno MCDV. nocturno furto Drossendorffio urbe potitus, arcem assilire cœperat. Sustinuit vim Zacharias Hadererus impiger animi Centurio, donec missæ à WILHELMO colonorum militúmque suppetiæ obsidione, & urbe hostem dejicerent. Vettavius alieno habitu fugam molitus eorum manibus, quibus plurimùm nocuit, interiit; agnitum quippe rustici triginta sex vulneribus discerpserunt.

Wilhelmus iterum in Moravos.

Amotis uno latere Bohemis, & Moravis, altero Hungari successere, sesqui altero mense quàm impunè, tam impigrè Austriam deprædati. Inter maxima damna, quæ dederant, illud ferè funestissimum, quòd Ducem cum Rege propè commiserant. Cohortes aliquot militum in palantes, suíque securos WILHELMUS immiserat, qui cæsis paucis provecti ulterius cùm è receptaculis diversis plures extrahunt, tum sexaginta Nisiderii captos Viennam ad supplicium de iis sumendum perducunt. Pependere alij, aliis vitam emere indultum, alii inter compedes nuperam celeritatem luere coacti. Coxit eà popularium pœna acerbissimè Ungaros. Austriacos audaciæ Sigismundo accusant, qui fines regni ingressi, alienæ dominationi subjectos adversùs jus fásque comprehenderint, quæstioni subjecerint, atroci sententia damnârint: vim non tam iis miseris, quàm Regis authoritati illatam videri; ignominiam toti genti illatam nisi armis expiari non posse. Pronis auribus querelas Sigismundus excepit, alioquin WILHELMO ob conjugium cum Joanna infensus, quæ Reginæ Hungariæ titulum, tristes nimirum Paterni Regni reliquias usurpabat. WILHELMUS tacitè bellum apparari intelligens, è vestigio Bertholdum Frisingensem, Georgium Passavienſem Episcopos, Reimbertum Waldsejum, Ottonem Meyssovium aulæ Præfectum, Maydburgicum Mareschallum, Antonium Viennensem Præpositum, & Ottensteinerum Posonium ablegat, quibus se Dux Ernestus adjunxit, facti rationem reddituros. Perstabat nihilominus obfir-

Item in Hungaros.

mato in bellum animo Sigismundus; quidquid illi aut elevando, aut tuendo facto afferrent, acerba oratione illatam Regno injuriam exaggerabat; tum animosior ceteris Waldsejus: seu Rex simulatis minis bellum spires, seu decreveris, nihil ad terrorem nostrum agis. Falleris, si legationem hanc WILHELMO extortam à timore existimas, suscitati ab se belli invidiam, non tuam potentiam irámve metuit; quieti publicæ, innocentum plurimorum vitæ, non suæ solicitudini consultum cupit; si tamen tantus tibi amor bellandi est, non defraudabimus genium tuum. Meis, non sanè locupletissimi, impendiis mille tibi hostes anni spatio alam; de quanto numero militum hìc præsentes, de quanto alii multò me copiosiores tibi gratificaturi sint, conjice. Detumuisse hac loquentis libertate spiritus continuò patuit, quòd, digressis præ indignatione ceteris, Ottensteinerum, & Præpositum Hungari retinuere, transactúmque eo est, ut bello interea suspenso ad conficiendam pacem Legati Posonium redirent.

Conciliatur Sigismundus offensus.

Mors Wilhelmi.

Pacare Austriam, non itidem pacatâ diu frui WILHELMO licuit. Ab equo, cui insederat, cùm adductis fortiùs habenis resupinâsset, oppressus eodem Anno MCDVI. pridie Idus Julii expiravit, postquam triginta quatuor vitæ annos explêsset. Ferunt Leonem, quem cicurem ab se redditum domi suæ aluerat, unà cum catulo inter lugubres ejulatus ad feretrum prostratos avelli inde non potuisse: cùm cadaver ad Divi Stephani efferretur, vi, nè sequerentur, conclusos, cibum omnem, donec fame perirent, respuisse. Occasionem ea res symbolo WILHELMO attributo præbuit. Leonem id præfert tumbæ incubantem subjuncto lemmate: Ars vincit naturam. Nomen sanè affabilis non immerito inditum, vel hinc conficies, qui belluarum ferociissimæ mansuetudinem afflavit. Præfectum à Wenceslao Cæsare fuisse aliquando Germaniæ Lazius apud Rhoo testatur. Joanna Vidua post conjugium sterile in Italiam mense Novembri se retulit. Anno XIV. ab obitu Ladislai fratris regnum Neapolis indepta, cum Jacobo Borbonio, Marchiæ comite altero anno in manus convenit, quo repudiato inconstans animi fœmina pari levitate, quâ maritum, hæredes exautoravit; nam cùm nullum peperisset, Alphonsum Arragonem primùm, dein Ludovicum Andegavensem adoptavit. Diem Anno seculi XXXV. clausit.

Symbolum.

Uxor.

ER-


ERNESTUS I.
Ferreus
Ferrea virtus, et labor, et pietas. Borth.
Christ. Dietell sculpsit Gravey.



ERNESTUS
Ferreus.
DUX STYRIÆ XIII.

DEfuncto Wilhelmo cùm ſuperſtites Fratres, & integram concordiam vellent, & ſervari ab ſe poſſe deſperarent, ſi penès unum omne, aut commune penès omnes regimen eſſet, Patris exemplum præ Avi Proavíque legibus ſecuti diviſis potiùs terris, quàm animis imperare ſtatuerunt. Leopoldo Burgovia, Brisgovia, Alſatia, Ergovia, Suevia, quæque Rheno Helvetísque vicinæ, decreta. ERNESTUS tertio loco genitus Styriam, Carinthiam, ceterásque Auſtriæ interioris Provincias, Fridericus natu minimus Tyrolim creverunt. Non ideo tamen fomes omnis diſcordiarum ſubmotus; adeò res humanâ induſtriâ artéque major eſt, inter pares natalibus diſpariles honores, & fraterna amicitiæ jura conſervare. Leopoldum, ùt qui ceteros ætate anteiret, regendæ Alberti V. Juventuti Auſtriaci præfecerant, fidémque IV. Idus Auguſti jurârunt. Id genus honoris ſibi quoque deberi, dividendum tutelæ munus non minùs ac patrimonium reliqui duo contendebant: nè ſcilicet vel alieno nomine latiùs Frater imperaret; Fridericus quidem non tam ſibi, quàm ERNESTO eam prærogativam efflictim cupienti ambiebat. Foco adhucdum dubiè calenti impigrè Proceres pabula miniſtrabant, quorum alios Leopoldo, Friderico alios æmulorum odium, ſpésque opprimendi, aut primæ admiſſionis deſiderium, quam ab aliis præceptam alibi deſperâſſent, adſcripſerat; quibus apud neutrum majoris compendii ſpes ſe obtuliſſet, utérque diſplicebat; paucis reipublicæ rationes ante privatos habentibus. Sopitam ad tempus controverſiam Leopoldi facilitate, ſunt, qui referunt; ſed quo demum pacto id factum, variant: alii ſingulos alternis menſibus, alii utrumque communi poteſtate, nullo temporis diſcrimine tutelam geſſiſſe, arbitrantur. Lazius inſuper quadraginta aureorum millia in ſingulos annos Leopoldo decreta aſſerit. Non coaluiſſe tamen populi ſtudia è Neoſtadienſium facto conjicias. Nam ERNESTO, cùm ſub autumnum anni ejusdem in Styriam tenderet, urbísque hoſpitio accipi expectaret, portas cives occluſere; multum deinde ordinibus deſudandum fuit, nè generoſo nimiùm ad-

Dividunt Provincias Leopoldus, Ernestus, & Fridericus

Ernestus Tutelam Alberti V. ambit.

versùm Leopoldum studio Ernesti arma ad muros suos accersèrent. Vero simillimum est, illatum aliunde bellum domesticis turbis inducias imperâsse.

Moravi populantur Austriam.

Etenim Moravi nondum obliterato prædarum, quas sæpius antehac egerunt, gustu illecti denuo Duce Sockelio redierant, Patriæ recenti seditione exhaustæ penuriam Austriæ opibus levaturi. Populationes non aliter ac bellum è militari disciplina auspicati Lahæ oppido primùm insidiantur, quo applicitis noctu scalis transcenso, quotidie deinceps onusti prædis in spoliarium suum revertebantur. Auctus indies facinorosorum accessione numerus eò excreverat, ut eam latronum coloniam suis sanè ingratiis deductam exscindere, nisi justo exercitu, Leopoldus desperaret: quamquam & is demum frustra fuerit, emeréque receptum, qui invitis extorqueri non poterat, à volentibus oporteret. Sexcentos in eam expeditionem è Styria Ernestus Lobingerius, & Casparus Saurekerus veterani centuriones adduxere. Primo assultu parùm aberat, quin oppidum caperetur, effractâ jam à Weichardo Polheimio portâ, magna hostium parte è muris depulsa; at cum inclamanti suppetias Polheimio nemo ferret; ingruenti multitudini impar & ille recedere coactus, & spe expugnandæ urbis evoluti, Berchtoldus Frisingensis, & Comes Montfortius obsidionem solvêre. Addidit ea debilitatis confessio Sockelio animos, ut jam in campo congredi auderet. In Styros, quos ad fines excubare Frisingensis jusserat, invectus, paucis cæsis plerosque cum multis Austriæ nobilibus comprehensos cupiditate lytri servârat. Acceptis triginta (quinquaginta numerant alii) aureorum millibus, captivos cum oppido Laha restituit. Stipulatum insuper Leopoldum à Sockelio, & affine ejus Sidlizio opem, si subigendæ Austriæ, quam eripere hæredi Alberto meditatus fuerit, opus eâ foret, scriptorum aliqui suspicantur.

Cum ære etiam pacem domesticam abstuliſſe Moravi visi sunt, adeò celeriter ad lacerandam suis moribus rempublicam consilia, animósque Austriaci flexerunt. Objiciebant Leopoldo ij etiam, qui in tutelam nuper Albertum impuberem suis suffragiis dederant, Tutoris munere abuti; circumscripto subdolè Hærede, Austriæ dominationi imminere; exacta præter morem à præcipuis Viennæ civibus, & Ecclesiasticis vectigalia non reipublicæ commodis impendi, sed privatis lucris apponi. Ernestus & eo rumore, & Clientum suorum, præcipuè Friderici Waldseji literis excitus Viennam properat compendii quidquam eis ex turbis eliciturus. Nihil hactenus præter Duces plebs expectârat; ubi eos nacta, jam apertè in factiones suas secedere, cum

Intestini motus in Austria.

paren-

parentibus filii, fratres, agnati inter sese collidi, ut adeo è foro in privata tecta Ernesti, & Leopoldi dissidia immigrârint. Leopoldum Viennensium fratrísque metus Neostadium abstulerat, quem affectatus Bertholdus Frisingensis aulæ Cancellarius convocatos Ensisdorffium, Comitem Maydeburgicum, aliósq; Nobiles in fide confirmat. Ernesto Fridericus, & Reimbertus Waldsejus cum plerísque Austriæ Proceribus adhæsit. Vienna à se dissidebat, Magistratus pro Ernesto, pro altero inferioris conditionis cives & opifices pugnabant. Georgium Patavienſem Bertholdi odium, & clientum ferocia à Leopoldo alienârat, à quorum manibus non profana, non sacra intacta. Eckenburgum, Drosendorffium, Laham, quòd Ernestina essent, inhumaniter habita: Cœnobium S. Crucis, Campililiorum, Gottwicense, Medlicense, Zwetlense pari rabie expilata. Causa furoris ad insaniam usque aucti anathema in eos, ipsúmque Bertholdum, etsi presso nomine, publici tumultûs si minùs authorem, fautorem certè à Georgio Patavienſi libratum. Regionis demum tutelam, sacrarum præcipuè ædium, Reimbertus Waldsejus Austriæ superioris Præfectus in se recepit, repressóque furentium impetu Welsium, Laureacum, Gemundam aliáque oppidula eripuit: mutuis cædibus fatigatos miseratio tandem Patriæ cepit, ut ad colloquium venire Clausstro-Neoburgum Anno MCDVIII. litigantes sustinerent. *Sedatur tumultus.* Dilatis tantisper discordiis Viennam Leopoldus, Ernestus Græcium sub Saturnalium tempus repetiit.

Prostratam Leopoldi fortunam mors Friderici Waldsejí utcunque erexit, qui non multò pòst nitrato pulvere, quem infima domûs parte reconditum per servi incuriam illapsa cum conclavi scintilla corripuit, in auras ejectus interiit. Hoc fulcro subducto penè Ernesti factio corruerat. Tam plebe, quam multis Nobilibus adversas partes amplexis, Reimbertus unus in fide perstitit. Nec in hoc rerum articulo Ernestus sibi deerat, relecto continuò Viennam itinere, nutantes suâ præsentiâ confirmare aggreditur. At ubi novos tumultus imminere Provinciales intelligunt, Neostadii primum, consumptáque hìc operâ ad D. Hyppoliti Fanum alterum conventum edicunt, quo sinè fructu dissoluto, affectum jam pacis negotium penitus intempestivo vindictæ studio Leopoldus disjecit. Accesserat ad id colloquium urbis Viennensis nomine Conradus Vorlauffius Consul, Joannes Rokius, Henricus Unterhimellius, Nicolaus Flussartus civium Primores. Reduces etsi publico commeatu instructi cæso Flusatio insidiis reliqui excipiuntur; mutatóque ter carcere libertatem duobus florenûm millibus ægrè obtinuere. Nondum hac pœna Leopoldi ira resederat; majus supplicium meditanti brevì se occasio

casio ingessit. Reversus Viennam partem murorum dirui, & viarum capita catenis clausa aperiri postulârat: utrumque se facturum senatus negavit, quæ repulsa, sed magis plebis querelæ miseros in exitium egerunt. Populum revera sociorum cædes, quos nuperis tumultibus capitis Magistratus damnârat, premebat: longè tamen diversis querelis illi ad vindictam sibi viam munivunt. Immanibus vectigalibus alimentorum, vini præprimis, pretium exaggeratum queruntur, peculatûs senatum accusant. Nulla jam defensio, precésve propinquorum præ damnatis patrocinabantur. Vorlauffius, Rockius, Conradus Rampelsdorffius, Rudolphus Angerfeldius cum tribus aliis cervices securi subjicere VII. Julii jubentur.

Incredibile, quantam id supplicium non domi duntaxat, sed & foris Leopoldo invidiam conflârit. Instaurant Conjurati fœdus, Reimbertus Waldsejus adscito in societatem Rosenbergico palàm in armis erat, seditiosis vocibus, & apparatibus villæ, oppida passim perstrepebant. Sockolium cum Joanne Maydeburgico Leopoldus advocârat, Hiberius Polonus, prædarum causâ Austriam pervagabatur, potens in Hungaria Dynasta. Hunc quidem Stubenbergicus à cervicibus civium avertit. At nè in tristiores nuperis tumultus respublica revolveretur, uni Liechtensteinii Tridentini Episcopi, nuper Viennensis Præpositi solertiæ debebatur: procerum ille domos concursare, imminentia mala ob oculos ponere, pacem persuadere denique; itaque communi consilio duodecim arbitri deliguntur, quorum sententiæ si acquiescere alteruter Ducum recusaret, se hostem Sigismundus Cæsar arbitrorum Princeps minabatur; ante omnia Frisingensis exesse Austriâ, & munere jubetur. Tum hæ leges An. MCDIX. scribuntur: Leopoldus Neostadium secederet; in ejus tutela Albertus perseveraret; Ernesti cura deinceps esset, dissidentes ordines conciliare; pacem ipse coleret; & si ad domandos pervicaces opus esset, vires fratri conjungeret. Quibus peractis Leopoldus relicto Neostadio, Ernestus Eggenfurto, positis simultatibus inter festivas populi acclamationes Viennæ se reddiderunt. Mense Majo allata à Sigismundo Cæsare pacificationis capita, queis ab utroque probatis, Alberto Principi, Leopoldo & Ernesto tutoribus sacramentum Cives dixerunt. Fratres ad adventum Friderici Viennæ commorati, antequam in suam quisque Provinciam abiret, thesauros ab Abavis longo annorum intervallo collectos æquabili partitione cum Alberto divisere. Turbarum denique nervos plenè incîdit consecuta Anno MCDXI. Mors Leopoldi. & Alberti matura reipublicæ gerendæ ætas. Refert tamen Haselbachius Ernestum, & Fridericum, Alberti jam rebus

Novi turbis compositis Duces in amicitiam redeunt.

rebus impositi regimen prensâsse ; at postquam hostiliter agere cœpissent, à Waldsejo Bohemorum ope aut territos, aut repressos iram in Waldseji per Styriam bona vertisse.

Ernestum, quem cum Leopoldo tutelæ prærogativa, cum altero Fratre Friderico ejus calamitas commisit. Origo discordiæ ea fuit. E Constantiensi concilio, quod Anno MCDXIV. dirimendæ trium Pontificum causæ celebratum, cùm æmuli Benedictus, & Gregorius adesse detrectarent, se clàm Joannes subduxerat, operam, aut ingenium veriùs hunc in modum commodante Friderico. Equestres ludos ad Civitatis pomœria adornavit, ad quos, cùm ex urbe Civium multitudo affiueret, turbæ immistus equisonis habitu custodes fefellit. Odoratus quidem id consilium Cæsar tum Joannem, tum Fridericum dehortatus erat. Sed impulit cumprimis Ducem, quòd ejus fidei Joannes, antequam Constantiam venire in animum induceret, se commisisset, tum, quòd ipse se ab Episcopis Constantiensi, Curiensi, Tridentino sibi infensis graviter accusandum, nec victorem facilè abiturum prævideret. Intellectâ Pontificis fugâ Cæsar Fridericum, quòd ad diem evocatus vadimonium deseruisset, hostem reipublicæ Majestatis reum pronunciat: potestatem occupandi ditionem ejus, cui liberet, facit. Helvetos, ut in partem prædæ venirent, invitat, fœderis, quod in quinquaginta años cum Austriacis pepigerant, religione solutos authoritate concilij dictitans. Omni itaque parte arma expediuntur, inter hostes nomen profitentur, non ii duntaxat, quos veteres offensæ alienârant, sed amici, & multis ceteroquin nominibus Austriacæ genti obstricti, Nellenburgicus, Montfortius, Werdenbergicus, Toggenburgicus, cum sexcentis aliis. Dignum hi omnes inimicitiâ suâ Fridericum censebant. Cùm illi non deesset, quod auferrent, & nihil haberet, quod impunè rapi non posset: concilii tamen sententiam obtendebant. Et erat sanè, cur utilis non minùs hostis nunc videretur, ac nuper amicus; siquidem amplissimum Leopoldi Fratris Patrimonium à morte ejus adierat. Torrentis instar diversissimi hostes in Provincias effusi anno nondum circumacto, quantum Austriacis paruit, subigunt. Ernestus, nè Frater-na ditio alienis duntaxat præda fieret, ad legenda spolia in Tyrolim aut evocatus à civibus, aut certè non invitis receptus advolat.

Fridericus Tyrolensis à Cæsare & Concilio proscribitur.

Ernestus Tyrolim occupat.

Fridericus jam nihil præsidii in armis & amicis cernens, consilio demum Ludovici Palatini affinis sui se permisit, eóque & Burggravio Norimbergensi comitatus Constantiam ad Cæsarem redit, quò severè increpitus Papam reducere, omnes Provincias Imperatori tradere, aut veniam desperare jubetur. In utram-

que conditionem descendit; Missi in Tyrolim Legati non multo pòst, quàm cives fidem obligâssent ERNESTO, tempore literas attulere, quibus Ordines ad obtemperandum posthac Imperatori Fridericus hortabatur. Multo stomacho Legatorum adventum ERNESTUS audiit. Ad se vocatos excedere continuò finibus, & renunciare Sigismundo jubet: satiari dudum ejus cupiditatem Helvetiæ Sueviæque oppidis debuisse: plus satìs utiliter Cæsari suum fratrem jam peccâsse, optare certè posse, nè similes rei desint deinceps. Nisi ERNESTUM justo diutius præceps sententia latuisset, effectum haud dubiè fuisse, nè delicti modum vindicta adeò excederet. Si Fridericus deliquit, ab eo pœnas repeteret: cur illas ad universam Austriacorum gentem extendisset. Se non minùs ac fratrem Leopoldo Probo genitum: non posse alterutrum patrimonio exui, quin uterque spolietur. Quòd si verò & isthæc abessent, quid tandem piaculi, involâsse in spolia, quæ cuique exposita Cæsar volebat? Ergoviam, & Turgoviam Sigismundi munificentiâ insideri ab Helvetis. Sibi omnino deliberatum valle Attesina, & Tyroli non decedere. Nôrit Imperator, vetus esse incolarum privilegium: se ad obstringendam cuipiam fidem jure adigi à nemine posse, nisi cui castrum Tyrolis pareat; si tanta illi Regionis cupido, veniret; sed id ferro, non mandato expugnandum putaret; sibi curæ futurum, nè indignum Cæsare hostem ab se obsideri queratur; Sigismundum, etsi liberum ERNESTI responsum pupugerit, devorandum tamen ab eo putabat, quem animo ferreum, mandatis nunquam: montibus clausum, non nisi post longum fortè tempus, armis edomandum prospiciebat.

Fridericus cùm constantiâ elapsus in Tyrolim venit.

At Fridericus id factum Fratris nec probandum, nec dissimulandum omnino putavit. Pejore loco res suas in Tyroli stare non posse ipse existimabat, ùt quam à Cæsare, quàm fratre occupatam maluisset. Pessimo reverà Constantiæ stabant. Urgebat identidem Tridentinus Cæsarem Patrésque, ut vindictam insisterent. Ergo & suæ Tyrolis solicitus, & nè quid, si in hostium potestate maneret, gravius in se statueretur veritus, clàm sese Constantiâ proripit (Arenpeckii opinio est: capitis anquisitum fuisse, sed precibus Principum in castro ad Rhenum incluſum annuos carceres subiisse, è quibus abierit, excubiis ære corruptis) sed jam Tyrolim non magìs ferè suam, ac Sueviam reperit. Ordinibus ERNESTUM secutis plebs tantummodo, & Civitates quæpiam Fridericum agnoscebant; coram his proinde de Fratris injuriis expostulare, cujus parùm decora ambitione vel in fundis suis exulet: fidem eorum obtestari. Anno sequente MCDXVI. Ludovicus Palatinus, & Eberhardus Neuhausius Salisburgensis Antistes integrandæ amicitiæ munus in se recepere, postquam

Cum fratre litigat.

Fra-

Fratres Auſtriacos Udalrico Brixinenſi conciliâſſent, recuperato illi Cancellarii munere. Cùm verò negotium inter ERNESTUM, & Fridericum minùs procederet, Merani, atque hìc ſinè fructu ſolutis altera Oeniponti comitia indicuntur; ante quæ Udalricus Brixinenſis ERNESTI, quàm Friderici ſtudioſior clanculum proceres allocutus in hæc pacta pertrahit. In proximo conventu nullius præterquam ordinum arbitrio litem dirimi paterentur; qui ſententiæ intercederet, hoſtis Patriæ haberetur; quinque præterea ſummi arbitri, delecti bini ſingulis Conſiliarii adjuncti; hæc conſcio ERNESTO, at ignaro Friderico acta, ſimul ac in ejus conſcientiam perferrentur, literis in omnem partem diſperſis ſe circumventum queritur, deceptos ab Udalrico, qui in fœdus conceſſiſſent, perſuaſi, quod utriúsque Fratris conſenſu iniretur. Viciſſim ERNESTUS conjuratos in propoſito obfirmare; ad vim res vergebat. Quippe plebs Fridericum reſtitui pertinaci ſtudio poſtulabat, à quo multò mitiùs ſe habitam, quàm ab ERNESTI Præfectis meminerat. Ipſis demum Ducibus civile bellum deteſtatis reddita ſub anni exitum Tyroli in Styriam ERNESTUS retroceſſit. Atque hic ille eſt, quem, quòd pòſt amiſſos Cæſaris ſententiâ Provincias ad incitas redactus videretur, Fridericum cum vacua pera dixere; quod convitium, ut oſtentatis divitiis retunderet, famoſo Oeniponti tecto ducenta aureorum millia illevit.

Erneſtus & Tyroli recedit.

Vicit interea Conſtantiæ Tridentinus, publicísque templorum foribus proſcriptum Friderici nomen pendebat. Indignatus ERNESTUS toties in vetus ulcus ungues defigi, mille ſecum equites, & numeroſam peditum manum Conſtantiam abripit, juſſisque in propinquum præſtolari ceteris, centum equitum cohorte ſtipatus rectà ad Cæſarem tendit. In os illi injuſtam ſententiam exprobrat. Venditas ab ipſo ruſticæ plebi (Helvetos intelligebat) florentiſſimas Provincias, futurum haud dubiè, ut agricolis poſthac ſerviant Principes, Cæſárque profectus in bellum equitum comitivâ careat, niſi nobiles volones è colonis, & ab aratro accerſat. Loquentis libertas, armatorum comitum numerus, & fama, quæ offenſos Tridentino Venetos opitulaturos Auſtriacis vulgabat, Sigismundum impulit, ut Fridericum in priſtinum dignitatis reponeret. Jacturam tamen ditionum non modicam ſubiit; nam alias urbes Cæſar imperialibus accenſuit, alias pignori elocavit. Quas Helveti ad Arulam occupârant, nunquam rediere.

Fridericus ſecundo proſcribitur.

Cæſari concilia-tur.

Sed antequam Friderici infortunium, ortúmque inde Fratrum diſſidium ennarraremus, ERNESTI in Palæſtinam iter dictum oportuit, ſi temporis ordinem ſervare libuiſſet; ſolitæ ejus ævi

Erneſti iter in Palæſtinam.

pietati indulgens, Anno XII. postquam Conjugem Margaritam Boguslai V. Pomeraniæ Ducis Filiam Sigismundi Cæsaris materteram, amisisset, in iter se dedit. Nomina Nobilium, qui Ducem ad invisendum Servatoris sepulchrum comitati, Augustus Filius Fridericus sua manu memoriæ prodidit. Comentariis his in Cæsarea Bibliotheca asservatis nomen Diarii indidit. In Cellensis porrò itineris diario hunc in modum à Lambecio refertur. Catalogus eorum, qui cum meo Domino, & Parente ad sanctum sepulchrum Equites creati sunt: Comes Paulus Forchtensteinius, Leopoldus Kreigius, Rudolphus Liechtensteinius, Albertus Neibergius, Ulricus Stubenbergicus, Henricus Pottendorffius, Wolfgangus Draunerus, Wilhelmus Zelkingius, Joannes Eberstorffius, Ulricus Wilhelmus Smaurerus, Ulricus Velberus, Joannes Sweinwarterus, Joannes Spaurius, Ulricus Starkenbergerus, Franciscus Strassaverus, Georgius Fürstenvelderus, Joannes Launius, Wolfgangus Jörgerus, Colomannus Windischgrazzerus, Joannes Zinkius, Ulricus Würffelius, Wolfgangus Jörgerus, Conradus Nempsius, Joannes Sweinpeckius, Casparus Pelkendorfferus, Ulricus Langius.

Nomina eorum qui ad sepulcrum Domini creati equites cum Ernesto.

Iter in Hungariam.

Altero anno redux Budam sub ipsum tempus comitiorum ad Regem Sigismundum divertit, quo haud ità pridem Albertus Dux Austriæ, Cæsaris gener, concesserat. Offensum Ernesti apparatu Sigismundum Haselbachius meminit, quòd manipulos terentium imagines phaleris intextas equi gestarent, Albertóque conciliatore opus fuisse. Inter confabulandum cùm eximiam Cimburgis speciem miris laudibus extolli sæpius à principibus audiisset, puellæ amore tactus, non antè tamen in torum postulare voluit, quàm ipse coràm, quàm vera referrentur, explorâsset. Nata Cimburgis erat Ziemovito Massaviæ Duce, & Alexandrâ Uladislai Jagellonis Poloniæ Regis filiâ, ideóque paucis eæ nuptiæ probabantur, qui Wilhelmo affabili illatam à puellæ avo, injuriam nondum concoxerant; sed veniam mereri Ernesto facilè visus est avus, qui neptem haberet, quæ mereretur amari, vehementiore flamma justæ iræ ardorem obruente: paucis viæ comitibus, vestéque aliena latens Cracoviam, ubi puella educabatur, subiit. Ingenium, mores, formam Virginis ignarâ adhucdum suæ fortunæ sponsâ observat; postquam satìs deprehendisset famam, ùt aliàs solet, eundo non crevisse, se, suíque itineris consilium Regi manifestat. Pronis auribus excepta ab Uladislao petitio, novísque sponsis nuptiale festum in aula sua prosocer superbissimâ pompâ adornavit; felicib· s auspiciis, & bono certè genio ductus hoc cum Cimburge Conjugium Ernestus iniit, concors æquè ac fœcundum. Hæredes illa Provinciis, marito simul immor-

In Poloniam.

Cracoviæ ducit Cimburgim.

immortalem propagatoris gloriam peperit. Extincta siquidem Alberti in Austria, & Friderici in Tyroli progenie, suos ab Anno MCDXL. Imperium Cæsares, Principes Austria fœcunditati Cimburgis, Styriæque Ducis debet. Prominente nonnihil labio fuisse Fuggerus testatur, cujus indicio seri nepotes Cimburgim Matrem suam fuisse fateantur. Pensâsse adeò Austriacis, quidquid Wilhelmo avus eripuit, neptis non sinè fœnore censeri potuit, quæ pro uno regno tot tantorum Regnorum hæredes fertili sinu reddidit; quippe ea Cimburgi felicitas obtigit, ut non modò gentem Austriacam per ter centum annos propagatam in nostra tempora, ceu nova mater immitteret; sed & eos Principes Europæ bono daret, quorum vel singulos singulis regnis emisse nimium videri non debeat.

Liberi è Cimburgi susceptι.

Fridericum dictum Pacificum, postmodum Cæsarem, dum Oeniponti cum Marito, ùt diximus, versaretur, An. MCDXV. XI. Kalendas Octobres primo partu edidit; ceteri ejus liberi fuere Albertus VI. dictus Prodigus, Anno seculi XVIII. natus, mortem Viennæ oppetiit Anno LXIII. III. Nonas Decembres. Uxorem habuit Mathildem Ludovici Palatini filiam, alterius Ludovici Wirtembergici viduam. Ernestus, Rudolphus, Leopoldus, Alexandra, Anna puberes annos non attigere. Margarita Fridericum II. Placidum, Saxoniæ Ducem Anno MCDXXXI. Catharina Carolum Marchionem Badensem Anno XLVI. nacta. Illa Anno LXXXVI. octavo Idus Februarii, hæc Anno XCIII. undecima Septembr. supremùm vixit; utraque Maternæ fœcunditatis æmula, alteros stirpis authores suum quæque maritum fecit: Margaritæ in dotem octo supra vicena, Catharinæ tricena aureorum millia assignata Fuggerus asserit.

Sigismundo Cæsari suppetias it.

Quatuor, antequam moreretur, annis pii belli adversùm Hussitas & Wicleffitas socius, Sigismundo Cæsari suppetias cum Alberto Ernestus tulit, quamquam omnis ea expeditio intra conatus duntaxat steterit, quòd Pragæ suæ, quam expugnatum ibat, parcitum Sigismundus vellet; Anno demum MCDXXIV. dies X. mensis Junii suprema illi illuxit. Viscera Muræponti, ubi eum obiisse credibile, ante aram Principem defossa: Cadaver marmoreæ tumbæ inclusum, ad dextram sacrarii Runensis Ecclesiæ visitur. Xenodochium S. Spiritûs honoribus ab Udalrico Greisseneckero Judenburgi erectum, non modo authoritate sua stabilivit, literis Neostadii Anno XX. Nono Kalendas quintiles datis, sed & censu auxit. Divi Lamberti cœnobio eodem Anno XIV. quo Styriæ Privilegia, XVIII. Januarii rata habuit, sacerdotium Pyberense prope Voitspergam adjecit, ea lege, ut quatuor temporum feriis piacularia sacra pro Defunctis Austria-

Moritur.

cis obirent, singulis verò diebus rem divinam solenni ritu magnæ Matris honori facerent; quod se curaturum Rudolphus Abbas recepit. Symbolum ejus Cornuta Luna, & verba: Nunquam eadem. Bononiæ literis operam dedit; utì equestri disciplina, & militari arte probè institutus, ità à pugnis non admodum abhorrebat, vultu ipso, quid Martium spirans, & habitudine corporis laboribus par. Nihilominus tamen comis, & mira suavitate sermonem aspergere gnarus. Subnigra illi facies, & scintillantes oculi. Ferrei illi nomen à valida corporis compage, animíque robore adhæsit. Nihil illi viribus concessisse Cimburgis fertur, ùt quæ digitorum nisu juglandes, & avellanas nuces eliserit, clavos ferreos in parietes solius manûs adminiculo adegerit. A morte mariti totam se pietatis exercitiis consecravit. Cùm Cellas Marianas in Austria sitas peteret, Campililii morbo prostrata Anno MCDXXIX. ibidem obiit, quiescítque.




FRIDERICUS IV.
Pacifícus.
Sic placida Populos in Pace regebat. Virgil.
Christ. Dietell sculpsit Gravij.



FRIDERICUS *Pacificus.* DUX STYRIÆ XIV.

PAcifici nomen FRIDERICO additum niſi quis à pacis deſiderio ſtudióve deduxerit, non erit, cur à pacis uſu derivet, adeò paucos, aut veriùs nullos in omni ejus vita annos reperias, quibus ceſſatum ab armis eſſet. Si exteri hoſtes deerant, agnatorum invidiæ, populi perduellio Optimo Principi ſuavem illum quietis guſtum invidebant. Diuturnum FRIDERICI Regimen, geſtáque eo compendio referemus, ut nec omiſiſſe omnino, nec in vaſtam Imperii hiſtoriam evagari latiùs videamur; memores inſtituti noſtri non eſſe de Cæſaribus, ſed Styriæ Ducibus narrationem texere.

Friderici Tutor.

Annum ætatis decimum nondum auſpicato mors Patris hæreditatem provinciarum obtulit. Tutelam ejus, donec adoleſceret, Patruus geſſit Fridericus Tyrolis Dominus. Extant ad hunc diem ejus tabulæ, quibus XIX. Novembris, Anno ſeculi decimi quinti, XXIV. immunitates Styriæ probavit. Annum ætatis viceſimum, ſeculi triceſimo quinto ingreſſus, è poteſtate Tutoris exiit, ſuo ductu deinceps rempublicam gubernaturus. Ut difficillimo, & multorum annorum, quod conſecutum erat, regimini cæleſtem opem conciliaret, altero mox anno conſcenſis Tergeſti navibus, V. Idus ſextiles in Orientem vela fecit. In Cyprum appulſus, Equeſtrem dignitatem cum multa Nobilium corona adeptus eſt: rem ipſe in parte Commentariorum ſupra memorata, his verbis annotavit. Anno XXXVI. pridie Divi Laurentii è Tergeſtino portu ſolvi. Sabbato ante diem Dominicam feſtum Naſcentis Virginis ſecutam, equeſtri dignitate me initiavit Dominus Albertus Neipergius, ætatis meæ Anno XXI. Nomina ſuorum Comitum hunc in modum refert. Syllabus eorum, qui mecum inaugurati, & vecti: Primò Martinus Piſolf de Tergeſto, Comes Eberhardus Kirchbergius Junior, Comes Bernardus Schaumbergius, Albertus Neipergius fecit me creare. Georgius Puchamius, Joannes Neipergius, Leutoldus Stubenbergius, Joannes Kunringius, Otto Stubenbergius, Paulus

Iter in Paleſtinam.

Itineris socii.

Pottendorffius, Joannes Puechaimius, Berchtoldus Loſſenſteinius, Wilhelmus Pernekius, Joannes Starenbergius, Ludovicus Ekertzavius, Ulricus Polhaimius, Wolfgangus Windenius. His ſubjungit: Barones præſcripti. Ceteros ductâ Lineâ diſcretos hoc ordine enumerat. Joannes Ungnadius aulæ Mareſchallus, Wolfartus Fuxius de Fuxberga, Burchardus Ellerbachius, Gamaretus Silberbergerus, Henricus Enzerſtorfferus, Ulricus Saurerus Senior, Georgius Fuxius de Fuxberga, Ludovicus Ratenſtainius, Andreas Holenekerus, Nicolaus Pollonzius, Triſtramus Teufenpechkius, Vitus Wolkenſteinerus, Leopoldus Traunerus, Georgius Apphaltererus, Leonardus Harracherus, Fridericus Tunnerus, Bernardus Tehenſteinerus, Ulricus Fledennizerus, Joannes Waldſteinerus, Georgius Scharnommelius, Joannes Saurerus, Pancratius Vinkchſchadius, Haidenricus Zebingerius, Wilhelmus Albenius, Sigismundus Windiſchgrezerus, Wilhelmus Reiſpergerus, Antonius Holenekerus, Fridericus Lugaſterus, Georgius Stainreuterus, Joannes Lampoldinerus, Leonardus Vilſekkerus, Sigismundus Kirpergerus, Jōannes Greiſſenekerus.

Eligitur Imperator.

Defuncto ſub Annum MCDXXXIX. VI. Kalen. Novembr. Alberto II. Cæſare, concordibus Electorum ſuffragiis, anni ſequentis die Februarij ſecunda, ut ipſe memoriæ prodidit, Imperator renunciatur. Neoſtadij agentem miſſi ab Electorum collegio Legati convenere. Ille inexpectato nuncio, non admodum lætus deliberandi ſpatium, an è re ſua ea dignitas videretur, poſtulat. Neque tamen ignavia, & præpoſterum otii ſtudium, ſed cauſæ multò graviſſimæ ambiguum reddiderunt. Incumbebat illi uni immenſa curarum moles; nam poſt elatum nuper Fridericum Tyrolenſem, ſuſceptámque Filii Sigismundi tutelam, illæ ad eum Provinciæ redierant; Albertus Cæſar ſupremis tabulis Tutorem pariter, ſi Conjux ſua marem gigneret, cum Alberto Fratre: ſi filiam, hæredes ambos juſſit. Eæ literæ mox ab Alberti morte, in Berchtoldſtorfenſi ordinum conſeſſu recitatæ; Albertus Frater à prima jam ætate eam viam ingreſſus erat, ut non modò nihil in eo præſidii reponendum cerneret, ſed lucrum putare deberet, ſi non turbaret; è Bohemia & Hungaria Rege ſuo orbatis tumultus animo non vanè præcipiebat. Nec ante diem Divo Georgio ſacrum oblatam ſibi dignitatem admiſit.

Ladislai Poſthumi curam ſuſcipit.

Friderico his curis occupato, Eliſabetha Alberti vidua XXII. Februarii Ladislaum Poſthumum parit, breve Albertinæ ſtirpis ſolatium, diuturnam FRIDERICI bellorum materiam pullulantibus vel inter cunas jam diſcordiis; nam cùm mater ipſa filium ab ſe utero geri malignè admodum ſperaret, Uladislaum Jagellonis Po-

Poloni Filium ad Coronam Proceres invitabant. Nato ſubinde Ladislao, atque poſt IV. Menſes Divi Stephani inſignibus induto, in Hungariam nihilominus Uladislaus Novatorum haud dubiè literis ſtimulatus aſpiravit. Ejus adventûs famâ conſternata Eliſabetha unà cum Filio in Auſtriam ſe recepit, ablatâ ſecum, quam dextero honorariæ puellæ furto aſtúque ſubduxerat, Regni coronâ. Cum Hungari rebus Uladislaum Polonum imponerent, Bohemi quoque coactis regni comitiis de Rege eligendo deliberant. Albertum Bavarum primùm deſignant; at eum cùm ſua integritas, tum FRIDERICI literæ, monentis, fas non fuiſſe ordinibus Regem optare vivente Alberti filio, intra æqui limites continuere: FRIDERICUS ipſe oblatam Regni tutelam reſpuit, ſatìs ſupérque ſe curis oneratum excuſans: Præfectos, quos vellent, crearent: ſibi Ladislai educandi curam ſeponere. Quo reſponſo dimiſſi Bohemi in Ptaſconem, & Meinhardum, illóque poſt paucos Menſes extincto in Georgium Podiebradium Proregis poteſtatem conferunt, qui an veneno, an ſua morte ſublato Mainhardo, unus demum regni gubernacula capeſſivit; unicam itaque è Nepotis hæreditate Auſtriam curarum ſuarum partem eſſe FRIDERICUS ſuſtinuit; Anno XLII. Aquisgranum profectus XVII. Menſis Junii, ſolennes ritus obeunte Colonienſi, Imperii ornamenta recepit. Peragratâ Sveviâ, Ergoviâ, Helvetiâ Auſtriam repetiit, quam magnopere afflictam Alberti Fratris turbido ingenio offendit.

Aquisgrani coronatur.

Is dudum ſe miſero modici æris cenſu aſperſum, fratrem contra innatare opibus & potentiæ queſtus, vi ſibi amplius patrimonium conficere parabat. Opportunè ſe ad conſilia graſſari poſſe ratus, FRIDERICO Aquisgrani abſente, copias tumultuario delectu ſcriptas Labaco circumfuderat, ab Ulrico Cillejæ Comite adjutus; acriùs, ac voluiſſet, putâſſétque, præſidiarii reſtitere; appulſis denique ex Auſtria ſupetiis non ſinè clade rejectus caſtra, machinásque omnes victoribus reliquit. Bellum hoc à Carniolia depulſum, in populationes demum velut ſedimentum Auſtriæ malo deſiit.

Labacum Albertus Frater obſidet.

Etenim fæx illa hominum clade diſperſa ſigna etiam inopis Ducis deſeruerat, à quo æs ſperare non audebat, niſi pro ſtipendiis prædas haberet; illatáque in Auſtriam ad Cæſaris usque reditum graſſabatur. FRIDERICUS malo finem hunc in modum impoſuit. Alberto Fratre, ut in Sveviam ad ſexennium ſecederet, perſvaſo, ſeptuaginta Coronatorum millia (tantum ſibi ab Alberto deberi contendebat) repræſentavit; fuiſſe hoc An. XLIII. Græcii FRIDERICUM è literis XXVI. Decembris exaratis conſtat, quibus Styris vetera ſua jura ſalva eſſe jubet. Leges alias Codi-

ci privilegiorum Styriæ inſertas VI. Novembris biennio pòſt Viennæ tulit. Sub idem tempus bellum Helveti intulere: injuriam illi ducebant, quòd metuere FRIDERICUM incepiſſent, qui Tigurinos à fœdere abſtractos ſibi adjunxerit; Kyburgenſem etiam comitatum iisdem dedentibus recuperârit; per Helvetiam nuper adeò ſui ſecurus iter fecerit, ut immunitates eorum ſibi ratas fore negârit, niſi ablata nuper FRIDERICO reddiderint. Crebris ultro citróque illatis cladibus, trium annorum ſpatio certatum eſt. Vicerántque Helveti Imperii Principibus otiosè villarum incendia ſpectantibus, niſi auxiliares à Carolo Galliæ Rege copias Cæſar impetrâſſet; at Ludovicus Delphinus non ſat fideliter ſocii munere functus, pro petitis quinque millibus triginta infudit; cæsísque ad Baſileam fœderatis ſigna in Alſatiam, & Imperii urbes convertit, donec urgente FRIDERICO à Patre in Gallias redire juberetur. Altero pòſt Anno, XLVI. nimirum, Ludovici Palatini operâ pax reſtituta. Nunc ad Ladislaum innocentem bellorum fomitem revertimur.

Bellum cum Helvetiis.

Bohemi & Hungari Ladislaum tradi petunt.

Eum, ùt diximus, à FRIDERICO detentum Anno XLIV. ſibi tradi Georgius Podiebradius miſſa legatione poſtulârat, idem Joannes Corvinus Hunniades anno altero Prorex Hungariæ, poſt cæſum Varnenſi clade Uladislaum, contendit; ſacram inſuper coronam reddi poſtulans. Pars utraque apud ſe educari Regem, ut mores gentis imbiberet, animum populi ſibi conciliaret, imminentes turbas ſuâ præſentiâ comprimeret, ſalubrius reipublicæ dictitabant. Utrisque reſponſum à Cæſare: ſuæ curæ à Matre impuberem regem gravibus de cauſis commiſſum, è reipublicæ ſalute non videri Ladislaum nondum matura ætate in regnum mittere. Si, quod ipſi agnoſcerent, pernicioſa multorum conſilia formidanda, nihil pronius futurum, quàm ut Regis juventute pro ſua quisq; libidine abutatur, unde convelli ſtatum reipublicæ neceſſe ſit. Diſtulere iram Bohemi; ab Hungaris continuò bellum decretum. Auſtriam omnem, quanta Hamburgo ad Semeringicum patet, Duce Renaldo Rozgonio duodecim millium populabundo exercitu emetiuntur. Neoſtadium, cui ſe Cæſar incluſerat, fruſtra aſſiliunt, vagaturi diutius, niſi frigus in patria hyberna retruſiſſet; FRIDERICUS his damnis cautior, nè imparatum deinceps obruerent, indicto Radkerſpurgum Anno XLVI. conventu, ſtatuit, ut ſi quid poſthac Ungari Ladislai causâ obturbarent, non nobiles ſolùm, ùt antè factum, arma caperent, ſed è colonis etiam miles cogeretur. Idem conſilium amplexi Auſtriaci ſuam regionem ductore Ulrico Eitzingero, Joanne Bucheimio, Chriſtophoro Lichtenſteinio à latronum reliquiis repurgârunt, receptaculis ſpoliorum exciſis, reis ad furcam abreptis. Quæ verò magìs

Hungarorum in Auſtriam irruptio.

magìs munita vim majorem expectarent, ſcripto è Provincialibus exercitu, acceptísque à Cæſare ſeptingentis equitibus Udalricus Cillejenſis ſubjugavit.

Denuo à Friderico reddi Ladislaum poſtulant.

Iter, quod Româ parari à Cæſare audierant, denuo Bohemorum, & Hungarorum pro Ladislao ſtudia inflammavit. Ab his miſſi Ladislaus Paloczius Propalatinus, Epiſcopi Strigonienſis, Vacienſis, Varadinenſis, Jaurinenſis; at illis Ulricus Roſenbergius, Szdenko Sterenbergius vetera poſtulata recantant. Ungaris repoſitum à FRIDERICO, propoſitum ſibi eſſe Ladislaum Romam deducere; nullam ab ſe moram futuram, quin reducem haberent. Simili reſponſo eadem Auſtriacorum poſtulata rejecta. Bohemi cum non ſinè minis urgerent, juſſi proximis comitiis Cæſaris voluntatem excipere; Proceres Benescoviæ (nam Pragæ tunc lues ſæviebat) congregatos Æneas Sylvius pro Cæſare allocutus nervoſa oratione commonſtravit, nullo dolo malo nepotem ab Imperatore retineri: conſultum duntaxat incolumitati Regni velle, tot inter illuſtres viros, quibus Bohemia abundat, plurimos eſſe, qui juventutem Regis moderari mereantur: neminem non futurum, qui non alteri eam dignitatem collatam iniquis oculis aſpiceret. Adhæc exhauſtum regni ærarium, inſtruendæ Principis aulæ vix adhucdum ſuffecturum. Deliniti eo ſermone Proceres aquievere. Hoc obice utcunque remoto Schaumbergicum Seniorem, Georgium Pucheimium, Sigismundum Eberſtorffium, & Cunradum Eizingerum Auſtriæ præficit; ipſe exeunte Octobri Menſe, Anno MCDLI. Neoſtadio Græcium, hinc XIII. Kalendas Januarii Romam movet.

Fridericus Romam abit.

Florentiæ de adventu Eleonoræ Sponſæ, quam nuper per Legatos à Patre Eduardo, Luſitaniæ Rege, petierat, edoctus, Senis eam, Ladislao Poſthumo, Alberto Fratre, magnâ Nobilium, & militum Coronâ ſtipatus excipit, Romámque deductam procurante conſuetas Ceremonias ſummo Pontifice Nicolao V. ad XVI. Martii in D. Petri Baſilica Matrimonio ſibi copulavit.

Uxorem ducit, & cum ea coronatur.

Poſtquam Imperii diadema cum conjuge decimâ nonâ ſuſcepiſſent, creatis ad Pontem Adriani tercentum cum Alberto Fratre Equitibus Neapolim abiere, quò Eleonoræ avunculus Alphonſus ad agenda nuptiarum feſta invitârat. Sed diu quietis eſſe non licuit; nunciatum non multò pòſt Româ Ungaros, & præcipuè Auſtriacos corrupto inſtructore Nicolao Grottendorffio, in fugæ conſilium Ladislaum attraxiſſe; dolúmque cariturum ſucceſſu non fuiſſe, niſi Æneas Epiſcopus à Papa admonitus ſeſe objeciſſet. Relicta proinde Neapoli conjuge Romam primùm, aſſumptóque ibidem Ladislao Venetias approperat, ubi, poſtquam Conjux appulſa eſſet in Styriam, Judenburgum tedendit. Diſtinctè hìc per-

pernicioſas Auſtriacorum molitiones intelligit: ùt illi, dum abeſſet, congregatis comitiis, etſi anteà ſeverè vetitis, denegandum, niſi Ladislaus tutoris poteſtate eximeretur, obſequium ſtatuiſſent: monetúrque, ut ſtructas à perduellibus inſidias caveret. Quibus tamen FRIDERICUS: nihil ab ſe eorum furori cauſæ præbitum, nec omnem adeò fidem exuiſſe Auſtriacos videri. Perſpectum ſibi eſſe: unum Ladislaum peti; ſi res popoſcerit, haud gravatè ſe id pomum Eridos projecturum in medium; acuendam haud dubiè ejus aſpectu, invidiáque ſic famem, ut ſeſe Auſtriaci, Ungari, Bohemi ipſos conficerent.

Neoſtadium redit. Neoſtadium XIX. Auguſti Anno MCDLII. ingreſſum Legati conjuratorum præſtolabantur; urgebant præprimis Ulricus Cillejenſis, & alter Ulricus Eizingerus, uterque ſpe amplioris fortunæ ſub immaturi Ladislai regimine ductus. FRIDERICUS, cui non minor honoris ac pacis cura, indignum ratus, ſi minis extortum ab ſe pupillum gloriaretur, populum redire ad ſuos jubet, expectaréque, quid ſibi decernere liberet. At magis illi jam in perduellionem animos obfirmârant, quàm ut moras tolerarent; remittuntur extemplo pro Legatis feciales: excidiſſe FRIDERICUM gubernaculis; ſe poſthac ſuo arbitratu victuros; bellum denique denunciant. A Ludovico Bavaro oblata in pignus Auſtriæ parte pecunias miſſo Comite Schaumbergico ſtipulantur: Moravos, Bohemos, Hungaros exciunt: decem dierum obſidione Orthium validum caſtrum expugnant; ſimulato dein Leithapontum itinere improviſi ad Neoſtadium caſtra figunt, Imperatrice vix tantum ſpatii nactâ, quo ſe Leobium reciperet.

Obſidetur à conjuratis. Sedecim millia in exercitu numerabant. Soli Viennenſes quinquies mille, duóque immanis magnitudinis tormenta eduxere, ducentos equites, octingentos pedites Roſenbergicus è Bohemia ſociârat. His quingenti Moravi acceſsêre, Hungarorum nemo aderat. FRIDERICUS admonitis jam aliàs de periculo ſuo Styris, & Carinthis, Albertóque Fratre, quatuor equitum, totidem peditum millia Neoſtadium accerſierat. Ut primùm in urbis conſpectum venêre, atrox pugna conſeritur, extra portas urbis Cæſarei hoſtem opperiebantur, ingruente majore numero, & clade à tormentis edita cedere compulſi, dum ſeſe intra mœnia certatim conjiciunt, inſecuti terga conjurati portis imminebant. Unus Andreas Paumkircherus (adeò reliquis timor mentem alienârat) objectu corporis, armorúmque ruentes ſuſtinuit, nè turmæ fugientium immiſti eodem ardore urbem caperent, donec conſternatis pudor, & temerariæ propemodum virtutis exemplum novas iras, animósque ſufficeret. A fuga reverſis in pugnam nulla jam vis hoſtium par fuit. Jam jam victores portis, & ſpe

ſpe potiundæ per impetum urbis dejectos in caſtra repellunt. Nec hoſtes fortunam poſthac tentare auſi ad lentam obſidionem conſilia flexere. Intellecto FRIDERICI diſcrimine Podiebradius cum ſedecim millibus iter ingreditur certam conjuratis, niſi pacem maturâſſent, cladem allaturus; at nondum appropinquârat, cùm componendam propediem controverſiam rumor nunciâſſet; relecto Pragam itinere, nè tamen nihil FRIDERICI hoſtibus damni creâſſet, Roſenbergici fundos evaſtat.

Pacis porrò arbitri Carolus Badenſis, Sigismundus Wolkerſtorffius eo anno Salisburgenſi Mitra ornatus leges has utrique parti ſcripſere: FRIDERICUS Ladislaum è tutela dimiſſum Auſtriacis traderet; nemo, quem Cæſar antè legiſſet, ſenatu moveretur; niſi eodem conſcio nihil in republica innovaretur; Ladislaus ſub Ulrici Cillejenſis poteſtate Berchtoldſtorffium incoleret, nec Viennam ſubiret, nec rempublicam attingeret, donec Cæſari viſum publicis in comitiis poteſtatem illi concedere. Poſtquam utriusque aſſenſu receptæ tabulæ, Ulricus Neoſtadio exercitum, Ladislaum Berchtoldſtorffium X. Septembris abduxit. Verùm quid ea fide infirmius, quam ad paciſcendum coacto dederis? Auſtriaci nullum jam delictum rati, verbis ludere Principem, poſtquam armis petiiſſent: Ladislaum Viennam deductum X. Novembr. Ducem ſalutant. Cæſari adversùs pacta Neoſtadienſia agi per Legatos in Comitiis queſto ferociter ab Cillejenſi reſponſum: Victori à victo leges nullas præſcribi; Ladislaum præter fas detentum fuiſſe; niſi illi liberando paciſci ſibi nec opus, nec animum fuiſſe. Ad pacis perficiendæ negotium nihilominus curæ adjectæ, ſed ad quam pervenire non potuit, dum Ladislaus viveret. Auſtriaci levibus momentis ducti Cæſarem hereditati nepotis ſui imminere ſuſpicabantur: FRIDERICUS caſtra quædam per Hungariam Auſtriámque detenta, & Coronam redditurum ſe negabat, niſi maxima pecuniæ ſumma redhiberetur tutelæ nomine debita. Ubi confectum non ſemel negotium credebatur, ſpes omnis variis de cauſis repentè evanuit, Cillejenſi Comite gnaviter alios ex aliis nodos texente, quos non facilè expedirent. Nunc inſatiabilem FRIDERICI avaritiam nimium poſtulantis criminabantur; aliàs, cùm expugnata An. LIII. Conſtantinopoli ſingulis Provinciarum ſymbolam pecuniariam imperâſſet, iniqua diviſione plus ab Auſtria, quàm tolerare poſſit, exactum objiciebant. His & Sigismundus Tyrolenſis acceſſit, ablatos ſibi impuberi à Tutore FRIDERICO uniones gemásq; queſtus, Albertus Frater, quod mirere, nulli labori pepercit, quo has ſpinas evelleret; permovit adeò Ladislaum, & FRIDERICUM, ut cauſæ arbitrium ſe ejus voluntati permiſſuros ſponderent. Flo-

Liberatur, & tradit Ladislaum.

Ladislaus rebus imponitur.

Ejus cum Cæſare controverſiæ.

rentem ſpem pacis in herba oppreſſere Comites Sigismundus, & Joañes Pöſſingii, Henricus Liechtenſteinius Nicolſpurgicus, Udalricus Stubenbergicus, Bertholdus Emerbachius, Andreas Paumkircherus, quos, ubi Cæſar Auſtriam Styriámque infeſtis armis percurrere cognôrat, omnem eam tractationem momento abrumpit. Ladislaus contrà arma corripit, Leitapontum, Peſenbergum, Rabenſteinium, Weitenekum, Klingebergum, Styram ad deditionem compellit: Guttenſteinium multo ſanguine expugnat. Poſtquam belli facem Ulricus Cillejenſis à Ladislao Corvino in Hungaria cæſus ſecum tumulo intulit, propiùs demum ad pacem perventum eſt. Allata ab Eizingero è Bohemia miſſo concordiæ capita non modò Cæſar probârat, ſed nuptiis Ladislai interfuturus ſe ferè ad iter accinxerat, ac ut nihil in rebus humanis ſincerum eſt, è medio genialium gaudiorum apparatu Ladislaus annos duo de viginti duntaxat natus repentino morbo Anno MCDLVIII. XXIII. Novembr. extinguitur. Venenum bibiſſe ſuſpicio fuit. Atque hìc ſpem quietis morte alterius partam alterius mors ſuccidit.

Mors Ladislai.

Prodeſſe tamen Auſtriacis, quos vivus toties incurſârat, mors Udalricum Cillejenſem coëgit; generis ſui poſtremus comitatum ſecundùm vetera pacta vel invitus FRIDERICO tranſcripſit. Inquietos tamen hominis manes in uxorem viduam Georgii Serviæ Reguli Filiam imigrâſſe crederes. Cæſo, quod diximus, Anno LVI. Ulrico, cùm ſinè liberis obiiſſet, non unus Cillejæ, & Comitatûs Ortemburgici hereditatem captabat. Ladislaus Rex affinitate jus tuebatur. Joannes Goritienſis, neſcio quas è Scriniis tabulas eruerat. FRIDERICUS ſe jure potiorem ferebat; nè quis tempore prior irreperet, altero mox Anno Græcium, & hinc Cillejam ducentorum equitum turmâ ſtipatus adiit; Nobiles ad obſtringendam ſibi fidem evocârat, nil præterea verba obmoventibus æmulis. Vidua Ladislai fautores Cunradum quendam Holzerum præprimis concitat. Flagitium, quod narraturi ſumus, nemine auſo, Joannes Vitobitius è Bohemia oriundus in ſe recepit. Vetus is militiæ erat, & fidus quondam Udalrici tribunus, multarum in ea regione poſſeſſionum Dominus. Nec hominem, à quo ſibi negotium exhiberi probè poſſe cognôrat, FRIDERICUS neglexerat; ea propter præter magnam pecuniæ vim Baronis Steinbergii dignitate in Carinthia auxerat. Viciſſim ejus ope Cillejenſem arcem poteſtatis ſuæ ſinè armis fecit; at dum venalem hominem ſibi penitus devinxiſſe putaret, ille fundorum in Hungaria ſollicitus, Ladislaum, quem offenſum ſuo facto audierat, memorabili obſequio delinire aggreditur. Invitatus ab Holtzero octingentorum equitum cohortem ex

Cillejenſis comitatus Styriæ accedit.

ex audaciſſimis conflatam in arce ſua Grebenenſi armat; indéq; ſilenti itinere ingreſſus in urbem per portam Sanno fluvio vicinam irrepit. Faverunt proditori nocturnæ tenebræ, ſed cum primis FRIDERICI fiducia, qui, ùt antiqui ipſe candoris erat, ità ceteros ex ſua natura fingens metiénsque in animum inducere non potuit, ut, quamvis admonitus, crederet, id genus ſceleris proficiſci ab homine tot nominibus ſibi obærato poſſe. Intra limen aulæ ferè pedem nocte concubia jam fixerat, cùm ſecurus ſui adhuc FRIDERICUS dormiret; excitatus à ſuis de ſomno ægrè per averſam partem ſeſe in arcem, Cillejam ſuperiorem dictam, ejicit. Ferunt FRIDERICUM id ſingulari Divi Maximiliani, ejus Urbis Tutelaris beneficio in acceptis retuliſſe, eóq; Sancti illius nomen grati animi ergò filio indidiſſe. Præter vitam libertatémque efferre quidpiam celeritas, & propinquitas hoſtis vetuit. Supellex omnis, ærarium, ſcrinia, Imperiale ſignum, equi in proditoris manus venêre. Epiſcopo Gurcenſi, & Joanni Georgio Ungnadio vincula injecta. FRIDERICUS octo diebus intra arcem obſeſſus, donec metus adventantium copiarum, quas properè Cæſar excierat, prædones profligârit. *Cillejæ Fridericus periculum adit.*

Graviores multò tumultus, quàm nunc evaſerat, FRIDERICUM in Auſtria, & à vicinis Regnis expectabant, quæ Ladislai Morte, rectore vacua, Dominos quærebant, quærebantúrque. Bohemiam Albertus, & Sigismundus Auſtriaci, Guilielmus Saxo, Caſimirus Polonus, Gallus, & FRIDERICUS Cæſar prenſabant, quamquam hic non tam ſibi, quàm Fratri aut Patrueli illud ambire ſat prodiderit, cùm oblatam reſpuerit, & Anno LIX. Georgium Podiebradium Brunæ pridie Kalend. Sextiles inaugurârit. Ungarorum pars Authore Syllagio Mathiam Corvinum nominârat, Nicolai Villakii factio FRIDERICUM præoptabant, actísque Neoſtadii comitiis non Regem modò, ſi Nicolao Lankmanno fides, ſalutârunt; ſed & Coronam, quam adhuc apud ſe aſſervârat, impoſuere. Quæ res ſtimulo Mathiæ fuit, ut tantò contentiùs ſacrum pignus, ſinè quo pro inſita genti Religione vix Regem agnoſcere Hungari conſueverunt, repeteret. Paſſus repulſam Simonem Magnum imittit. Cui Udalricum Graweneggerum Cæſar oppoſuit; ad Kernerdum Caſtri Ferrei oppidum congreſſi, victores Germani evaſere, non multò pòſt ab eodem Simone Sigismundi Georgiani Comitis copiis aucto vincendi. Atque intra has clades ira conſedit, Mathia exiſtimante haud paulò faciliùs per Legatos, quàm Duces Coronam obtenturum. Et verò proniorem jam reperit FRIDERICUM Varadinenſis Epiſcopus; quippe in inducias illico conſenſit: coronam, quod attinet, reſpondit: ejus causâ ſe bello ſæpius appetitum, maxi- *Coronam Bohemiæ reſpuit.* *Turbæ ab Hungaria.*

mis impendiis Ladislaum sustentâsse; si satisdaretur, sinè mora pignus redditum iri; sed non nisi Anno LXIII. inducìæ in pacem desiere. Simul Corona octoginta aureorum millibus redempta ad Hungaros redit.

Albertus Frater litem Friderico movet.

Austriæ dominationi Albertus, & Sigismundus, ille Frater Friderici, hic Patruelis, inhiabant, & Albertus quidem non indignam putabat, quam civili sanguine, & fraterno bello assertum pertinaciter iret. Fridericus jus suum avita Lege, quæ dividi Provincias, aut alteri, quàm seniori subjici vetabat: oggerebat ille, eam legem, si quod aliquando pondus habuisset, sexaginta ferè annorum exemplis videri abolitam; Fridericum Imperii aliarúmque Provinciarum opibus abunde locupletem, curis plus satìs distentum; Austriæ vicinorum Regum injuriis expositæ Principem necessarium, qui præsens, & alia curarum mole expeditus invigilet. Bellum forense non sinè verborum acerbitate decertatum paulò pòst arma excepere. Non aliàs ferè deterior Austriæ conditio: cædibus, spoliis, civium suppliciis sævitum est. Et quasi evertendæ Patriæ se cives suffecturos desperarent, exterorum arma in ruinam accita; frustra malo congressibus Regum vicinorum, Principum, Papæ authoritate obviam itum. Alternis rixis comitia interpellabantur; nec priùs voluntatem nocendi Albertus posuit, quàm mors Anno LXIII. potestatem ademisset.

Prima Comitia Viennæ coacta, iísque statutum, nisi in concordiam Fratres redirent, neutrum in Palatium immittendum. Exacerbatus ea lege Albertus ad Rhenum copias paraturus abit, auditóque in urbem admissum Fridericum, celeri itinere revectus, mille quingentos equites per effractas portas Viennæ injicit. Ludovici tamen Palatini, aut quod aliis placet, Provinciarum industriâ ab armis temperatum est. Convenere in hæc pacta An. MCDLVIII. XXVIII. Junii Fratres: Alberto superior Austria pareret, cui anno sequente Styrensem Comitatum Fridericus adjunxit; Inferiorem Cæsar obtineret; superiorem Carinthiam sibi Sigismundus Tyrolensis vendicaret; commune omnibus juramentum Viennenses dicerent; in Palatio suam quisque domûs partem sortiretur; triennio, ùt Cuspinianus addit, ex his legibus viverent. Non diu inquies Alberti animus pacis otium tulit. Redacto per insidias in custodiam Ulrico Eizingero, nuper Friderici partes amplexo, fratrum ceterorum Stephani, Oswaldi, & Sigismundi, tum & Regis Bohemiæ arma in se concitat: è certa ruina conciliatore Cæsare feliciter exiit.

Dividitur Austria.

Beneficium hoc etsi non minore titulo ad Austriacos pertineret, à quorum cervicibus pòst tot gladios Fridericus averterat,

pòst

post breve tamen tempus obliti seditiosos conventus Stokeraviæ primùm, dein Gelledorffi agitant, querelas libello comprehensas in hunc modum porrigunt: monetam minùs probam à Cæsare cusam, invectámque eo vitio rerum penuriam; insuetis teloniis gravari regionem; oppidum Orthium è Provincia decerptum, nullo jure Fraunovero fuisse concessum; nisi quantocyus mederetur, in alterius potestatem se daturos. Eadem Rex Bohemiæ ab Eizingero concitatus petebat, & minabatur. Cùm è sua sententia responsum non obtinuissent, Wolffersdorffii congressi, querelarum capita templorum foribus affigunt. Cæsar faciliorem subinde se exhibens Viennenses permovit, ut fidem denuo jurarent, post modicum tempus violaturi.

Interea Albertus composita cum Helvetis Constantiæ pace Lincium advenit accersitus à Proceribus, bellóque Fratri, quòd segniter Austriam administraret, iniqua partitione se circumvenisset, indicto, Tulnam, Ipsium, aliáque oppida expugnat; militem Viennæ admovet: urbem strenuè defendentibus Udalrico Gravenekero, Andrea Paumkirchero, & Joanne Giscra, qui haud ità pridem cum tercentum Græcio missus à Cæsare Eysdorffium assultu ceperat. At nihil in hoc rerum articulo omisit Bessarion Cardinalis, Papæ Legatus, quo furentem placaret; ille verò auxiliariis Ungarorum, & Bavari copiis ferocior, acriùs indies instabat. Plus Georgii Bohemi minæ valuere. Dimisso itaque exercitu ad conventicula diversis locis celebrata curas retulit, in quibus gnaviter ab omnibus curatum, nè Reipublicæ mala consanarentur. Tertio Tulnæ colloquio Comitia Viennæ habenda. Anno LXII. edicuntur; sub quorum initium seditiosi extractum è curia Consulem Prennerum turri includunt. Ejus facinoris famâ commotus Fridericus quaternis equitum Styrorum millibus stipatus Græcio in Austriam tetendit; negato urbis ingressu ad D. Marci tantisper consedit. Repulsæ, quam dederant, post triduum indignitatem detestati ipsi cives portas venienti cum exercitu reserârunt. Styros subinde Cæsar remiserat, nè quid suspicionis urbi afflaret. Sat magna hæc tumultuandi causa iis visa, cùm timeri princeps desiisset.

Albertus Viennam obsidet.

Sed quo furendi libidini colorem inducerent, Cæsarem adeunt, ut milites aliquot sive redhibito pretio, seu vi ab agris suis averteret, qui stipendia tum ab ipso, tum à Fratre non soluta causati, prædas agebant; excusata ærarij inopiâ sex aureorum millia se collaturum promittit, tantundem ipsi adderent; cùm, vel numum ut desperaret, reponerent, nemine prohibente prædones grassati, vinum (vindemiæ tempus erat) urbi inferendum intercipiebant. Eâ machinâ Alberti factio ad efferandam plebem

insigniter utitur; Holzerus omnium nomine obsequium renunciat; qui à FRIDERICO faciebant, in custodiam dati, bonísque exuti. Tum vim arci, quam Cæsar cum uxore inhabitârat, admovent. Ducentos admodum apud se viros plerósque Nobiles FRIDERICUS habebat. Fratres Wertenbergicos, Pössingium, Bucheimium, Wilhelmum Saurauerum, Georgium Teuffenbachium, aliósque è militari disciplina agere, urbésque tueri gnaros: ut vim imperitæ multitudinis non magnopere obsessi metuerent, si non fames se sensim insinuâsset; quanquam & non post multos dies in seditiosorum castra Albertus advenerit, prægrandibus duobus, quæ advexerat, tormentis, & multâ belli peritiâ formidandus. Opportunè obsessorum animos erexit Victorinus Georgii Podiebradii Regis filius suppetias à patre missus, malum à Bohemis denuncians, quisquis in Cæsarem arma induisset. Secutus cum octo millibus Georgius, cui Styri accesserant, cum Alberto transegit, ut liberum abire Fratrem sineret. Neque tamen deinceps aut odia posita, aut cædes, rapinæque per Austriam omissæ. Albertus ab Imperii ordinibus adnitente Cæsare aqua, & igni: à Pontifice sacrorum usu interdictus, ter, quater de pace coactis comitiis, recusis itentidem formulis, appellatus, induci non potuit, ut alteri, quàm morti Pacificatoris gloriam concederet. Jam eò inclinârat Cæsar, ut omnem Austriam traderet, si quot annis certam pecuniæ summam reciperet; nihilominus bellum ille parabat. At subito morbo prostratus curis fratrem, malis Austriam Anno LXIII. IV. Nonas Decembres liberavit. Viennenses, etsi tardiùs, supplices, eâ tamen, qua erat clementia Cæsar, veniam meruere. Sigismundus ultro sacramento, quo sibi Viennenses obstringebantur, absolvit, omnéque in Austriam jus Imperatori concessit. Viciſſim FRIDERICI operâ anathematis vinculo exemptus, quo à Pio II. irretitus ab Anno L. vixerat, quòd Nicolaum Cusanum Brixinensem Episcopum in carceres compegisset.

Vienna obsidetur Fridericus

Moritur Albertus.

Fridericus Regem Hungariæ in Bohemum concitat.

Sanctiorem belli materiam post hæc Pontifex suggessit, hinc Turcas, inde Georgium Bohemiæ Regem ostentans, quem Anno LXVI. & Sacrorum communione, & regno motum pronunciârat, quòd insuper habitis Basileensis Concilij decretis, Hussitis etiam faveret. Nè morem Pontifici gereret, Provinciæ nondum compositæ, & Imperij ordines ab utroque bello aversi obstitere; quantum tamen per eam temporum iniquitatem præstare licuit, non omisit, Regi Hungariæ id bellum suscepturo auxilia pollicitus. Pacatâ Superioris Austriæ Provinciâ Anno LXVIII. voti, quod Viennæ obsessus nuncupârat, reus Romam secundò abiit. In sextum decimum diem ibidem commoratus, iterum res domi

Romam ibit.

mi malè habentes reperit. Nuper ex Urbe reverſum Auſtriæ, nunc Styriæ motus expectârunt; multò tamen acerbiùs horum, quàm illorum rumor aures everberavit, quod excitata ab iis, qui tot bellis virtutem, tot vitæ periculis fidem ſuam teſtatam feciſſent. Joannes Stubenbergicus, Andreas Paumkircherus, Joannes Pöſſingius, Nicolaus Liechtenſteinius, Andreas Greineggerus dilata in longum tempus ſtipendia, cùm nunquam exprimerent, ulterioris moræ pertæſi, eodem tempore miſſo Græcium ad Præfectos Cæſaris tabellione ſe hoſtes deinceps fore nunciant; ſimul pagos villásque conſociato furore diripiunt. Tenuítque ea licentia omnium, donec extra Provinciam Cæſar verſaretur: poſtquam finibus appropinquare audierant, Liechtenſteinius, & Stubenbergicus ad ſaniora conſilia verſi, abjectis properè armis gratiam Principis occupare feſtinârunt; in Foro Julio ſupplices, Clagenfurti factorum veniam impetrârunt. Paumkircherum (an Carinthum? ùt Haſelbachius, an Carniolum? ùt Valvaſorius appellat) ſua Nemeſis in extremum ſupplicium reſervavit; is enim & meritorum conſcientiâ tumidus, & viribus ſtolidè fidens in annum usque LXXI. furias adversùs Cæſarem circumtulit, habiturus pœnæ, quem æris debitorem nolebat; repetitis velitationibus fractus, arcibúsque non paucis multatus Clementiam diu contemptam implorat, commeatum dari & diem dici poſtulat, qua defectionis ſuæ rationem redderet. Annuit Cæſar Græcii tum agens, juſſúmque VIII. Kalendas Majas adeſſe manè altero in frequenti Senatu audit; quæſtione in multam diem extracta, memor, publicæ ſecuritatis teſſeram non niſi ad veſpertinum æris Campani ſonum valituram, extendi orat; Deliberato opus eſſe, à Cæſare reſpoſum. Paumkircherus, quo artificioſa mora collinearet, non difficulter aſſecutus, ubi inclinata jam die nullum ad ſe Senatus conſultum perferretur, ex arce decurrens admiſſo equo urbe evolat. Jamjam extimam ad Muram portam exituro æs Campanum inſonat. Clauduntur momento ab excubiis fores: ille redire juxtà ac exire vetitus infimis precibus vitam deprecari, ſexaginta florenûm millia, & quidquid arcium poſſideret offerre: quibus nempe ſcelere ſuo dudum exciderat. Vim nullam preces metu extortæ habuere; accito, qui animam procuraret, ſacerdote, eodem, quo captus erat, loco cervicem præbere carnifici jubetur. Unà ſupplicio affectum fuiſſe Andream Greineggerum, paris flagitii reum, Carinthiæ Annales teſtantur. Nondum ab his ruinis Styria reſpirârat, cùm Turcæ binis pòſt annis cladem clade cumulârant. Evocati à Crupa in Croatia Comite adversùs æmulum Frangipanium, in Carinthiam excurrêre; cæſóque Georgio Gera, & Leonardo Rauberio, qui temerè quater mille, & trecentos in Barbaros eduxerant, per

Turbæ in Styria.

Authores ſeditionis puniti.

Turcæ in Styria.

Cillejenſem comitatum iter relegerant, iterum Anno LXXXIV. eandem hoſpitii gratiam in Carinthia, & Carniolia reddituri. Secunda hæc irruptio erat, quippe jam Anno MCDLXIX. in Vindorum Marchiam ſe infuderant, utraque vice quam à belluis expectes, crudelitatem exeruerunt.

Diſcordia cum Carolo Burgundo.

Diuturno, quod cum Rege Hungariæ conſecutum eſt, bello, occaſionem non modicam turbæ hæ Styriacæ, & Turcarum irruptiones præbuere: antequam tamen erumperet, res cum Carolo Burgundo fuit. Cæſare Anno XIII. Treviris agente filiam ſuam Mariam Maximiliano in matrimonium promiſerat, quoniam verò, ùt erat honoris immodicè appetens, veterem Regni titulum Burgundiæ ſuæ reſtitutum flagrantiſſimè cupiebat. Dignitatem Regiam, & Vicariam per Imperium poteſtatem ſibi concedi viciſſim poſtulârat. Cæſar, nè pactas jam Filio nuptias everteret, initio annuenti in ſpeciem quàm neganti propior, dubio reſponſo ſpem eam producere jubet, donec liberi matrimonium perfeciſſent; inſtabat contrà Carolus, prior ut ſocer conditionem expleret. Nec jam de repulſa anxius (adeò illum ſua ambitio ſecurum reddiderat, regalia ornamenta, & duplex ſolium in Eccleſia apparat, Metenſem Epiſcopum, à quo ungeretur, deſignat; deprehenſus hic præter opinionem Cæſar, ſuæ poteſtatis non eſſe, excuſat; expectandum Imperii Senatûs arbitrium; néve Dux ultro fatigaret, clàm Treviris ſe ſubducit. Exinde in omnem vindicandæ ignominiæ occaſionem intentus, brevì Coloniæ reperit. Exauctorato Ruperto Bavaro Canonici Hermanum Haſſum ſubrogârant: à Colonienſibus Fridericus ſtabat. Carolus ſuſceptâ Ruperti causâ Noveſium Ubiorum oppidum obſidet. Semel victus, dein victor adnitente Alexandro Forolivienſi Epiſcopo, & Pontificis Legato, amicitiam cum Cæſare & nuptiarum pacta inſtaurat, ſuásque Provincias, ſi nulla alia prole auctus decederet, genero addicit. Nunc, cujus meminimus, bellum Hungaricum perſequamur.

Primi cum Mathia Ungariæ Rege belli cauſa.

Simultatum inter utrumque Principem Semina jam Anno LXVIII. jacta erant, quo Mathiam in Bohemum incitârat, juſtam pecuniæ vim, & mille Equites pollicitus. Utriúsque promiſſi fidem liberare acciſæ facultates vetabant. Miſſum ſibi militem, non itidem nummos, ægrè ferens Mathias, copias rejecerat, nunciari jubens, nullum manuum ferrîve uſum militiæ ſinè ære, belli nempe anima, eſſe. Labefactam hac offenſa amicitiam mors Podiebradii Anno LXXI. XXII. Martii defuncti penitus proſtravit. Regno nuper authoritate Papæ, & Procerum quorundam conſenſu ſibi oblato Mathias imminebat. Cæſar, qui è re ſua non rebatur amicum dubium, vicinúmque tantis viribus,

ribus, & ſublimes hominis ſpiritus delicato adeò pabulo augeri, cùm pro ſe, filióve ſceptrum fruſtra peteret, Uladislai è Caſimiro Rege Poloniæ geniti ambitum fulciebat. Et victor ex Comitiis adoleſcens quindecim annorum, eodem anno, VII. Kalend. Junii abierat. Hæc Mathiam torquebant. FRIDERICUS objecerat: quòd Rex ſuperbiæ, ambitionísque modum non teneret; Turcas in Interiorem Auſtriam pellexerit; ſeditioſos Styrorum tumultus ſua authoritate foverit; Paumkircherum clientibus accenſuerit; inconſultu ſuo Regis Bohemiæ titulum uſurpârit.

Bello initium Anno LXXVII. datum, quo Uladislaus FRIDERICO Fœderatus cum octo millibus Viennam advenerat, Bohemiæ inſignibus à Cæſare ornandus. Hæc enimverò in conſpectu Hungariæ fieri intolerandum convitium ratus Mathias, poſtquam Bohemi, etſi non obtenta miſſione, dilapſi ſenſim eſſent, viginti millibus Auſtriam obruit. Trautmanſtorffio, Hamburgo, Neoburgo, Tulna, Corneoburgo quà vi, quà deditione occupatis, agrum intra Viennam, & Neoſtadium diffuſum omni damnorum genere afficiunt; ſed cumprimis Raſciani toti Auſtriæ Barbaræ licentiæ veſtigia impreſſere. Crembſium, & Steinam plus, quàm duos menſes, machinis nequicquam verberant; Viennam, etſi modico præſidio cuſtoditam, oppugnare non auſi, eminus cingunt, Danubio etiam, nè quid annonæ afferri poſſet, navibus frænato. Cæſarem iſta Lincii, quò ſe Crembſio, loco diffiſus, receperat, æris militísque defectus otioſum ſpectare coëgerat, quidquid Viennenſes, niſi fami medelam afferret, ſe deditionem facturos minarentur: nec præter pacem remedium apparebat, quæ eodem Anno XXI. Decembris in has leges promulgata. Locis, quæ obſeſſa teneret, militem Rex removeret, oppida capta redderet, poſtquam centum aureorum Millia Cæſar, aut ejus pecuniæ cautionem exhibuiſſet. Nihil tamen adversùs pacem ſibi Mathias agere viſus, cùm Bernardo Archiepiſcopo Salisburgenſi, medio tempore, armatus aſſiſteret; res ità habuit: ſacerdotium, quod ſui juris Canonicorum Collegium contendebat, Præſul diſpenſârat: tum præter morem collocato ad dexteram ſuam Chiemenſi Antiſtite, inferiori loco conſiſtere Canonicorum Præpoſitum juſſerat; utroque facto irritatus Stubenbergicus (Præpoſitus erat) querelas haud dubiè plures ad Cæſarem defert. Actore jam Muravii defuncto evocatus ad dicendam cauſam Bernardus dignitate cedere jubetur, atque cum ſententiæ non acquieſceret, annuis fructibus ſpoliatur. Nè porrò in Cæſaris manus Interioris Auſtriæ poſſeſſiones devenirent, Mathiæ milite ſuo occupandas offert. Nihil ille cunctatus Petovio, Rainæ, Friſaco, Gmundæ præſidiarios Anno LXXIX. injicit.

Bellum primum.

Pax cum Mathia Rege.

Eadem rumpitur.

Hac clarigatione præmissa altero anno in ditionem Friderici involat. Radkersburgum opera Legati Thomæ Tarciæ assultu subigit, Austriam insuper populatus. Fürstenfeldam Styriæ urbem sex suorum millibus urget; septies assilientes Ungari frustra fuere: octavùm regressis urbem Cives permisere, subditis, antequam fugerent, ignibus. Arx fame ad deditionem, præsidiarii ad juramentum, nè arma deinceps contra Mathiam ferrent, adacti. Rasciani è veteri disciplina villas Græcium usque scrutati sunt. Belli causas has Rex edit. Debitionem pecuniæ ex nuperna stipulatione; oppressum nullo jure Salisburgensem; receptum in clientelam, & hospitium Joannem Strigonienſem Archiepiscopum, qui haud ità pridem non modico auro argentóque onustus in Cæsaris tutelam se dederat (Borsinius ait: Mathiæ Zagrabiæ degenti nunciatum fuisse à Friderico in Prukensem agrum quingentos equites prædatum immissos. Hinc vices redditurum, Styriam ingressum, dum Marburgum obsideret, à Caffarello Legato Apostolico, & Cæsaris oratoribus, ut recederet permotum) ùt res habeat: Fridericus non segniter se ad prosequendum bellum comparavit. CCC. sagittarios Ulmenses, & Nordlingenses submisere: Imperii Ordines Norimbergæ XV. millia auxiliariorum decreverant. Primi Saxones, Bradenburgici, & Norinbergenses advenere; in Styria è Provinciis hæreditariis IV. millia peditum, duo equitum confluxerant; quibus equites quingenti, pedites mille à Cæsare jungendi. Andreas Weisbriachius, postquam cum Wolzkone Bohemo Austriam populatus esset, è prædone denuo miles factus, duo millia Cæsaris signis adscripsit; imminebat præterea Ungaro à Turca periculum, nihilo tamen is inde meticulosior, suadentibus pacem identidem oggerebat: Bellum Ungaris necessarium, sibi longè glorioſissimum, qui duobus Cæsaribus unius regni potentiam uno eodémque tempore objiceret. Sola Beatrix Arragonia uxor Virum eò adducere potuit, ut belli consilia omissurum se sponderet, si Cæsar residua quinquaginta millia persolveret: ad Joannem profugum pacis fructus non pertineret.

Pax denuo tentata, sed frustra.

Evitatum hac ratione bellum erat, si Fridericum quiescere Joannes sivisset, à quo persuasus Neuerlingam Styriæ arcem tentare Pottendorffium jubet. Sed ab accurentibus Sopronio Tobetschio, & Hohenbergico malè multatus, obsidionales etiam machinas amisit. Majoribus viribus dein res agi cœpta; altero in Styriam misso, alterum exercitum hosti Cæsar in Austria oposuit. Cæsi quidem ad Leythæpontum Anno LXXXII. Ungari, vires tamen continuò collegere. Omnem Austriam Hamburgo Schadwiennam usque intra V. Annos edomant. Corneu-

Austria ab Ungaris subigitur.

bur-

burgo ſeptem menſium labore ſubacto FRIDERICUS Viennâ Neoſtadium, hinc Græcium, & Oenipontum denique abiit, filii Maximiliani difficili bello inpliciti magìs ſolicitus. Vienna pòſt quintum obſidionis menſem, Kalendis Junii An. MCDLXXXV. victorem hoſtem admiſit; die XXIV. ſacramentum dixit. Ferunt FRIDERICUM urbi auxilium, & annonam petenti reſpondiſſe: famem & ipſi deguſtarent, ad quam ſe nuper haud ità pridem perduelles adegiſſent. Neoſtadium ſeptimo, poſtquam cingi cœpiſſet, menſe, IX. Auguſti, Anno LXXXVI. jugum recepit. Miſſus in Auſtriam Albertus Saxoniæ Dux cum actum agere ſe videret, adhibitis in conſilium Joanne Wülffensdorffio, Andrea Raubero, Schonbergico, Rogendorffio, Stubenbergico octo menſium inducias pactus receſſit. Leges erant: Auſtria Mathiæ eſſet, ad veteres dominos ab ejus morte reditura; ad pacem tamen faciendam emolliri animi non potuere, quòd ſeptingentis aureorum millibus à ſe redimi occupatam Provinciam Mathias poſceret; ille tanti Auſtriam non putaret, quam alioquin Regis tot morbis attriti vicina mors redituram ſinè pretio paulò pòſt ſpondebat. Et ſpem eventus comprobavit, quippe Nonis Aprilis Anno XC. Mathias Viennæ obiit, quam octo ſupra biennium menſes incoluit. Pace tandem in Auſtria, & Germania reſtituta diem quoque Lincii FRIDERICUS XIII. Kalendas Septembr. Anno XCIII. clauſit. Evaſiſſe jam mortis diſcrimen videbatur, quod à ſacro igne adierat, tibiâ bis ferro reſectâ; at cùm pridie aſſumptæ in cœlos Virginis jejunam diem egiſſet, pepones octonos ſub veſperum abſumpſiſſe ſcribunt. Inde ſolutæ alvi vitio occubuit. Cadaver ingenti pompa Viennam ſecundo Danubio devectum, communis interea Auſtriacorum Principum tumulus recepit; viſcera Lincium ſervavit. Septima Decembris juſta illi à Filio inuſitatâ magnificentiâ ad D. Stephani perſoluta. E Styria Provinciæ nomine aderant Joannes Sauravius vexillum, Fridericus Stubenbergicus Galeam, Henricus Pruſchenkius ſcutum ferens. Mauſoleum ſibi FRIDERICUS viginti antequam moreretur annis ſuperbo opere ſtruere occœperat, in quod, poſtquam Filius moli coronidem plus quàm quadragies mille aureorum impendio impoſuiſſet, Patris exuvias Kalendis Novembribus Anno MDXIII. tranſtulit.

Moritur Rex Mathias, & Cæſar Fridericus.

Sepelitur.

Leonorâ prima Conjuge Anno LXVII. III. Septembris defunctâ nullis deinceps nuptiis ſe illigavit. Suſcepit ex ea Maximilianum Neoſtadii Anno MCDLIX. XXII. Martii editum. Cunegundem Patris ingratiis Alberto IV. Bavaro Anno LXXXVII. nuptam; eam FRIDERICUS Auſtriâ ab Hungaris inſeſsâ in Tyrolim deduxerat: Oeniponti relictam Bavarus à Sigismundo Ty-

Friderici liberi.

rolenſi ſubminiſtratâ in bellum Venetum pecuniâ eblanditus erat, fictis ſimul literis velut à FRIDERICO ſcriptis, puellæ illudens, quibus Patri probari matrimonium ſignificaret. Nè dolum armis vindicaret Cæſar, tum Maximilianus Filius interceſſerat, tum Sigismundus antiquatis, queis Tyrolim doti dixit, tabulis iratum placavit. Cunegundis defuncto, Anno MDVIII. conjuge Monachii Monaſterium ingreſſa, eximiâ probitatis famâ Anno XX. finiit. Chriſtophorus primo loco natus, Joannes, Helena immaturo fato obiere, cum Matre Neoſtadii in Ciſtercienſium cœnobio, ad ſanctæ Trinitatis ſepulti. Symbolum ejus: explicatus ſupra menſam liber, cui inſiſtentem capulo gladium, extentum brachium retinet, ſubjectis his vocibus. Hic regit, ille tuetur.

Symbolum.

Staturâ mediocritatem excedebat. Habitudo corporis vegeta illi, optimísque viribus; Majeſtatem, quam toto vultu, inceſſu, frontísque compoſitione ſpirabat, placida frontis ſerenitate, comíque aſpectu mirè temperare nôrat; excellenti memoriæ peracre ingenium natura in illo conjunxit. Ipſe cibi viníque modicus, frugalem vitam unicè & in aliis amabat. Cùm vini uſum ſuſcipiendæ prolis causâ medici Eleonoræ ſuaſiſſent, per eosdem illi renunciavit, ſterilem ſe Conjugem, quàm vino deditam malle; amandam, ſi vinum oderit. Æris tamen tenacior, & pacis ſtudioſior viſus nonnullis, ùt qui juſto crebriùs citiúsque familiari illo dicto, inter Reipublicæ damna, quæ armis averti poterant, dolorem levârit: Rerum irrecuperabilium ſumma felicitas eſt oblivio. In hortorum præterea apparatum gemmas, pretioſa vaſa, veteres nummos magnam pecuniæ vim profudit; Rerum ſacrarum, & Religionis avitæ cura FRIDERICO maxima. Baſileam ex itinere divertens perſuaderi non potuit, ut Felicem V. Antipapam publicè alloqueretur, aut honores exhiberi Pontifici ſolitos deferret; omnem movit lapidem, ut tandem pax Eccleſiæ rediret. Græcii, cùm Divi Ægidii Eccleſiam anguſtiorem cerneret, hanc, quæ hodiedum viſitur, everſa veteri Anno MCDL. excitare cœpit, ſeptenni labore perfecit. Labacum, Anno ejusdem ſeculi LXI. Neoſtadium LXX. Viennam LXXX. Epiſcopatu ornavit. Anno LXVIII. ordinem Divi Georgii inſtituit, è Sacerdotibus, & Equitibus conflatum: munus eorum in Turcas pugnare. Milleſtadium illis attributum, Benedictinis aliò translatis; ſedem Neoſtadii Magiſter ordinis fixerat. Primus eam dignitatem obtinuit Joannes Sibenhirterus aulæ pincerna, huic Wolfgangus Brandnerus, demum Joannes Geymannus ſuffectus, Principum titulis omnes inſignes, multarum per hæreditarias Provincias poſſeſſionum divites. Nec ultra horum ferè ætatem

Imago.

tem duravit, temporum, quæ in res ſacras Lutherus armârat, injuriâ proſtratus. Inſigne illorum crux rubea vexillo candido intexta: cui ſimilem veſtem Sabbatho, & Feſtis Deiparæ induerant. Leopoldo Marchioni Auſtriæ Divorum honores decerni impetravit ab Innocentio VIII. Anno LXXXV. VI. Januarii.

Ceteras Friderici Virtutes è dictis conjicias. Quæ Scriptores literis non immeritò conſignanda putârunt; ejusmodi fuere. Nihil melius in hac vita homini poſſe contingere, quàm bonum exitum. Optandum, ut Conſiliarii ingreſſuri Curiam ante fores ſimulationem, & diſſimulationem deponerent. Severis Principibus extimeſcendam mortem; cùm mitiorem, quàm ſe ipſos præbuiſſent, expectare judicem non auderent. Neque ſtultis delectari ſe poſſe, neque ſuperbis eſſe amicum. Malle ſe febri teneri, quàm ſaltationi operam dare. Rogatus, quos præ ceteris diligeret? repoſuit: qui me non magìs, quàm Deum timent. Neſcio à quibus conſilio ſuggeſto: è republica videri, ſi impuberem Ladislaum tolleret; torvum tuens ſuadentes increpuit: ergo me opulentum magìs Regem, quàm pium, quàm juſtum cupitis? at ego bonum nomen cunctis divitiis antepono. Cùm jactæ in Cæſarem calumniæ accuſari quospiam audîſſet, ille vultu placido: an neſcitis Principes quaſi ſignum ad ſagittam expoſitos eſſe? turres fulmina feriunt, prætereunt tecta humilia; benè nobiſcum agitur, ſi verbis tantùm impetimur. Mendico de tenuiori ſtipe conquerenti, qui tamen Imperatoris frater eſſet, eodem patre Adamo genitus: tantundem ut à ceteris fratribus exigeret, repoſuit, & Cæſare locupletiorem futurum. Aliàs cùm Florentiæ commoranti Cosmi Medicæi opes multùm aulici dilaudarent, Fridericus ad eos: & quantum putatis ille convitiorum devorârit, antequam has ſibi fortunas paraverit. Titulum Archi-Ducis, à Rudolpho IV. Magnanimo haberi in uſu cœptum, literis Neoſtadii VI. Januarii Anno LIII. datis firmavit, jubens Auſtriam deinceps Archiducatum appellari. Ædificia, vaſa argentea (quemadmodum ipſe in diario hac ſe teſſera uſum fatetur) unde Friderici eſſe ſcires, quinque vocales inſcripſit; quid porrò iis ſignificatum voluiſſet, ſic eodem loco exprimit: Auſtriæ Eſt Imperare Orbi Univerſo. *Dicta.*

MAXIMILIANUS DUX STYRIÆ XV.

LEntis hactenus progressionibus ad magnitudinem suam serpere Austria videri poterat: & secuturæ fortunæ augurio, quàm rebus ditior; MAXIMILIANI verò industriâ effectum, ut velut saltu ad supremum potentiæ fastigium emicaret. Sanè si quam Fridericus Pater nimio quietis studio jacturam fecerit, pacis artibus Filius satìs supérque pensavit. Inermis haud paulò plura, quàm majores armis consecuti. Princeps amandi multò prudentissimus sic connubia ad potentiæ rationes temperare nórat, ut non modò genus ultra suam ætatem, sed ultra veteres fines dominationem eorum beneficio proferret. Primum ipse hac arte Germaniæ suæ Belgium continuavit, adlecta uxore, quæ sibi Hæredes, Hæredibus eas Provincias pareret. Monstratam à Patre viam feliciter ingressi Nepotes, & Filius, è thalamis ad solium prosiliere: ampliora jam meditato MAXIMILIANO, curantéque, ut singulis uxores obtingerent, quæ pro flammeo purpuram, coronas pro annulis pronubis afferrent. Hac blanda vi Hungariam, Bohemiam, Hispaniam, non invitas in retia fortunatus amor coëgit; quamquam, quæ sine bello parta, ferro invictóque animo tueri postmodum oportuerit, quando ipsa crescendi facilitas æmulorum invidiam ampliùs concitabat. Et sensit continuò MAXIMILIANUS, dotis uxoriæ magnam partem lites esse, rudimenta militiæ inter ipsa nuptiarum festa ponere coactus.

Maximiliani in erigenda Austria felicitas.

Bellum in Belgio.

Desponsam, ùt diximus, Mariam Caroli Audacis Burgundi, ex Isabella Caroli I. Ducis Borbonii Filia hæredem unicam habebat, quam Patre ad Nancejum An. LXXVI. Nonis Januarii cæso, anno mox altero XIII. Kalendas Septembr. in torum induxit. E Provinciis à Carolo relictis nulla ferè erat, quam non suam Ludovicus XI. Rex Franciæ jam putaret; alias clientelæ jure sibi obnoxias, alias dudum donatas, alias è regno decerptas, omnes denique ob perduellionis crimen, à Carolo non semel admissum, ad se devolutas contendebat. Pronum erat occupare omnia, si Maria Delphino Carolo VIII. nuberet. At sive illa hoc connubium aversata, ùt quidam scribunt; sive Rex ipse abhorreret, quòd Maria viri dudum potens, Filius contrà vix annos pubertatis attigerat; antequam nuptiæ cum MAXIMILIANO perficerentur, utram-


MAXIMILIANUS
I.
Certandum est, nulli veniunt sine Marte Coronæ. Mant.
Christ. Dietell sculpsit Gracij.



utramque Burgundiam, Atrebatum, Ipras, Tornacum ſubigit: Gandavenſes in Mariam concitat. Has injurias ulturus MAXIMILIANUS mox à nuptiis octo millia in Gallos educit, pluribus ſubinde augendus. Poſt loca aliquot capta, & alternæ fortunæ velitationes, majoribus viribus, dum Teruanum MAXIMILIANUS obſideret, Anno LXXIX. ad Giunegatum dimicatum eſt; Galli etſi poſt ſex horarum pugnam in fugam compulſi, victoriam tamen incruentam non conceſſere: tredecim millibus Auſtriacorum conciſis. Inde quietem tantiſper à Gallo nactus, ad extinguendas, quibus Belgium lacerabatur, factiones arma convertit: résque propediem ad pacem ſpectabant, Gallo jam nuper ab ægritudine ſua in inducias flexo; cùm funeſtus Conjugis obitus non MAXIMILIANI duntaxat domum, ſed & rempublicam conturbavit. Quæ inter venandum equo excuſſa, cùm læſum femur detegi medico non ferret, verceundiæ quàm vitæ amantior, V. Kalendas Apriles Anno LXXXII. deceſſit, trium jam liberorum Mater: Primus Brugis editus Philippus Anno LXXVIII. Nono Kalendas Julii. Margarita Anno LXXX. Bruxellis, X. Januarii; ibidem natus anno altero II. Septembris Franciſcus, eodem extinctus eſt VII. Kalendas Januarii.

Moritur Maria Uxor Maximiliani.

Elata MAXIMILIANI Conjux Ludovico Galliarum Regi: Liberi turbandi materiem Ordinibus Flandriæ præbuere. Hi quidem procurationem Reipublicæ, & tutelam ſibi vendicare conati in poteſtatem Liberos redegerant. Ille oppidis aliis captis tentatis aliis in propoſito Belgas firmârat. Opportunum turbulentis conſiliis acciderat, quòd tum ob cæſum à Guilielmo Marchano Ludovicum Borbonium Epiſcopum bello cum Leodienſibus implicitus Archidux non æquè ità copias, ùt curas dividere poſſet. Suo itaque arbitrio fœdus in has præcipuè leges cum Gallo ineunt: Margarita Ducis Filia Delphino nuberet. Dos ejus Burgundia, Arteſia, pluráque alia forent. Philippus in Ordinum duntaxat poteſtate, donec Ephebos excederet, permaneret. Uterque ſocer pacta rata jurejurando haberet. Hæc ſeu Hesdini, ſeu Atrebati invito MAXIMILIANO acta, probare nihilominus neceſſe fuit, cùm novum negotium Ultrajectenſes faceſſerent. Miſſáque Margarita in Gallias eſt, nunquam Delphini Uxor, & brevis admodum pacis pignus futura. Mortuo Ludovico Rege diſcordiæ recruduere; donec Flandri partim cladibus domiti, partim Gallorum pertæſi ad Brabantinos, Hollandos, Selandosque accederent, qui dudum MAXIMILIANUM legitimum liberorum tutorem agnoſcebant.

Novæ in Belgio turbæ.

Valuêre ſaltem eò induciæ hæ veriùs, quàm pax, ut belli curis ad ſpeciem vacuo eſſe tantiſper liceret; donec Comitia Fran-

Francofurti finirent, quæ Pater Fridericus eligendo Romanorum Regi indixerat. Huc quoque diviſores Galli ſe inſinuârant; auri, ſed magìs pollicitorum prodigi curiam percurſant, quo Electorum ſtudia à MAXIMILIANO averterent. Friderici tamen candor, & filii dexteritas præpollebat: quibus unicè artibus animos ſuffrâgatorum præparârunt. MAXIMILIANUS decimo tertio Kalendas Martij anni LXXXVI. Rex ſalutatus Aquisgrani, tertio Idus Aprilis ornamenta novæ dignitatis induit: Gallus interea, cùm cæco, aureóque Marte Francofurti fruſtrà pugnâſſet, palàm ſigna per Belgium circumferebat; nec adversùm lenocinia Gallica fides Flandris conſtitit. Brugis primùm MAXIMILIANUM detinent, progreſsúmque ad ſedandos tumultus in forum, corripiunt, atque in ædes ejus cuſtodiæ deſignatas compingunt minati, non inde exiturum, niſi pacem cum Gallo iniviſſet. Rationes inſuper adminiſtratæ pecuniæ reddi poſtulabant, quas in Germaniam elatas, aut ſuſpicabantur, aut ſuſpicari fingebant. Indigniſſimum facinus deteſtati Pontifex, Fridericus Cæſar, ceteríque Principes: ille diras, hic arma intentant. Poſtquam elapſis novem menſibus, appropinquare Fridericum Imperatorem cum exercitu audîſſent, non auſi vim à Patre expectare, certis conditionibus liberum dimittunt, quas inter erat, ut ipſe injuriæ oblitus à Patre etiam vindictam deprecaretur. Nihilominus Gandavum Cæſar cinxit; ſed cùm Gallorum præſidio præter opinionem munitum reperîſſet, ſoluta poſt paucos dies obſidione receſſit. Abeuntem Patrem non multò pòſt ſecutus MAXIMILIANUS, armorum per Belgium imperium in Albertum Saxonem contulit, in Auſtriam ipſe approperans; ubi rei bene gerendæ occaſionem mors Regis Mathiæ anno XC. obtulit. Undecimo Kalendas Septembris Viennam appulſus ingenti gaudio civium accipitur. Arcem, quam Hungari inſidebant, inter primos ipſe aggreſſus, atque adverſo pectore ſaucius, honeſtiſſimi vulneris præmium, caſtro in deditionem accepto, tulit. Viennæ exemplum imitata Neoſtadium, Leitepontum, Clauſtro-Neoburgum ſeſe ejus arbitrio permisêre. Paucula, quæ reſtabant, differenda putabat, donec ab expeditione, quam animo informârat, ex Hungaria rediîſſet. Id Regnum non uno titulo ſuum ducebat: non adeò concordibus ſuffragiis electus nuper erat Uladislaus Rex Bohemiæ; quin Procerum aliqui MAXIMILIANO faverent. E veteribus porrò pactis evincebat, non tam ſe nunc præteritum, quàm cum injuria ejectum; in hanc quippe conditionem, antequam coronam reciperet, Mathias deſcenderat, ut ſi absque hærede legitimo è vivis abiret, Regnum aut Fridericus, aut Filius indipiſceretur. Non latebat aut jus, aut indignatio MAXIMILIANI Uladislaum: eapropter non modò in ejus per Auſtriam pro-

Maximilianus Rex Romanorum eligitur.

Brugis à civibus captus, detinetur.

Auſtriam recuperat.

In Hungariam expeditio.

progressionibus connivebat, fatìs ducens, si ab Hungaria se victor abstineret, sed honorifica legatione postulârat, ut necessitudinis, quæ illi secum intercederet, memor, Regis titulo quietè frui pateretur, quibus contrà MAXIMILIANUS, nihil se adversùm agnationis leges admissurum, etsi regnum conventorum religione sibi traditum armis quæreret: propositum sibi firmúmque esse illud ignava dissimulatione non omittere; adfuturas è Germania, & Polonia copias, quibus haud infeliciter executurum consilia se speret. Eo responso dimissos Legatos cum exercitu consequitur. Venienti se Albertus Uladislai frater, & ipse ad Regnum, ùt rumor ferebat, vocatus, cum Vitessio Vesprimiensi Episcopo jungit. Expugnato Sopronio, & Sabariâ, Albam Regalem impetu capit, præsidiariis Civibus Suevorum ardore exterritis. Ab his Budam destinârat, nisi orta ob dilata stipendia in castris seditio Austriam repetere compulisset; nonnihil tamen compendii eo in receptu factum Hamburgo ex itinere recuperato. Nec abeunti Uladislaus institit, nè irritatum acerbiùs à pace alienaret, quæ anno secuto ex hac formula composita: Uladislao sinè prole mortuo Hæredes Austriaci sunto; sumptus in bellum factos centum aureorum millibus Uladislaus pensato; titulus Regis utrique communis esto; munia regni, præcipuè Palatini aliorúmque alter sinè altero nè dispensato.

nem suscipit.

Pax cum Uladislao Hungariæ Rege.

Cum Gallis quoque eodem anno, aut ut Fuggerus asserit anno præcedente XXXI. Octobris apud Turonos depactum est. Flandris in gratiam receptis, hæ leges dictatæ: ut MAXIMILIANO legitimo Tutori parerent; intra trium annorum spatium tercentum florenorum millia persolverent; captivi permutarentur; Rex Galliæ resciisso, si quod percusserat, cum ordinibus Flandriæ & Brabantiæ fœdere, author ipsis colendæ pacis posthac existeret. Philippum Clivensem subinde, adhuc per Belgium tumultuari ausum Albertus Saxo eadem felicitate, qua nuper absente MAXIMILIANO Flandros, in ordinem redegit. Verùm qui pacem istam à bello distingueres, qua spolia sanè opima detrahere Carolus licere putabat, nisi amicum illi nihilominus MAXIMILIANUM, sed magìs amicam utilitatem dixeris?

Componitur cum Flandris negotium.

Filiam suam Franciscus Dux Britanniæ MAXIMILIANO promiserat, eáque si potiretur, quoniam hæres propior deerat, Armoricam sui juris faciebat. Mortuo nuper Duce eam Sponsoribus Arausicano, & Wolfgango Bolheimio ad Redonas in uxorem assumpserat, ritúque ea ætate usitato Arausicanus pro MAXIMILIANO maritus loricatus ipse lecto suo admôrat. Et credibile, nihil his pactis intercessurum fuisse Gallum, si doti nubere posse, quin Annæ sperâsset. At amissæ nuper ignava, ut passim Galli

Annam Britañam Sponsam Carolus VIII. Rex Franciæ abripit.

criminantur, Patris ceſſatione Burgundiæ ignominiam, cumulare jacturâ Armoricæ regio nomini probroſum viſum, & nimia in amicum benignitas tantam dotem concedere, quam eripere poſſet. Itaque profecturæ ad MAXIMILIANUM Annæ honoris ſpecie ducentos equites (quos poſtulatos ſecuritatis causâ ab ſponſa memorant alii) Ducibus Borbonio, & Aurelianenſi ſubmittit; diſſimulato tantiſper conſilio, ubi ad pontem quempiam ventum eſſet, mandata Regis expromunt, flentem, renitentémque Turonas ad Regem Anno XCI. perducunt. Quantùm ea ignominia MAXIMILIANUM pupugerit, proclive eſt conjicere, & multò quidem poſtmodum acerbiùs, quòd ultionis modum non expediret, cum ſolicitati in arma Imperii ordines, alienos à bello Gallico animos præſeferrent. Militem nullum, pecuniarum duntaxat ſubſidium, illúdque tenue exſculpſit, quo demum & ipſe uti abnuit, & iræ, & amoris æſtu ſenſim remittente; nam & Anna interea in nuptias cum Carolo conſenſerat, & pacificatione Sylvanectenſi Galli Margaritam Auſtriacam cum Comitatu Burgundiæ Caroleſio, Arteſio, aliísque reddidere, ſervato, quem Ludovicus occupârat, Ducatu Burgundiæ.

Altera ex altera doloris materies MAXIMILIANO ſubnaſcebatur, amiſſam, ùt diximus, cum lauta dote conjugem, jactura amantiſſimi Patris Friderici biennio pòſt excepit. Curanti Viennæ funus Patris, Carnioliam, Carinthiam, & Styriæ partem Petovio vicinam Turcarum ignibus iterum ardere nunciatum: nam & anno ſuperiore easdem Provincias evaſtârunt. Et tunc quidem Georgius Herberſteinius cum Rudolpho Kevenhillero rem feliciter geſſere. Turcarum agmen quindecim captivorum Styrorum millibus grave aſſecuti animosè in Barbaros irruunt pugnæ initio, Turcæ utì multitudine ſuperiores, ità propiores victoriæ fuere; commodùm ſub ipſum prælii æſtum accidit, quòd captivi ſolutis vinculis in terga Turcarum invaderent; ſeptem millibus vulneratis, prædáque recepta decem millia hoſtium cecidere. At nunc anni ſuperioris cladem rependerunt Hungaris, & Croatis, qui à populatione reduces, antequam Germani in pugnam venirent, temerè aggreſſi, quinque ſuorum millia amiſerunt. Tardiùs quidem ad victoriam, ad ulciſcendam tamen cladem maturè, ùt Rhoo ait, MAXIMILIANUS cum quindecim millibus adfuit, obrutíſque præter opinionem Barbaris ſpolia extorſit.

Turcarum in Styriam irruptio.

Maximilianus ducit Blancam Galeacii filiam.

Intentum reprimendis Turcis illinc iterum Geldria, hinc Italia expectabat: illam Carolus ceu hæreditatem repetens turbis miſcebat. hæc occupata à Gallo Neapoli ejusdem Regis metu laborabat; ſed ante hæc vidui tori MAXIMILIANO cura. In quem priùs

ac

ac in castra se daret, Oeniponti Blancam Mariam XVI. Martii induxit. Erat Maria Galeacii Mariæ Ducis Mediolanensis filia, & præter egregiam vultûs speciem in dotem centum aureorum millia, mundúmque muliebrem ducentis millibus æstimatum à Patruo Ludovico Sfortia afferebat, magno in instantia bella subsidio futuram.

Mense inter genialia gaudia exacto Geldriæ rebus prospecturus discessit; eam Provinciam extincta veterum comitum stirpe Arnoldus Eymontius usurpârat, excluſóque filio Adolpho aut Carolo Burgundo cessit, aut vendidit; nepos verò Arnoldi Carolus à Gallo fultus juxtà ac stimulatus patrimonium armis, cùm alibi distineretur Cæsar, repetitum ibat, & verò etiam pellectis in suas partes civibus dominabatur. Opportunè hominem aggredi in hoc tempus MAXIMILIANUS distulerat, quo causam ejus Carolus VIII. destituit, Neapolitano bello occupatus. Cùm nulla jam servandæ Provinciæ, nisi à Victoris clementia spes affulgeret, Geldriensis MAXIMILIANO castra ad Neomagum metanti supplex se sistit, & adhibita Blancæ opera clientelari dono sibi Geldriam concedi orat. Rejectus ad quatuor Electorum arbitrium, causâ quidem tunc cecidit, post plures tamen annos novas identidem turbas ciens, id beneficii extorsit, à morte sua reddendum. *Geldriensem domat.*

Post subactam feliciter Geldriam in Philippum filium jam Reipublicæ maturum Belgarum regimen transtulit. Wormatiam ad curandas res Imperii profectus, multa salubriter in comitiis sanxit. Inter cœtera: Tribunal Imperii (Cameram vocitabant) jam anno LXXIII. informatum à Patre, stabilivit; Ludovicum Sfortiam Mediolanensem Ducem, Wirtenbergæ Eberhardum Barbatum dixit. Hinc Austriam revisens, congressúsque Viennæ cum Philippo filio, ambo Oenipontum Anno XCVI. abiere, quo mors Ducis Sigismundi pridie Nonas Martias extincti evocârat: is enim liberorum expes septem ab hinc annis Tyrolim, omnéque à Friderico Patre relictum patrimonium MAXIMILIANO addixerat; breve otium domesticis datum geminum bellum, neutrum prosperè gestum abrupit: in primum Italiæ Reguli, & Pontifex Alexander VI. invitârant, successu Caroli VIII. territi, à quo levi negotio nuper Regno Neapolitano Ferdinandus exutus. Adventanti obviam venêre Legatus Pontificius, & Ludovicus Sfortia, atque quòd Rex Galliæ jam Italiâ decessisset, ut iter in Pedemontium flecteret, redituris fors Francis, viam intercluſurus, orant: sed Italiæ Reguli, nec debitam è conventis pecuniam, nec militem ministrabant. Ea occasione solerter in rem suam usus Sfortia persuadet, ut quando his viribus *Tyrolis possessionem adit.* *Bellum Italicum.*

Sabaudus abſtrahi à Gallo non poſſet, in Florentinos eidem fœderi innexos arma verteret. Piſas occupandi ſpes Sfortiæ erat, quæ urbs haud ità pridem jugo Hetruſcorum excuſſo in libertatem ſeſe aſſeruit; & veteres Dominos identidem infeſtos patiebatur. MAXIMILIANUS vanæ expeditionis ignominiam magnopere veritus, nè nihil in Italia egiſſe diceretur, haud ægrè Sfortiæ Conſiliis aquievit. Liburnum munitum oppidum, portúmque cingit, ſed alieno adeò tempore, ut diſperſæ tempeſtate triremes, enecti frigore milites, conſumpto ære, famáque armorum Germaniam repetere cogerent.

Bellum Helveticum.

Alterum Helvetis illatum nihilo benignius fortuna reſpexit. Id à MAXIMILIANO fœderatis indictum; crimini illis datum, quòd Curienſes, Griſones, Engadinenſes in fœdus adſciverint, id quod hi à vicinia Tyrolis profecti acerbiùs habiti ultro poſtulârant: quòd appellati à Cæſare, ut fœderi, quod Suevi adversùm Imperii hoſtes coierant, nomina darent, pecunias in commune conferrent, tum tolerandis univerſim ſumptibus, tum conſervando Imperii tribunali recèns erecto, utrumque abnuerent. Ferociùs, quàm diutiùs bellatum eſt. Decies & ter intra menſes non amplius decem manus conſeruêre, eventu plerumque Auſtriacis infelici. Reſtituta eodem Anno XCIX. pax Ludovici Mediolanenſis opus fuit, cujus magnopere intererat Cæſarem eo tempore bello vacuum eſſe; neque tamen quæ ſperârat, auxilia conſecutus, poſt amiſſum Ducatum in Gallico carcere vitam concluſit.

Naſcitur Carolus V.

Inter turbulentas bellorum tempeſtates ſerenior Annus ſeculi XV. poſtremus illuxit, quem ortu ſuo Magnus Monarcha Carolus Gandavi XXIV. Martii editus colluſtravit. Idem annus Goritienſem Comitatum plenè titulis Auſtriacorum inſeruit Leonardo Comitum poſtremo vivis erepto. Et Ludovicus Mediolani recèns ſubacti anxius amicitiam Germaniæ ambiebat, quæ quidem ante finem belli Bavarici non convenit, ab armis tamen interea temperatum eſt. Hoc porrò bellum è teſtamento Georgii inferioris Bavariæ Ducis enatum, quo hæredem Eliſabetham filiam Ruperti Palatini conjugem ſcripſerat; Albertus contra, & Wolfgangus ſuperioris Bavariæ reguli injuſtas tabulas apud Cæſarem querebantur. Spoliari ſe non poſſe, quibus veteres leges Provinciam dijudicarent. Itaque cum Rupertus nullis conditionibus ſecum tranſigi pateretur, unà cum Patre Philippo Electore proſcribitur, ditio à Cæſare, Udalrico Wirtenbergenſi, Guilielmo Haſſo, Friderico Brandeburgico invaditur; cæſis, qui Palatino ſuppetias iêrunt, Bohemis; poſſeſſione omni Rupertus dejicitur, paulò pòſt cum uxore ægritudine animi extinctus. Phi-

Bellum Bavaricum.

lip-

lippus Pater, ubi jam totam belli molem ſibi incumbere cerneret, ſupplex factus, veniam obtinuit.

Ad iter, quod dudum Romam meditabatur, ſeriò animum Anno MDVII. Maximilianus adjecit: quem in finem potiſſimùm Senatum Imperii Conſtantiæ coëgerat. Decreta illi ad pompam, & tutelam octo equitum, viginti duo peditum, centum & viginti florenorum millia, bellúmque Venetis, quòd tranſitum armato conceſſuros negâſſent, indictum. Sed & Pontificem Julium, etſi nuper vehementer MAXIMILIANUM præſentem adversùs Gallorum machinationes optâſſet, tamen nunc Rege digreſſo, metus à tanto militum Germanorum apparatu inceſſit, eo ut ſe liberaret, id comminiſcitur: Per Legatum ſignificat; quandoquidem animo proſpiceret, ſinè multo ſanguine Romam Regem petere non poſſe, hinc Venetis, alibi Gallis vias inſidentibus. Itineri proinde parceret, Imperatoriam, quam poſtulaturus veniret dignitatem, abſenti ab ſe tribui poſſe Cardinalium Collegio viſum, hanc proinde ab Legato reciperet; nec jam Regis duntaxat, ſed Imperatoris Romani deinceps nomen, haud ſecùs ac Romæ coronâ redimitus, uſurparet. Quæ Tridenti audiens non ægrè ab itineris conſilio receſſit, vindictæ de Venetis ſumendæ cupidior. Publicis itaque ceremoniis X. Februarii Anno VIII. inauguratus, mox in Venetos movit. A Cæſareis vallis Caduria cum arce, Boſcum in agro Tridentino, aliàque oppida in Tarviſino expugnata; at cùm majores copias MAXIMILIANUS contracturus in Germaniam rediiſſet, recuperatum à Venetis Cadurium, eidémque victoriæ Portus Naonis, Goritia, Tergeſtum à Liviano Duce adjecta. Damnorum utrinque ſaturi, de triennalibus induciis egêre, quibus cùm Geldrienſem incluſum Galli, neglectum Veneti vellent, & ſeorſim paciſcerentur, magnam apud Ludovicum XIII. offenſam ſubiere. Unde immanem in Venetos Pontifex Julius tempeſtatem concivit, qua non aliàs facilè fœdior Reipublicæ incubuit.

Bellum primum cum Venetis.

Imperator Romanorum Promulgatur.

Induciæ.

Etenim cùm aliorum viribus Ariminum, Faventiam, aliáque à Venetis occupata loca ditioni ſuæ vindicare ſperaret, Ludovicum primùm MAXIMILIANO conciliat, tum in fœdus Cameracenſe utrumque Anno IX. pertrahit, cui & ipſe cum Ferdinando Arragone ſubſcripſerat. Nè in ſe cudi malum ante diem Veneti odorarentur, fama in vulgus è compoſito diditur de Geldrienſi tractari. Leges fuere: bellum gerendum ſociatis viribus in Venetos, qui vicinorum ſpoliis creviſſent, qui principum arma toties morarentur, quò minùs in Chriſtiani nominis hoſtes irent. Itaque ſociorum quivis ſua recuperet, his recuperatis alteri præſtò ſit. MAXIMILIANUS, nè induciarum religionem violâſſe

Camerancenſe Fœdus.

lâſſe videretur, poſtremus, & imploratus à Pontifice, vim admoveat, Defenſoris Eccleſiæ munus hac ratione expleturus veriùs, quàm hoſtis. Bellum auſpicatus eſt Julius contorto in Venetos Eccleſiaſtico fulmine. Cui Rex Galliæ pondus addidit, viginti millibus trans alpes eductis, cæsísque ad Adduam hoſtibus uno victoriæ curſu Caravaſium, Bergomum, Cremonam ſubigit, & qui longè maximus pugnæ fructus extitit, animos Venetorum eò proſternit, ut Continentis Imperio ſe abdicare decernerent. Igitur Patavium, Verona, Vincentia, Goritia, Tergeſtum MAXIMILIANO venienti patuere, ſociis reliquis urbes aliæ. Quin Antonius Juſtinianus Orator ad Cæſarem miſſus ſummam rei ad illius Clementiam arbitriúmque detuliſſe fertur. At quoniam per leges fœderis paciſci non licebat, & Ludovico Regi Galliæ, niſi redactis in poteſtatem Venetiis deſiſtere non luberet, rejecti denique ab ſe ipſis Reipublicæ patrocinium exigunt, quod aliunde deſperare jubebantur. Patavium auctis è deſperatione animis recuperant, iterúmque obſeſſum tuentur. Eadem felicitate in Vincentiam, Feltrium civitatem Auſtriæ nuper ereptam remigrant, Germanis contrà Utinum, & Gradiſca ceſſere. Gallo ſubinde Venetis conciliato, Ferdinando Arragone, & Julio Pontifice reſilientibus à fœdere, retro ferri citatis paſſibus res Germanorum cœperant. Atque eò ampliùs, poſtquam Franciſcus I. Ludovici Succeſſor Mediolanum pulſo Maximiliano Sfortia intrâſſet. Reddita itaque Venetis Verona, & inducíæ pòſt octo annorum bellum Anno XVII. conceſſæ, quas trecentis aureorum millibus emere juſſi. Durante adhucdum bello Veneto, exercitu Mediolanum Cæſar vallavit; at id in Franciſci Regis poteſtate, nè delibatum quidem relinqui oportuit, Helvetorum flagitio, qui in populares, & non exhibitis antea ſtipendiis prælium detrectabant. Ad Teruanam verò ingens momentum ad victoriam Henrico Anglo adversùs Ludovicum XII. pugna, quam vocabant Calcaria, attulit.

Bellum ſecundùm in Venetos.

Veneti pleraque recuperant.

Inducíæ cum Venetis.

Vindorum ſeditio.

Verùm dum à finibus bellum removeretur, aliud intra viſcera Styriæ graſſari eodem anno cœpit, quod à cauſa, unde ortum, ab authoribus ſuis linguâ vernaculâ, vetera jura, dicebatur. A Vindis porrò ruſticis conflata ſeditio. Eos primùm ſua ſævitie in rabiem actos Præfecti, & Dynaſtæ cùm aliquorum ſupplicio reprimere furentium temeritatem tentâſſent, vehementiùs irritârunt. Non pauciores octoginta millibus ad Rainam, ruſticis pleríque, militaribus armis pauci inſtructi intra paucos dies conſtitere, miſsísque tum ad Præfectos, tum ad Cæſarem Auguſtam Vindelicorum Nunciis ſe ſe haberi poſthac mitiùs à Dominis, novis legibus non adſtringi, obruíve exactionibus flagi-

flagitant. Cæsar vultu ad miserationem composito, benignè Nuncium auscultans referre jubet; si positis armis quietos se domi suæ continerent, se Præfectorum injurias posthac præstare: animadversurum serió in eos, qui secus faxint. Hoc responso seditiosi læti juxtà, atque audaciores, in Nobiles velut Cæsaris sententiâ damnatos impetum faciunt, deprehensos spoliant, ludibriis exagitant, nec paucos exquisito etiam mortis genere trucidant; arces demoliuntur; in cœnobia adeò insanum furorem exerunt. Rainam spectatæ virtutis centurio Kis Marcus obtinebat; desperata oppidi defensione injectis antea in ædes flammis in arcem se cum VI. equitibus abdidit; hìc quoque efferatæ multitudini impar reseratis ultro portis, aut honestam mortem non inultus oppetere, aut si fortuna faveret, per medios hostium cuneos viâ ferro, audaciáque apertâ decernit. Adverterat fortasse id consilium obsessores rusticos, sublicásque dolosè scindunt, ut modica sui parte cohærentes oculos primùm intuentium, vestigia dein egressorum fallerent. Ignarus fraudis Kis Marcus animosè erumpit, vix pontis medium cum suis emensus, in subjectam fossam effunditur, ab accurrentibus extemplo rusticis fudibus clavísque omnes interfecti. Tres menses vilis plebeculæ intemperies Cæsaris clementiam lusit, tandem tentatis frustra aliis remediis, nisi misso sanguine furorem tumultuantibus eximi non posse visum; in eam Provinciam delectus Sigismundus Dietrichsteinius Carinthiæ Præses, levi negotio ad obsequium rebelles compulit. Trajecto ad Petovium Dravo, castra, quæ ad Rainam fixerant, sub Septembris finem aggressus, segniter repugnantes fundit, dissipátque, ingens numerus è fuga retractus, passim ex arboribus ad terrorem ceterorum catervatim pependere. Cum his ad restim res omnis seditiosorum planissimè rediit.

Tot bellorum mole presso vacabat nihilominus maximæ mentis Principi in longa tempora curas extendere, nec minùs præsentium ac futuri solers fœdus cum Uladislao Ungariæ, & Fratre ejus Sigismundo Poloniæ Regibus Anno XV. instaurat, quo ad fundandam Austriæ potentiam nihil accomodatius menti Deus injecerit. Ambobus Regibus in Austriam delatis Maximilianus ad quintum à Vienna lapidem occurrit, simul urbem pompâ non antehac visâ ingressi; aliquot diebus lætitiæ datis feria agi cœpta. Decima ante Kalendas Augusti arctissima amicitiæ fundamenta jacta, postquam Bohemiæ, & Hungariæ Reges ad hanc diem ex Austriacorum fœdere nunquam abirent. Regibus Sigismundo Poloniæ, & Uladislao Hungariæ, & Bohemiæ in aula cum liberis Ludovico & Anna præsentibus, Annæ Cæsar auream coronam imposuit, ipse vicissim florenti serto à regia puella donatus. Hinc

postquam ad Divi Stephani ventum, Anna sponsore Avo Maximiliano, nepotum alterutri Carolo, aut Ferdinando promissa. Maria itidem Cæsaris Neptis præsens ipsa Ludovicum sibi despondit. Atque eo die Ferdinandus Annæ maritus ad utriusque Regni coronam sibi viam communiit. His è sententia confectis, & coronam Imperii genero suo affirmare satagebat. Proniorem initio in Ferdinandum, quòd Carolum hæreditate Matris sat locupletem cerneret, à proposito consiliarii abduxere, qui æquari Imperatorem hosti, quàm Fratri satiùs ducebant, cùm evertendam libertatem Germaniæ è Franciſci Galliarum Regis molitionibus non vanè conjicerent, nisi à potente Cæsare sustentaretur. Neque tamen illa, quæ Patri ejus, felicitas Maximiliano obtigit, ut nepotem Cæsarem vivens conspiceret; spoponderant tamen Augustæ Electores, rationem ab se Caroli præ ceteris habendam.

Sponsalia inter Uladislai Hungari liberos, & Cæsaris nepotes.

Hæ ultimæ Maximi Principis curæ fuere, quibus an de Austria, an de Imperio meliùs meritus, ii definiant, qui honorem coronæ, cum exhaustis pro Germaniæ, Regnorúmque incolumitate laboribus ad libellam contulerint. Oeniponti, quò soluto Augustano congressu divertit, febricula tentatus, secundo Oeno in Austriam se deportari curârat, cæli mutatione aut itineris beneficio discutiendum morbum ratus. Welsæ, cùm malum intendi persentiscceret, substitit, accitóque Friburgo Georgio Carthusiano, quo olim ad sacras confessiones utebatur, ad extremum iter ritè animam comparat, cujus quidem curam non tum primùm in animam demisit. Quatuor ferè abhinc annis, cùm Oeniponti arcem, quam in usum commodiorem instrui fecerat, Architectum ab idea aberrâsse adverteret, ad Mathæum cubicularium conversus: malignè enimverò hi mentem meam assecuti sunt, domum aliam haud paulò aptiorem fabricari curabo; & mox tumbam apparari jussit; sed quòd illa repagulis ferreis serísque affabrè solertérque munita, Aulicos consilium fefellit, suspicatos arcanum eâ thesaurum custodiri. Ad extrema deductus omisso Cæsaris nomine, Maximiliani duntaxat à Georgio compellari voluit. Circumstantes lacrymantésque Proceres ipse animosè hortatus, cur ejus obitu commoverentur, rogabat, quem mortalem nôssent? Tum ultimam iis voluntatem aperuit, tabulísque mandavit. Inter cetera hæc fieri præcipiens; Magistratus nè innovaretur, donec nepotum quisquam in Provincias adveniret; corpus detegi, aut viscera eximi defuncto vetuit verecundiæ, quam omni vita mirificè colebat, studio. Jussit tamen, à curatoribus funeris capillos resectos, evulsósque dentes in cœmeterio defodi, prunis injectis: cadaver integram diem prostaret. Dein flagellatum viva calce insperſum, teláque obvolutum, serico panno vestiretur, inclusúmque ei quam diximus tum-

Mors Maximiliani.

tumbæ Neoſtadium in arcis ſacellum deferretur. Id porrò ſub ara principe Divo Georgio ſacra ſic demitti in terram voluit, ut Sacerdos ad aram faciens pectori, cordíque inſiſteret. Ità ad ſupremum halitum mentis compos, inter mortales eſſe deſiit pridie Idus Januarii Anno MDXIX.

Morienti non altera conjux, non natus ex alterutra filius, una è primo connubio filia Margarita ſuperſtes fuit. Blanca quidem ſecunda uxor Kalendis Januarii MDXI. ſupremùm Oeni- *Liberi.*
ponti vixit, Stambſenſi Ducum tumulo condita. Philippum Burgis Anno MDVI. XXV. Septembr. in flore ætatis brevis morbus decoxit. Hic ductâ anno MCDXCVI. XXI. Octobris Joannâ Ferdinandi Catholici Arragoniæ, & Iſabellæ Caſtellæ filiâ regnum Socrûs ſuæ anno ſeculi V. adiit. Margareta à Carolo Galliæ Rege dimiſſa Anno XCVII. Joanni Ferdinandi itidem Catholici filio nupſit. Poſt quintum menſem viro orbata in torum Philiberti II. Sabaudiæ Ducis An. MDI. tranſiit. Sed hunc quoque Conjugem poſt quatuor annos mors infelici uxori invidit. Vidua Belgium defuncto Fratre Philippo pro nepotibus tres ferè ſupra vicennos annos gubernavit, donec Mechliniæ MDXXX. I. Decembris, vitam concluderet. Philippi liberi omnes adhucdum vivebant: quinque porrò ſuſceperat, Eleonoram, Mariam, Catharinam poſthumam. Mares binos, Carolum, quem aliàs memoravimus, & Ferdinandum Anno MDIII. X. Martii Compluti in lucem editum, ad quos omnis hæreditas rediit. Carolus quidem educatus in Belgio, ejusdem regimen Kalendis Januarii Anno MDXV. ſuſcepit: unde in Hiſpanias Anno XVIII. profectus Valliſoleti VII. Februarii regiam coronam obtinuit; Ferdinandus verò, qui juventutem apud avum maternum egerat, advecto in regnum Fratre ad Belgas abiit.

In Symbolum Maximilianus uſus fertur rotâ contextâ ex en- *Symbolum.*
ſibus, cui deſuper Imperii pomum immineat, punico ſubtus affixo, & lemmate addito. Per tot diſcrimina. Ab aliis illi cor lauri foliis inſertum cum his vocibus attribuitur: In manu DEI, Regis eſt. Nummis verò frequenter imprimere conſueverat: Tene menſuram, & reſpice finem. Corpus ejus robuſtum, valens, multáque exercitatione in labores duratum, ſtatura media, capillus, colórque ſubniger, oculi cæſii, naſus aquilinus, vultus, inceſſus majeſtatem ſpirans. In annum ætatis nonum penè mu- *Habitudo corporis.*
tus, hebetioris etiam ingenii futurum Pater metuebat; ſed annum duodecimum egreſſus omnem ſolicitudinem Friderico abſterſit. Inexplebilis illi ſciendi, virtutis, veræque laudis cupiditas, & ſi parem ingenio Magiſtrum nactus ſit, quantum dignitate, tantum ſcientia ſuo ævo eruditos anteierat. Sæpius queri de Magiſtro ſuo Petro, Neoſtadienſi poſtmodum Epiſco-

po auditus est, diceréque: quòd captiosas Dialecticorum argutias inculcare contentus, rei summam neglexerit; si etiamnum viveret, futurum certè, ut institutum ab se Principem pœniteret, habiturum siquidem minervale, cui alterum simile non optaret. Literas, Literatósque impensè fovebat, quorum frequenti consuetudine institutionis suæ damna ità pensavit, ut de arcanis etiam sublimiorum scientiarum non indisertè disputaret. Linguas Latinam, Gallicam, Italicam luculenter, & ad Veneres usque tenebat. MAXIMILIANI ductu, curáque honor esse, multò amplior per Germaniam literis, eruditísque cœpit; ejus hortatu veteres scriptores è pulveribus eruti, & tineis subducti. Historia præprimis delectari visus, quo gentis suæ originem, gestáque penitus perdisceret; Jacobum Manlium Friburgensem Consiliarium, & Ladislaum Suntheimium Viennensem Canonicum in Germaniæ, Italiæ, Galliæ Bibliothecas suis impendiis misit. Exempli utilitas, & authoris dignitas aliorum continuò diligentiam excitavit: quin ipsum etiam commentarios ab se conscriptos reliquisse Cuspinianus prodit. Animi robore, militiæ artibus totâ Europâ inclaruit. Librandis tormentis, tendendis arcubus cum peritissimis, & qui quæstum hac arte facerent, certabat. Non illo alter equum insilire leviùs, aut flectere promptiùs, peritiùs torquere hastam, aut gladium vibrare, locum, quem vulneri designâsset, certiùs ferire. E ludis, pugnísque equestribus immensam famam collegit. Claudium Battreum Gallum latè celebrem non sinè convitio gentem Germanicam provocare ausum lanceâ, enséque congressus jam Cæsar prostravit. Leges militibus conscribi, typísque vulgari mandavit. Legiones in suas cohortes tribuit, & suum, qui hodiedum viget, militaribus muniis ordinem constituit. Si otium nactus esset, militarem fortitudinem inter saltus venando alebat, utrobiq; periculorum contemptu, audaciæ ferè propior, nisi ars & animi virtus securum victoriæ redidisset. Ferunt insecutum dorcadas in ea se montium præcipitia induisse, unde pedem referre ope ampliùs humana non posset. Post triduum verò ignotum rusticano habitu puellum viam famenti, desperantíq; reditum monstrâsse, qui ubi MAXIMILIANUM in tuto collocâsset, evanuerit. Profusæ tamen liberalitatis nonnulli arguunt, justámque inde parsimoniam Patris tuetur, qui parcè adeò æs filio tum aliàs, tum ad nuptias profecto subministravit, ùt ad venientem centum florenûm millia sponsa præmiserit, nè infra dignitatem comitatus splendidúsq; Belgium ingrederetur. Peculatum etiam minùs severè coërcuisse arbitrantur alii, unde qui nunquam in republica desunt, major ignavorum fucorum numerus ærarium depastus sit. Monitus non rarò à fidis Aulicis, modum liberalitati poneret, respondere solebat: Austriacos haud paulò plus compendii munificentiâ, quàm parsimoniâ alios facere consuevisse. CA-

Literarũ amor.

Militiæ peritia.

Liberalitas.

CAROLUS V.

Imperator.

DUX STYRIÆ XVI.

DEgebat in Hiſpania Carolus, cùm avi morte amplas ad Orientem plagas Occidenti ſuo conjunctas, & delatum eodem adhuc Anno XXVIII. Junii ab Electoribus Imperium intelligeret; nec ante annum ſecutum, quo Aquisgrani XXIII. Octobris coronandus erat, in Germaniam trajecit. In Belgio Ferdinandus agebat. Hæreditatis amplitudo, utriusque longiùs ſejuncti abſentia curas Caroli intendebat, nè quid Respublica eo interregno detrimenti caperet. Et reverà turbabant non mediocriter Auſtriaci, innovato, contrà quàm Maximilianus vetuiſſet, Magiſtratu. Ea res cumprimis impulit, ut fidem à Civibus exigere maturarent. Quoniam verò neutri per ſe adire Provincias vacabat, admoniti ſunt amborum nomine Auſtriæ Ordines, coram Legatis obſequium ad diem XX. Januarii Anno MDXX. profiterentur. Cum iisdem mandatis ad Styros nomina Legatorum perlata: Fuere ii Caſimirus, Marchio Brandeburgicus, Joannes Jacobus Baro de Mörſperg, & Beffort Alſatiæ Inferioris Præfectus, Georgius Dapifer de Waltpurg, Simon de Pfiert. *Carolus Legatos in Styriam deſtinat.*

Interea & ad Carolum à Provinciis decem Proceres expediti; è Styria legationem obiere Sigismundus Eques Herberſteinius, & Joannes Hoffmannus de Gruenbichl. Conſcenſo Neapoli navigio tertiâ Novembris Barcinonem tenuere. Intellecto è Nunciis adventu, ii, quos Cæſar deſignârat, obviam venientibus progreſſi in aulam deduxerunt, ſextâ Novembris ad principis alloquium admiſſi, octavâ in arcano ſenatu, quem dari ſibi ante biduum exorârant, poſtulata Provinciæ, & Legationis ſummam expoſuere. Hæc, utì narravimus, Legati XIX. Novembris in Styriam perſcripſerunt, ceteráque legationis acta perſecuti ſignificârunt. Ad XXV. Novembris reſponſum præſtolatos, multa cum Cæſaris Cancellario pertractâſſe, non citiùs tamen, nec aliud, quàm, quod literis ſuis incluſiſſent, impetrare potuiſſe: parare jam in Provinciam reditum, & ante Naſcentis Domini feſta citra dubium vela facturos. Reſponſum porrò à Carolo latino *Styrorum ad Carolum in Hiſpaniam legatio.*

idiomate redditum ejusmodi erat: gratum sibi Legatorum adventum accidisse; edoctum ab iis perspicuè, quæ à Divi Maximiliani avi sui obitu comitiis, præsertim Muræpontanis decreta. Non esse quidem, cur ea fine optimo, fidéque integra acta dubitet; verùm supremi Senatus ab Avo suo instituti authoritatem infringi, à regimine excludi non oportuisse; his jura regalia, Principum bona curare incubuisse; majorem in modum sibi displicere, quòd eam potestatem à Præfectis Provinciarum usurpatam intelligat, quæstionem se, ubi in Provincias transire licuerit, ulteriùs eo de negotio habiturum. Quoniam verò ad anni alterius Ver in Hispania resistere cogeretur, nec Ferdinando excedere Belgio integrum esset, Magistratum ab se constitutum, qui suprema potestate Provinciis universis præesset, sacramentum ab Ordinibus dicendum aut ipse exciperet, aut alium in id muneris subrogaret. Legatis bonâ Cæsaris veniâ discedere licere; reversi in Provinciam ordines reverentiæ adversùs eum, quem dixisset Magistratum, commonerent, à quo vetera sua jura integra, illæsáque servanda nè dubitarent; si quid tamen ab iis perperam decerni contingeret, ab se omni studio, & prolixa voluntate emendatum iri. Denique, cum Legati haud dubiè tempori in Styria adfuturi non essent, responsum hoc Principis cum reliquis mandatis celeri tabellioni perferendum committerent.

Comitia Græcii.

Hæc in comitiis, ad quæ, ùt jussi erant, vigesima Januarii Proceres affluxere, cum Legatorum literis recitata, non mediocrem solicitudinem animi injecere, nè fors ordinum finem in dubium Princeps vocâsset. Eadem die, eodémque in consessu, qui interea Rempublicam procurabant, Magistratum abdicârunt, atque, si quid minus è re Provinciæ egisse viderentur, redargui, factorúmque rationem exigi petiêre. Is porrò his ferè capitibus constabat. Præfecturam Sigismundus Baro Dietrichsteinius gesserat: in partem curarum venire jussi Leonardus Harrachius Prætor Styriæ Petovio Præfectus, Georgius Herbersteinius Eques, Balthasar Gleinizerus Vice-Dominus Leibnizensis, Christophorus Rachnizius Præfectus Voitspergensis, Wolfgangus Sauravius, & Mathias Harrerus Consul Græcensis. Si quod gravioris momenti negotium tractandum occurreret, in consilium præterea adhibebantur Christophorus Episcopus & Princeps Labacensis, Seccoviensis Ecclesiæ Administrator, Valentinus, & Joannes, ille ad Sancti Lamberti, hic Runæ Abbates, Georgius Comes Montefortius, Eberhardus Dominus Polheimius, Casparus Dominus Stubenbergius, Joannes Reichenburgius Rainensis Præfectus, Wilhelmus Schrottius, Rupertus Welzerus, Erasmus Sauravius Styriæ Mareschallus, Thomas Mosheimius, Christophorus

Magistratus interregni tempore.

rus Mindorffius, Bernardus Stadlerus, Ladislaus Rattmanſtorffius, Achatius Schrottius, Georgius Triebeneckius, Bernardus Teuffenbachius, & Bernardus Herzenkrafftius. Hi omnes tantiſper curiâ egredi juſſi, mox revocati, ab univerſo Senatu benè fidelitérque geſtæ Reipublicæ teſtimonium, laudémque abſtulere.

Secutis diebus cetera, quæ ex uſu videbantur, decreta. XXIV. Januarii demum Legatos Cæſareos, quos, nè ad præſcriptam diem adeſſent, viarum, & tempeſtatis aſperitas hucusque remorabatur, appropinquare urbi nunciatum. Venturis obviam proceſſit Sigismundus Dietrichſteinius ſupremus Præſes cum Labacenſi Antiſtite, Lambertino Abbate, Georgio Comite Montfortio, Georgio Stubenbergio, Georgio Herberſteinio, Philippo Trautmanſtorffio, Chriſtophoro Rachnizio, Wolffgango Sauravio, Achatio Mötnizio, Bernardo Teuffenbachio, aliorúmque comitatu, & tercentorum equitum turmâ ſtipatus. Caſimirum verò, præter eos, quos diximus, Dux Luneburgicus, Wirtenbergicus, & cum Hennebergico frequens Comitum, Nobiliúmque corona aſſectabatur. Ubi arcem Goëſtingenſem jam prætergreſſi in conſpectum venêre, Sigismundus eleganti oratione ſalutationis officia complexus ajebat, optâſſe ſe quidem, ut coràm Principes intueri licuiſſet, tantæ tamen legationis aſpectu non poſſe non vota ſua fruſtrata æquo animo ferre, daturum ſe ceteróſque operam, ut nihil obſequiorum, fidéique deſiderent. His Mörſpergius pro Legatis Orator paria verborum officia reddidit, hanc in ſe Ordinum benevolentiam non ſegniter Cæſari, Fratríque ejus dilaudaturos pollicitus. Hinc iter inter amicas confabulationes proſecuti, inclinato jam in noctem die urbem ſubierunt. Ponè mœnia octingentorum peditum Legio, quos in id munus Senatus Græcenſis conduxerat, opperiebatur, ſplendidum numeroſi comitatûs auctarium per urbem futuri. Pars præibat, pars ſequebatur, gradu omnes compoſito, comptísque ſignis inſtructi. Longus funalium ordo progredientibus immiſtus in multam noctem diem extraxerat. Forum inſuper, & plateæ, per quas ad hoſpitium Legati proceſſerant, feſtivis lucernarum ignibus collucebant.

Legatorum ingreſſus.

Altera itidem dies comitialis erat. Miſſi ad Legatos Valentinus Abbas, Georgius Monteſortius, Caſparus Stubenbergius, Joannes Reichenburgius, Georgius Herberſteinius, Ladislaus Rattmanſtorffius, & Wolffgangus Sauravius, qui verba faciente Wilhelmo Schrottio congregatos Ordines nunciarent, tempúsq; quo in Senatum accedere ipſis luberet, exquirerent. Cùm ſe continuò adfore reſpondiſſent, eorundem, & equitum comitivâ cincti in Curiam devehuntur. Ad limen Supremus Præfectus,

Comitia altera.

& Labacensis Antistes salutationis officiis functi, in Comitia inducunt. Considentibus loco principe Legatis subsellia ad utrumque latus Hospites occupabant. Circumstantes Proceres Waltburgius allocutus, adventûs primùm causam exposuit; ab his quinæ Principum, & Magistratûs tabulæ lectæ, tenor singularum sequens erat: primis Barcinone IV. Octobris MDXIX. editis, Carolus Cæsar supremum per Provincias hæreditarias Magistratum instituit. Alteras hic Magistratus VII. Januarij loco non expresso dabat, quibus collatam ab se in Casimirum, ceterósque Legatorum authoritatem testabatur. Tertiis Ferdinandus Archidux Augusto Fratri erigendi ejusmodi tribunalis utriusque nomine potestatem fecit. Eæ Bruxellis XII. Julij signatæ. Aliæ à Carolo Barcinone XXVI. Julij exaratæ, nominato Magistratui jus exigendi à Provinciis jurisjurandi sive per se, sive per alios tribuebant. Quæ verò à Cæsare eodem loco IV. Octobris scriptæ, id à Styria præstari XX. Januarii jubebant. Postremæ instructionem mandatáque Legatis à Magistratu data continebant. His præterea absentiam suam excusabat, non vacare sibi scilicet per molem negotiorum singulas Provincias obire. Operâ præterea Legatorum se uti coactum, quòd Carolus eodem die omnes Provinciarum Ordines Sacramento rogari jussisset. His porrò à Cæsare disertè injunctum, nè à privilegiorum Styriæ formula vel latum unguem recederent.

Excepit Waltburgii sermonem Labacensis Episcopus, in potestate fore Ordines Styriæ testatus, siquidem nihil adversùm immunitates actum iri confidat; petere tamen pro recepto more, ut Styriæ Præses, Prætor, ceterísque emolumentis Principum speciatim jurati ea lege solvantur, nè metu quodam religionis constricti in iis, quæ è Provinciæ commodis judicârint, minùs liberè sententiam cum ceteris dicere audeant. Annuerunt Legati, domúmque eâdem, qua venêre, comitivâ repetierunt. Communi dein suffragio ii viginti quatuor, quos supremo Præsidi adjunctos memoravimus, lecti, jussique, dispicerent, qua parte privilegiis imminere periculum posse videretur, certáque capita, quibus caveri opus esse putârint, in tabulas referrent; & relata hæc sunt: Veteri jure Styriæ Ordines in nomen Principis sacramentum adigi non posse, nisi ipse comitiis præsens, immunitatibus Provinciæ nunquam incommodaturum se antè jurârit, idque ad eam diem à singulis Ducibus observatum; Nolle se quidem his anxiè inhærere, probè sibi notum Augustum Cæsarem, Fratrémque Sereniſſimum, quò minùs adessent, amplioribus curis præpediri; se verò in Clementissimos Principes eâ reverentiâ ferri, ùt non gravatè Vicarios etiam præter morem admittant;

Ordinum conditiones Legatis propositæ.

esse

esse tamen, quæ vicissim à Legatis præstari oporteat. Primò: jusjurandum, quale Duces solerent, ipsi priores dicerent. Secundò: id ab se amborum Principum nomine dictum, non ipsi duntaxat literis fateantur; sed & uterque Princeps ratum agnoscat. Testes rei tabulas signo Cæsaris, Ducísque munitas ante Divi Martini diem se impetraturos Legati polliceantur. Tertiò: tum Principes, tum Legati peculiaribus quisque literis declarent, Ordines nulla legis, jurísve necessitate adactos, sponte, volentésque, insuper habita vetere immunitate, coram Legatis fidem absentibus Ducibus obstrinxisse, nec id deinceps Provinciæ juribus fraudi fore. Quartò: cautum quidem esse, nè privilegiorum confirmatio ultra bimestre differretur; contentos tamen fore, si ea ante Divi Georgii festum à supremo tribunali, à Ducibus ante Divi Martini afferrentur. Eodem tempore ab iisdem tabulæ mittantur, queis, nisi ipsi in Provinciam accesserint, spondeant, de clientelaribus Ordinum possessionibus nihil immutatum, instauratúmque iri; quæ ut obtineantur, Legati se curaturos recipiant. Literarum paulò antè lectarum exempla, antequam Ordines sacramentum dicerent, traderentur, dein verò autographa ipsa Tabulario Provinciæ posthac asservanda inferantur.

His ritè transactis constitutísque die Dominica, Januarii postremâ, pro Maximiliano Cæsare parentalia sacra obiere. Kalendis Februarii unâ ante meridiem horâ denuò in Curiam, inde in aulam itum est; in quam moniti à Valentino Abbate, ceterísque, quos nuper missos recensuimus, deductíque horâ tertiâ Legati concesserunt. Prior prolocutus è solio Waltburgius in eandem sententiam, qua in curia, disserebat. Responsum breviter usitatis verbis à supremo Styriæ Præside, tum prælecta ab eodem Legatis, à Waltburgio ordinibus formula; in quam cùm utrique jurâssent, Waltburgius gratiis Ordinibus dictis, Præsidem, Prætorémque eodem, quo nuper exempti erant, sacramento iterum teneri pronunciavit. *Ordines fidem jurant.*

Sed literæ ex Hispaniis allatæ adhuc solicitos habebant. Eapropter supremus Styriæ Præses nondum conventum dissolvi passus, hac oratione ad Legatos innocentiam tuebatur: non potuisse se, Ordinésque acerbiori fulmine, ac quod nuperis literis Augustissimus Cæsar vibrâsset, percelli: in iis non obscura offensorum Principum indicia legi. Malevolorum nempè criminationibus se in suspicionem adductos, ut qui interregni tempore mala fide rempublicam tractâssent, clandestinum fœdus agitârint, Senatûs Vicarii authoritatem elevare, aut extinguere contendérint; in ærarium Principis violentis manibus involârint; quæ quidem si benignè audiretur, sic amoliturum se speret, ut scru- *Supremi Styriæ Præfecti Oratio.*

puli nihil in cujusquam animo deinceps insideat; acta postmodum post Maximiliani mortem ennarrare sic orsus: se ab Augusto Cæsare, quà Lincii, quà Welsii agente, ternis literis in aulam accersitum, in iter se dedisse, ad arcem suam Vinckensteinam ex obviis sibi Nunciis acerbissimum Optimi Cæsaris funus intellexisse: eo in rerum articulo, nihil ab se consultius fieri posse putâsse, quàm si continuò Græcium iter reflecteret, ubi coacta Imperatoris jussu comitia tum habebantur, communicatóque cum Proceribus consilio decerneret, quæ ad incolumitatem Reipublicæ, conservandam Principis integram, salvámq; hæreditatem pertinere viderentur. Omnium porrò suffragiis Præfecturam sibi ad hoc tempus prorogatam, permissum suo arbitrio consiliariorum delectum; jussúmque præcipuè prospicere, nequa damna imminens in fine bellum à Turca Provinciis daret. Adductum se quidem Provincialium precibus honorem admisisse; ex eorum tamen numero ad tractanda negotia adsciviſſe, quos antè Principibus à consiliis fuisse meminerat; quin secundis Comitiis petiisse, impetrâsséque, ut alios quatuor supra viginti adhibere liceret, qui de gravioris momenti negotiis secum arbitrarentur. Eodem porrò conventu è Proceribus designatos quosdam, qui cum reliquarum Provinciarum Legatis ad libelli Oenipontani ab Augusto dictati præscriptum in commune conferrent, de mittendis ad Principes Legatis statuerent, avertendis belli periculis, stabiliendæ paci opportuna media suggererent: acta verò omnia, cum veteri, qui Neostadii agebat, senatu communicata.

Suprema Principum jura nec à se, nec ab aliis delibata, his argumentis tuebatur. In clientelam neminem ab Ordinibus receptum, in nullum gladio, aut pœnâ capitis hactenus animadversum, tercentum oneratos vinculis adhuc carceribus detineri; non exercitum, non venandi jura attrectâsse. Confirmatam sibi quidem paulò post Maximiliani obitum ab Augusto Carolo dignitatem, nihilo tamen seciùs justitium servâsse, nec forum, nisi propiora mandata afferrentur, aperire decrevisse; quòd ærarium Principis, ejúsque procuratores ab se tuendos putârint; inde enim verò laudem potiùs sperâsse, quàm offensam metuisse: id duntaxat sibi fuisse propositum, ut plurium curâ opes Ducum custodirentur; nihil ejus pecuniæ in usus Provinciæ aversum: Ministrorum stipendia inde extracta sexcentis, & quinquaginta Rhenensibus definiri; si malè impensi viderentur, & hos momento redhibendos. Quòd verò veteris tribunalis authoritatem antiquare tentâssent, ejus machinationis nemini uni in mentem venisse, nisi ipse solus ejus criminis reus agatur, qui non sinè discrimine, alia ejus senatûs mandata receperit, rejecerit alia.

At

At meminiſſe ſe peculiaribus Auguſti literis procurationem Styriæ ſibi demandatam, juſſúmque Provincialium, & veterum Conſiliariorum operâ uti: nè veſtigium quidem in iis deprehendi, unde Styriæ Præfectum dicti tribunalis authoritati quis ſubjectum conjiciat. Eſſe præterea ad manus ſcriptas ab eodem Senatu literas, queis teſtatum faciunt, quidquid demum jactarent Auſtriaci, nunquam tamen adversùs ſe quidpiam machinatos Styriæ Ordines, aut aliorum machinationes probâſſe. His dictis Quatuor-Viros obteſtabatur, quandoquidem relata ab ſe veriſſima, cur dubitarent, non eſſet, nè iniquis poſthac delationibus aures præberent, ſatageréntque, penitus Principibus, & ſupremo Magiſtratui perſuadere, Ordines palmari calumniâ læſos nunquam obſequii curam, nunquam fidelitatis ſtudium Provincialibus defuiſſe.

Probari ſibi ſocíſque dicta repoſuit Waltburgius, ſcripto tradi poſtulans Principibus, & Magiſtratui exhibenda. Ab his ſacrum Ambroſii carmen in Baſilica Divi Ægidii cantatum. Seriis epulæ, & choreæ à Provinciæ Præfecto magnifico apparatu in aula inſtructæ ſucceſsêre. Legati ſplendidis lautiis donati, quo tempore urbe exceſſerint, acta, unde hæc mutuati ſumus, non meminêre. Cetera, quæ pro libertate Germaniæ, Majeſtate Imperii, incolumitate religionis, ſumma quæque Maximus Carolus patravit, quoniam dominatione Styriæ jam in Fratrem translata geſſerat, perſequi alienum à noſtro inſtituto cenſemus.

FERDINANDUS *Imperator.* DUX STYRIÆ XVII.

ANnus fortè, & unus altérve menſis, poſtquam Ordines in fidem CAROLUS recepiſſet, abierat, cùm ei, cui aliquando ceſſurus erat Imperium, Styriam cum reliquis Inferioris Auſtriæ Provinciis poſſidendas integro jure concederet. Imperium magnitudine propemodum ſua laborans, & rarus, quo Fratrem complectebatur, amor in id conſilium impulerunt. Anno itaque MDXXI. Styriæ dominationem capturus Græcium XXI. Julii FERDINANDUS ſubiit. Venienti obviam effuſi Nobiles ſuperbo præter morem luxu accepêre. Cetera ad veteris inſtituti normam peracta: Lectæ primùm in Comitiis Caroli tabulæ, queis integrum Provinciarum dominium Fratri addixerat. Tum ab Duce, & demum ab Ordinibus ſolenne jusjurandum verbis ritè conceptis, prolatum, ſed qua die, incertum. Immunitates Provinciæ à Duce ſua authoritate roboratas eodem anno, VI. Idus Octobres, reperio.

Ferdinandus Styriæ poſſeſſionem adit.

Sed Principem, Patre, Matre, alteróque avo Regibus, altero Cæſare editum, utì major fortuna debebatur, ità amplior expectabat. Quanquam non aliunde certiora, quàm ex unius FERDINANDI inſigni virtute ſecutæ felicitatis auguria capi potuerint, ùt qui ætate illa corruptiſſima, non ſolùm ipſe avitæ pietati, & religionibus fidem ſervârit; ſed totis viribus, etſi non omninò feliciter per Germaniam collabentem ſuſtentârit. Nec diu DEUS diſtulit pios Principis conatus duplici regno munerari; ad utrumque Uxor Anna Uladislai Regis Hungariæ, & Bohemiæ Filia, quam ſibi anno XXI. V. Maii deſponsârat, jus attulit; in poſſeſſionem verò funeſtiſſima Hungariæ clades immiſit, qua anno XXVI. Solymannus florentiſſimum Regnum penitus propè evertit. Poſtulârat Barbarus pacem ab Hungaris, veritus, nè, poſtquam Rhodum eripuiſſet Equitibus, metus totius Europæ potentiam in Ottomannos colligeret. Ludovicus Rex annum vigeſimum nondum egreſſus, uti juventæ calore præfervidus, ita temerariis conſiliis patens, ab iis denique abduci ſuſtinuit, qui rejicienda Turcarum poſtulata ſuaſiſſent. Efferatus eâ repulsâ Solymañus tercentum millibus Hungariam inundat. Jactâ ſemel non ſat prudenter aleâ,

curas


FERDINANDUS I.
Et Superat Priscum religione Numam. H. Balb.
Christ. Dietell sculpsit Gracy.



curas saltem ad bellum aptè gerendum Rex vertit, missis in omnem partem Nunciis auxiliarem militem sollicitans, Spiram, ubi tum pro Fratre FERDINANDUS in Comitiis curabat, Thomas Nadasdius expeditus; at præceps Tomoræus salubriter cœpta intempestivo ardore abrupit, invito, reluctantéque Rege viginti ferè (tantilla manus convenerat) millia in hostem ad Mohazium educit. Periêre omnes ceu devotæ morti victimæ. Regem equus ferro quidem hostium eripuit; sed infelici lapsu resupinatum in paludem, suffocatúmque tumulavit.

Defuncto sinè liberis Ludovico propinquior hæres Annâ sorore, FERDINANDI conjuge non supererat, quanquam non uxorio duntaxat nomine; sed è veterum pactorum legibus utrumque sceptrum FERDINANDUS reposcebat: cùm cautum semel atque iterum fuisset, nè à defunctis stirpis regiæ maribus ad alterum, quàm Austriacum ea deferretur. Bohemiæ quidem coronam nemine refragante Anno sequente XXIV. Februarii Pragæ obtinuit; impendiis haud paulò majoribus, & annorum plurium bello Hungaria constitit. Divisi in geminam factionem Ungari, pars in Joannem Zapoliam, seu Comitem Scepusiensem, Transylvaniæ Dominum ferebantur; Maria Vidua cum Stephano Bathorio Palatino, alisque Fratri FERDINANDO studebat. Præpotuêre initio Scepusienses partes, præsertim, cùm sacro diademate inaugurari impetrâsset, eo ferè tempore, quo eadem ex causa in Bohemia FERDINANDUS morabatur. Alterius Regni opibus jam aucto non admodùm difficile fuit alterum adjicere, & rivalem confirmata nondum potestate imperantem solio excutere. Simul ac ex Bohemia redierat, ad faciendum bellum in Hungaria se comparat, Joanne ad ejus famam adeò exterrito, ut nec Budæ mœnibus salutem suam credere auderet. Eâ sinè sanguine potitus FERDINANDUS, æmulum ad Tockainum (nam huc is confugerat) fundit, fugátque; ejecto extra fines hoste coronam sibi XXVIII. Octobris Anno MDXXVII. imponit. Sed vires Joannis, non itidem spem regnique desiderium accîderat, qui desperato à Patria præsidio, aulas Regum tum per se, tum per Legatos obit. Pontificis, Angli, Poloni, Galli opem implorat, iniquum usurpatorem FERDINANDUM criminatur; nullibi tamen præsidium, verba alibi, apud plerosq; risum, & cavillos auferebat. Ad Solymannum ergo semper malæ causæ patronum se applicat. Adeò abjectæ conditionis est animus, ut nullius mancipium esse erubescat, postquam ambitionis esse occœpit; in barbarorum servitutem concessurum, annuúmque tributum pollicitus: si regnum nempe precarium ejus ope indipiscatur. Nihil offerri Solymanno gratius potuit, omnem dudum Europam, dominandi libidine, complexo.

Coronam Bohemiæ obtinet.

Et Hungariæ.

Scepusien-sis Soly-mannum evocat.

Liberavit altero anno fidem Barbarus, ut majore fœnore subinde violaret. Budam ceu per otium subigit, etsi non sua virtute; sed fœdo Præsidiariorum flagitio, metu etenim, nè suffossum cuniculis castrum in auras ejiceretur, correpti seditiosis vocibus deditionem ab arcis Præfecto Thoma Nadasdio efflagitant, atque, ùt ingentis erat animi, spectatæque virtutis Tribunus, renitentem catenis constrictum carceri includunt; & demum nullo obturbante proditionem absolvunt. Neque tamen à Victore gratiam, quam sperabant, inière, vel Barbaris ipsis fœdam adeò hostis perfidiam magìs detestatis, quàm victoriam suam amantibus. Nadasdius certè à Solymanno multis laudibus cumulatus, libertatem virtute meruit. Retracti è via proditores, ignaviam supplicio capitis expiârunt. Ad Budæ cadentis famam omnis latè regio contremuit: Strigonium, vicinæque fluvio munitiones terrore magìs, quàm armis subactæ deditionem fecere. Post hæc nil jam veritus Solymannus monstrare, quam non amicorum commodis arma circumferre Turcæ consueverint, Danubio omni imperitans, castra ad Viennæ muros anno XXIX. sub exitum Septembris collocat. Si pauculos, qui in Hungaria, & per iter interierant, demas, bis centena millia urbem claudebant. Stationem Solymannus non procul à Divi Marci Fano fixit. Papilionum ordinem, formámque, hodiedum hortus, nova fabrica dictus, exhibet, quem Rudolphus II. multis turribus, ambulacris, sepimentis ornatum, in eam formam aptârat.

A quo Vienna obsidetur.

Numerus hostium sollicitudinem Viennensium juxtà, ac animos auxerat. Imbelli turba exesse jussa, eversísque, nè in rem suam hostes verterent, suburbiis, adversùs vim sese solerter obmuniunt. At instar omnium Gubernator urbis Philippus Rheni Palatinus erat, inusitatæ virtutis Dux, & tam insuetus vinci, quàm indocilis terreri. Solymannus sive, quòd properandi studio obsidionales machinas non adduxerit, sive quòd cuniculis majus ab se operæ pretium fieri posse speraret; his ferè unicè obsessos urgebat: Et verò cessit tandem feliciter id cæcæ oppugnationis genus, etsi aliàs toties à Præsidiariis elusum; ut, dum obsessi in assilientes alibi hostes pugnarent, repentè nudata muris terga, simul enisos per ruinas Turcas intra valla volitare conspicerent. Perierat urbs, nisi collapsis mœnibus animos exemplo suo Philippus sustentâsset. Rejecti ea die tanta clade Barbari, ut inviti postridie, & non nisi extremi supplicii à Solymanno intentato metu redierint. Verùm cùm denuo aversо, ut ajunt, Machomete pugnarent, nullis minis posthac emoveri se passi sunt. Ad hanc in metu obsti-nationem appropinquantis è Germania exercitûs fama accedebat, cujus partem Comitiis Spirensibus decretam Fridericus Palatinus aliam

aliam FERDINANDUS, ipséque Cæsar cum Fratre ductabant. Itaq; nec suorum virtuti jam fidere, nec horum vim expectare ausus, fugienti similis, obsidionem Solymannus deserit, barbara jactatione, qua metum nempe tegeret, se propediem cum majore exercitu adfuturum minatus. Non diuturna, acerrima tamen oppugnatio fuit. Intra dierum viginti spatium vicies integra acie assultum. Occubuere sexaginta Turcarum millia, quibus totidem captivorum Christianorum capitibus superstites belluæ parentârunt. Tanto sanguine Zapoliæ stetit, ut coronatus serviret. *Solvitur obsidio.*

Jusserat quidem illum reversus Budam Tyrannus Regalibus ornamentis initiari; Ludovicum Grittum tamen nefarium Apostatam addidit, cujus consiliis nî morem gereret, nomen etiam post potestatem Regis amitteret. Singulariter Grittus curare jussus, nè unquam Joanni cum FERDINANDO conveniret. Fortunæ fuit, quòd Grittus jam pœnæ maturus, cùm Emericum Cibacum Varadinensem Episcopum Transylvaniæ Gubernatorem dolo sustuliisset, ab ejusdem agnato non multò pòst perierit: Quo Dictatore liberatus Scepusiensis mox cum FERDINANDO hunc in modum transegit: ut Rex uterque appellaretur, retineret quisque, quod possidebat, à morte Joannis inferior etiam Hungaria ad Austriacos rediret. Pacem, etsi cum jactura quidem conjunctam, tantò lubentiùs amplexus est FERDINANDUS, quantò magìs Cæsar Fratrem urgebat, ut turbatæ tum à Luthero Germaniæ operam suam navaret: eúmque in finem postquam ipse Bononiæ à Clemente VII. anno XXX. Imperiali diademate ornatus fuisset, altero mox anno V. Januarii Coloniæ Regem Romanorum eligi, & Aquisgrani undecima ejusdem mensis Januarii coronari curârat. Unus Elector Saxo Joannes, ceteríque Protestantes non invitationem modò neglexerant; sed & Comitiis, electioníque obnunciabant: nec antè triennium, & certis conditionibus deliniti Regem agnituri. Hac dignitate in labores authoratus Germaniam obibat. Comitiis pro Fratre bellis nunquam non distento præsidebat. Nunc privatim alloqui, nunc alias ex aliis pacificationum formulas fingere, refingere, omnem machinam admovere, ut pacem Germaniæ jam Orthodoxum parcè sentientis, citra religionum avitarum injuriam redderet. Incredibile, quantum tædiorum optimo Principi devorandum, quantum molestiarum exhauriendum, atque, quod multò acerbissimum, gratia laboribus summâ fide susceptis reddita, quæ minimè debuit. Cùm, nè totum pessumiret, quæpiam injuriâ temporum coactus, Protestantibus admitteret; indulgentiorem hæreticis, faventémque criminabantur, ipsúmque adeò Pontificem, *Pax cum Scepusiensi.* *Ferdinandus Rex Romanorum eligitur.*

neſcio; qua diffidentiâ afflârunt. Ex hoc Euripo in alias iterum procellas Hungaria evocavit.

Regnum id Joannes à morte ſua FERDINANDO addixerat, ſenio confectus, liberorum expers, & viduus; at ſive ſuis, ſive aliorum ſtimulis incitatus, uxorem non multò pòſt ducens Iſabellam Sigismundi Poloniæ Regis filiam, Stephanum ex ea ſuſceperat, quem ſupremis tabulis hæredem ſcriptum in tutelam Pro-Regi Petro Vechio, & Joanni Martinuſio Varadinenſi Epiſcopo tradidit. Mortuo ſub Annum MDXL. marito Iſabella à FERDINANDO metuens tertium Tutorem Solymannum evocat. Et verò nec vanus is metus erat: FERDINANDUS quippe, præterquam quòd nulla conditione nuperna pacta ſibi eam quoque Regni partem tribuerent, permulti Procerum ad eam vindicandam invitabant. Tentata primùm promiſſis fœmina, oſtentatus pro filio Comitatus Scepuſienſis, cùm illa morarum cauſas alias ex aliis ſereret; Leonardus Felſius cum exercitu immiſſus Vicegradum, Vacium, Peſtinum, Belgradum ſubjugat, demum in Budam nuper fruſtra tentatam vires iterum convertit. Ei urbi cum filio in cunis adhuc coronato, Iſabella ſe incluſit. Deditionem jamjam parantem auxiliares Turcarum copiæ in libertatem, aut veriùs ſervitutem aſſeruere. Intellectâ ſuorum victoriâ, è veſtigio Solymannus advolat, immiſsísque intrà muros ſpecie luſtrandæ urbis, militibus, Reginam cum filio Lippam ſecedere jubet, Budámque Turciæ Hungaricæ metropolim conſtituit; eandem fortunam ſubinde Temesvarinum ſubiit: utriusque recuperatio ultra ſeculum, illius quidem in magni Leopoldi, hujus in gloriam Caroli non minoris filii reſervata. Senſit jam Iſabella regni cupidine antè inſaniens clientelam Turcarum nihil à mancipatu differre, cum FERDINANDO paciſcitur, traditísque Regni inſignibus Regem fatetur. Exacerbatus his tractatibus Solymannus ſeptuaginta millibus Agriam, irrito tamen conatu aſſilit.

Bellum alterum cum Solymanno.

Rebus malè adeò habentibus tum per Provincias delectus haberi FERDINANDUS imperat, tum celebrandis Spiræ, & Ratisbonæ Comitiis, ut bellum Ductore Brandeburgico, copiæque decernantur, evincit, nec contemnendum operæ pretium fieri poterat, ſi numero fervor reſpondiſſet. E Sola Styria quinque peditum, totidem equitum millia Joannes Ungnadius in eam expeditionem armârat. Cœpta Peſtini oppugnatio, paulò poſt omiſſa, & nè deinceps Solymanno via ad ulteriores victorias non pateret; Germani in ſuam quisque patriam remeârunt. Conventum ſubinde cum Iſabella, ut Tranſylvaniam cederet. Id quoque compendium celeritate ſua Turca diſcuſſit; duris adeò conditionibus octo annorum inducias exſculpere neceſſe Rex habuit.

Pax.

Quæ

Quæ cum Smalcaldici fœderis Principibus Joanne Friderico Saxone, & Philippo Hassо Carolum Cæsarem discordiæ commisere, nec bello vacuum esse Ferdinandum sivere. In prælio ad Muhlbergam juxta Albim, Ducis simul, ac militis munia ex æquo obivit. Cæso, captóque Saxone mox victorem exercitum ab arena in Bohemiam traduxit. Offenderant ii Regem, quòd, nescio, cujus religione fœderis obtenta, arma sociare in Saxonem recusârint. Proniora, quàm sperabat, omnia, & supplices ad apertas Pragæ portas cives reperit. Sumpto de authoribus capitali supplicio, id pœnæ repetitum à ceteris, ut fœditate flagitii tantò ampliùs cruciarentur, quantò luculentiùs è prompta venia agnoscerent, quàm in Clementem Principem peccâssent: Néve deinceps aut irritamenta, aut præsidia seditiosis ad manus essent, privilegiorum quorundam, fœderúmque tabulas concerpi, abduci instrumenta bellica in arcem mandat. *Pugna ad Muhlbergam.*

Hic quidem recentis victoriæ fructus fuit; sed quæ postmodum in captivitatem penè victorem cum Fratre dedit, id quod hac ratione accidit. Capto eâ pugnâ Duce Saxoniæ, impar jam Philippus Hassus ultrò in potestatem se Cæsaris dedit, quem spe sua falsum, carcerísque addictum, Carolus, ut dimitteret, nullis Principum precibus adduci potuit; eam repulsam suam injuriam Mauritius Elector Saxoniæ ducebat, ùt qui deditionis author socio extiterit. Vindictæ dudùm animo informatæ occasionem Magdeburgenses, repudiato famoso illo libello, *Interim* dicto, Anno LII. obtulere: in hos siquidem Mauritius ducere jussus, versis repentè signis Augustam invadit, magnísque itineribus in Tyrolim illatus, ad Oenipontem, ubi tum Cæsar cum Fratre de pace consultabat, adeò improvisus adstitit, ut ægrè ambo se se noctis beneficio per alpes Villacum in Carinthia ejicerent. Pacem etiam iniquitas temporum Carolo extorsit. A loco, quo primùm Anno LII. agitari cœpta, Passavienſis appellata, stabilita demum triennio pòst in Augustanis Comitiis, vulgatáque VII. Kalendas Octobres fuit. Aliquam eâ quidem quietem Germaniæ Ferdinandus procurârat; at simul implacabilem Pontificis iram in se concitavit, ægrè ferentis, religionis negotia tractâsse Principem, Augustanæ confessioni indultam libertatem, Ecclesiasticorum bonorum, quæ ante eam pacificationem usurpâssent, possessionem heterodoxis firmatam. *In Tyroli penè capitur Ferdinandus à Mauritio.* *Pax Passavienſis.*

Ipsum porrò hunc annum prodigiosæ virtutis exemplo Carolus Cæsar illustravit, in Fratrem Imperio, ceteris titulis in Filium translatis. Abdicationis tabulas VII. Idus Septembris Zeburgi in Zelandia scriptas per Guilielmum Nassovium Arausicanum Principem, Sigismundum Seldium, & Wolffgangum Hal- *Abdicationem Caroli non pro-*

bant Electores initio. lerum ad ſeptemviros miſerat, ſed quæ nec his, multóque minùs Pontifici probabantur, FERDINANDO tamen non admodùm commoto; acquievere tamen Electores Francofurti ad Mœnum ejus voluntati Anno L. XXIV. Februarii, & pridie Idus Martii Imperatorem FERDINANDUM ſalutârunt. At Paulus IV. Pontifex inexpugnabili decreto aures petitioni ejusmodi obſtruxerat, abdicationem juxta Caroli, & Fratris electionem irritam in Cardinalium Collegio pronunciârat: nec Pontifex à cœpto ſemel propoſito receſſit; eſque Anno LIX. XV. Kalendas Septembris immortuus, proniori in Cæſaris poſtulata Pio IV. cauſam terminandam reliquit.

Nec Pontifex.

Conſopitis, ùt licuit, Germaniæ turbis, cùm ſe FERDINANDUS ſenio, curſsque exhauſtum haud exitu procul abeſſe cerneret, in id incubuit, nè à morte ſua ſciſſa Ordinum ſtudia in novas procellas Imperium ſurriperent, quod conſecuturum non aliter ſe ſperabat, quàm ſi vivus etiamnum ſucceſſorem conſpiceret. Et evicit: nam Anno LXII. XX. Septembris Filium Maximilianum Pragæ Bohemi, pridie Kalendas Decembres Germani Francofurti, altero Anno VI. Idus Septembris Poſonii Hungari Regem ſuum coronârunt. Hujus voti damnatus vitæ, immensísque laboribus finem, febri non diuturna conſumptus, Viennæ impoſuit, anno ſeculi LXIV. VIII. Kalendas Sextiles. Defunctum Bohemi XX. Auguſti ſummo honore Regum tumulo Pragæ intulere. Præſagiiſſe mortis tempus viſus: nam periculi imminentis admonitus conſtanter negabat ante Divi Jacobi diem, poſtremam aſſuturam. Inſignem Maximiliani Avi demiſſionem imitatus etiam auxerat, cùm poſtremis vitæ diebus à nemine alio nomine, quàm FERDINANDI appellari tulerit. Graſſante latè per eam ætatem morum licentia, & proculcata paſſim pietate adeò ipſe vitæ innocentiam in ſe tuitus credebatur, ut eam toto vitæ tempore nulla graviori noxâ inquinârit. Qui orthodoxæ religionis negotia curâſſe frigidiùs, aut non ſat fideliter promoviſſe criminabantur; aut ex iis fuere, qui impietatis genus exiſtimant, membri jacturâ corporis ſalutem redimere, aut ſanè à calumniæ nota non ſe ſatis expedient. Si, quantis laboribus, impendiis, periculis inſtaurandam, conſervandámque ſuſceperit? oggeras; pauca delibabimus. Paſſavienſem Pacem non rejecit; at largiter illacrymatus Principum optimus ſubſcripſit, quòd eò jam Novatorum vires excreverint, ut religionum veterum integritas, niſi ſuis damnis jam ali, conſervarique non poſſet. Non inutiles Societatis JESU conatus adversùm ſcelera & hæreſes (ſit hæc beneficii memoria, etſi multùm impar; hoſtimenti tamen ſpecies quædam beneficentiſſimo Cæſari) audierat: mox anno LI. Viennam mitti à D. Igna-

Maximilianus Filius Rex Bohemiæ, Romanorū, Hungariæ creatur.

Mors Ferdinandi.

Virtutes.

Ignatio poſtulavit, tum animos ſacris, tum ingenia ſcientiis procuraturos. Triennio ferè in Divi Dominici Cœnobio commoratos ad Carmelitarum ædem, nunc Domum Profeſſorum dictam deduxit. Pragæ Collegium cum Academia erexit; eadem in urbe Archi-Epiſcopatum ſeculo ampliùs ſepultum auctis cenſibus ſuſcitavit; aperiendis Boleslaviæ ſcholis de ſuo ærario ſumptus deſignavit. De amore Juſtitiæ ſatìs ſit dixiſſe: ſinè adulatione Juſtum audiiſſe, & citra jactationem familiari eo lemmate uſum: Fiat Juſtitia, aut pereat Mundus. Ars conciliandi animos, qua mirè valebat, alia quàm candor animi, & placidiſſimi mores non fuere. In FERDINANDI Avi gratiam adeò ſe inſinuâſſe memorant; ut confectis Burgenſi in urbe tabulis Hæredem dixerit; quas tamen mutârit veritus, nè aut æmulatio Fratres collideret, aut è juventute Principis Proceres anſam turbandi arriperent.

Annam uxorem, quam unicam habuit, Anno MDXLVII. VI. Kalendas Septembres ex infelici partu amiſit, & Pragæ condidit. Quindecim, quos ex ea ſuſtulit, liberorum nomina fuere. *Liberi.* Maximilianus Anno XLVII. editus, dictus II. Cæſar. Ferdinandus Tyrolis Dominus, Carolus Styriæ Dux à Patre renunciatus. Eliſabetha Sigismundo Regi Poloniæ, Anna Alberto V. Bavaro, Maria Wilhelmo Juliacenſi, Barbara Alphonſo II. Ferrarienſi Duci, Joanna Franciſco Florentino, Eleonora Wilhelmo Mantuano, Catharina Franciſco itidem Mantuano, dein Sigismundo Auguſto Polono uxores datæ. Magdalena, & Helena Hallæ Sanctioris vitæ inſtitutum amplexæ, quarum veſtigia ſecuta Margareta. Joannes, & Urſula è cunis ferè ad tumulum tranſierunt.

HISTORIÆ DUCUM STYRIÆ

PARS TERTIA.



Ut Deus accedat, Cœlo Templisque colatur
Tu facies natique Tui. Ovid.

Christ. Dietell sculpsit Graecii.



CAROLUS II.
DUX STYRIÆ XVIII.

Peris hujusce noſtri tertiam partem auſpicari lubet ab CAROLO Duce, qui hoc nomine Styriam rexit, ſecundo, multarum, magnarúmque virtutum Principe: tum quòd, quos Imperium Romanum deinceps habuit, & habiturum porrò, quæ nos ſpes tenet, ſemper eſt, Cæſares CAROLO uni tanquam ſtirpis hujus tertio conditori, atque parenti, magnâ Styriæ noſtræ gloriâ, debet; tum quòd hoc noſtræ adversùs principem de univerſo ordine noſtro optimè meritum pietatis, & grati animi publicum monumentum, quando aliud non poſſumus, extare æquum duximus. Filiorum trium, quos Ferdinandus Cæſar ex Anna Uladislai Hungariæ, Bohemiæque Regis filia ſuſtulit, quíque virilem attigere ætatem, poſtremus fuit. Parens cùm propinquantem mortem longè animo antè proſpiceret, Maximiliano Imperij ſucceſſore ſumma principum omnium voluntate dicto, Ferdinando filiorum alteri Tyrolim, & quæ ad Rhenum ſunt, Auſtriacas ditiones: CAROLO Styriam Carnioliæ junctam atque Carinthiæ, Comitatum item Goritienſem, ceterásque Adriatico adjacentes mari Provincias addixit. Hoc poſtremum operum Ferdinando fuit, non multò inde pòſt vitâ functo. Hæreditatem paternam ut cerneret CAROLUS, Græcium profectus ordines omnes obſequentes habuit, jurejurando adſtricta fide. Hæc ad XII. Kalendas Apriles anni MDLXIV. acta ſunt; idem ſubinde & ab aliis Provinciis factum. Erat ætas illi tum vivida inprimis, atque florens (nondum ultra annum XXXIV, vivendo proceſſerat) longè ſupra ætatem virtus: indoles mentis læta, & quæ ſpem affirmaret maximarum rerum minimè dubiam. Ad hæc acceſſit prudentia, uſu rerum non longo illo quidem, ſed

Carolus fit Styriæ Dux.

frequenti edocta. Adoleſcenti præcipuas Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæque aulas luſtranti Philippus II. Hiſpaniarum Rex acerrimo ingenio Princeps tantum tribuerat, ut jam tum altiſſimè ſe in illius animum penetrârit. Reducem Auguſtus Parens Regnorum, Provinciarúmque Auſtriacarum comitiis non ſemel præeſſe juſſit, unóque antea, quàm Styriæ ſuſcepiſſet faſces, anno Poſonij adfuit ingenti Procerum ex omni Carinthia, Carnioliáque affluentium ſtipatus comitatu, quando Maximiliano fratri jam Romanorum, Bohemiæque Regi tertia quoque Hungariæ Regni corona adjecta eſt.

Styriæ infelix ſtatus.

His tot ornamentis clarus ad Reipublicæ moderanda gubernacula Princeps acceſſit, dignus planè, qui ditionum plurimarum tam amplo dominatu gauderet. Sed erat Styriæ per id tempus afflictæ, ac nimio plus dehiſcentis ſtatus miſer imprimis, atque infelix: turbarum cauſa, quæ nunquam non ſolet, hæreſis, quæ vicinis quibusdam in exitium impulſis regionibus, etiam in Styriam ſe noſtram infuderat. Juvat mali, quod ingentibus ſubinde curis mentem Principis Optimi fatigavit, initia, progreſſus paulò altiùs repetere, narratione deſumpta è fidiſſimis commentariis Georgij Stobæi Præſulis Lavantinenſis, qui geſtarum rerum magna pars ipſe fuit. Chriſtianorum ſacrorum religio, quam multis retrò ætatibus Styria ſuſceperat, ad Lutherum usque inviolata ſibi conſtitit; & conſtitura deinceps erat, ſi per hunc licuiſſet. At enim ſparſis illis facibus, quibus plurima hauſta Regna, Germania penè univerſa conflagravit, pronum erat teterrimi ejus incendij ſcintillas quasdam & in Styriam inferri, Provinciam utì finitimam reliquis, ità mercimoniorum ſocietate junctam. Morum licentia, quàm dici poſſit, major: novandi effrænis libertas: abſentia deinde Principum, quos Imperij moles, & imminentes alibi Religioni haud paulò graviores clades intentos habebant: denique nonnullorum, à quibus exordia malorum oppreſſa opportebat, ſeu ignavia, ſeu intempeſtivus metus fecere, ut incrementum paulatim acciperent novitia ſacra, & licere ſibi quisque exiſtimaret, quod tam multi, & palàm amplecterentur. Sed nihil erat Catholicæ rei infeſtum magis, & exitiabile, quàm quòd optimates non paucos, eorúmque, qui Reipublicæ gubernacula inter primos adminiſtrabant, animos illius peſtis contagio pertineret. Itaque triumphare jam luce palàm ſectæ auctores: qui vetuſtiſſimis ſacris addicti manerent, acerbè paſsim traduci, ac opprimi: ſpoliari ædes ſacræ, atque in profanos adhiberi cultus: eo planè res loco eſſe, quæ præſentis Principis opem depoſcerent. Ferdinandus Cæſar periculi magnitudinem edoctus ab iis, qui in fide perſtiterant, mox affuturum

rum se pollicetur. Interea gravi edicto Proceres cohibet, nè quid ultrà novatum irent. Atque ùt incensò Divinæ promovendæ rei studio tenebatur, restincturus malum haud dubiè fuerat, nisi remedia parantem præmatura mors sustulisset.

Ergò ejus repressæ licentiæ gloria penès CAROLUM stetit, non paternarum magìs ditionum, quàm pietatis hæredem. Mirum est, quàm sibi ejus, ætate adhuc teneri, mentem homines illi boni adjungere, quibus artibus sentiendi quid vis libertatem eblandiri molirentur; quæ cùm minùs è sententia cederent, graviúsq; aliquid metuendum à Principe videretur, quippe qui, quàm sit aversò ab novatoribus animo, principio mox non obscuris indiciis palàm feciſſet, Provinciarum omnium ordines (jam enim potiores horum labes afflaverat) repulsuri vim, si qua fortè ingrueret, sancito inter se fœdere defensionem parant: simul etiam non se antea Principi fidem obligaturos decernunt, quàm de religionis libertate caviſſet. Nec verò timidè ista, & velut ex insidiis agitabantur, sed in luce, atque oculis omnium, quo terrorem latiùs spargerent. Adest interea dictus inaugurationi dies: hìc illi proferre dogmata sua; eadem ut authoritate Ducis stabilirentur, bene longo scripto deposcere; CAROLO id se facturum negante, acriùs etiam instare. Longiùs ire cœpit contentio, cùm indignatus Princeps leges sibi ab suis ferri, & jam diuturnioris altercationis impatiens severa fronte: quæ isthæc, malum! inquit, vestra est cunctatio inexpectata Proceres? debitam ut mihi Domino fidem jurejurando adstringatis, id nunc demum agimus: si quid novatum cupitis, ad eos referte, penès quos sacrarum rerum imperium esse non ignoratis ipsi. At me vestra ista, quæ adhibetis, terriculamenta nequaquam commovent, neque ab obfirmato in vetustis sacris impetraturi estis unquam, ut auctor vobis novarum religionum fiam. Tantum ea Principis vox constantiæ, & gravitatis plena ad præsentium animos valuit, ut sacramentum omnes dicerent. Ita jam obsequentes nactus Provinciarum optimates, ut Reipublicæ vulnera persanaret, legem scisçit: una deinceps avita culta religione nè quid novi ritûs inducere aliquis quispiam auderet: quæ ablata per vim dicatis DEO hominibus essent, restituerentur: Ministellis, quorum plena erant omnia, hominum generi ad ciendos populi motus nato, non modò Styriâ, sed universis Provinciis interdictum esset. Quibus nihil profectò neque sanctius, neque etiam futurum salubrius erat, si perinde ùt leges ferre, ità pronum foret perditorum hominum frænare licentiam. At enim, ut, quàm nihil timeret, testatum redderet CAROLUS, altero mox anno Truberum, nescio quem? versipellem hominem, è Catholicis castris ad Lutherana

Caroli constantia.

transfugam, & illis in regionibus impietatis magiſtrum, quòd ab erroribus diſſeminandis deſiſtere, etiam monitus, nollet, exilio mulctavit, peſtilentibus ejus igni addictis libris; etſi multos haberet, ùt illa erant tempora, & auctoritatis magnæ interceſſores. Neque adduci unquam potuit, ut quem illi ipſi triennio pòſt Ratisbonâ accerſiverant, præconem admitteret, ſæpius dicere auditus: Ullam ſibi vitæ quietam partem, niſi corruptoribus iſtis verbi divini, honeſtatísque profligatis, eſſe haud poſſe.

In Turcas bellum. Hæc cùm domi geruntur, forìs nihilo res quietiores fuere, Solymannus Turcarum Imperator, is qui circumlatis per Hungariam victricibus ſignis non ſemel Europam univerſam in metum dedit, exercitum robore non minùs præſtantem, quàm numero Sygetho admoverat, erátque metus, nè vaſtitatem per adjacentes provincias circumferret. Annus tum labebatur ſeculi ſextus, & ſexageſimus, quo tempore CAROLUS Dux Poſonij aberat, comitia, magna illic Hungarorum Procerum celebritate acta, Cæſaris Maximiliani nomine, atque auctoritate moderatus. Re intellecta continuò advolans collocatis intra Dravum, & Muram caſtris, partem exercitûs Florelio Baroni Turriano committit, qui Boſniam ferro, & igne popularetur: ipſe rapto in omnem partem milite ità hoſtium excurſiones frænat, ut provincias ſuas ab omni damno immunes præſtaret, fuſo etiam, fugatóque hoſtili millium aliquot equitatu. Neque ſegniùs res ab Ducibus geritur: Turrianus, Megiſero teſte, ad VI. Kalendas Octobres parva manu exercitum Turcarum, quem Boſnienſis Præfecturæ Gubernator ipſe ductârat, longè numero ſuperiorem profligat; cùm jam antè Chriſtophorus Ungnadius Slavoniæ imminentes hoſtes aggreſſus, quatuor eorum millibus cæſis, captísque, acie ſuperâſſet. Biennio pòſt ad Hiſpanienſem aulam ab Cæſare fratre legatus abſterſo, quem ex Iſabellæ conjugis morte Philippus Rex hauſerat, dolore, alteras cum Anna Imperatoris Maximiliani II. filia nuptias ſtabilivit: Belgio quoque procuraturus pacem, quod in mandatis habuerat, niſi longiùs jam proceſſiſſet malum, quàm ut medicinam admitteret; animi certè vigor, prudentiáque CAROLI ſingularis Cæſari æquè, ac Regi probata eſt.

Collegium Græcenſe condit. Sed ad domeſtica referamus gradum. Sancita nuper lege afflictis Catholicorum rebus poſſe ſe ferre opem credebat optimus Princeps; & futurum id ſanè fuerat, niſi opinionum novarum magiſtri, quòd ſe numero ſcirent, atque viribus præſtare, ferociores indies remedia in pejus vertiſſent. Itaque nihil propiùs aberat, quàm ut in præceps Catholica res iret, niſi Reipublicæ clavum princeps Auſtriacus teneret, illa videlicet gente ſatus, cui

nun-

nunquam non infra pietatem regna, atque imperia sunt. Græcium Regionis caput: quam propinqua oculis Ducis, tam à moribus aberat. In principe urbis templo divina res initio negligenter sàtis administrari; extincto pòst curione altum de re divina silentium, & solitudo, cùm pestilentia dogmata alibi passim de cathedris non perfunctoriè spargerentur. Græcio subinde in ceteras provinciæ partes malum manabat. Nihil tristius Carolo erat, quam habere eos adeò sui dissimiles, in quos dominatum teneret. Hæc agenti; solicitéque diu circumspectanti in mentem denique venit Societatis Jesu operâ uti. Ejus trigesimo antè anno conditæ non inutiles tum per Germaniam labores memorabantur, juventutis præsertim ad virtutem, & literas institutio; cujus fructus ad ceteras omnes ætates ùt plurimùm pertineret. Incensum alioquin Principis animum vehementiùs impulit Alberti Ducis Bojorum gravis cohortatio, nulla faciliùs re grassantem pestem cohibitum iri (quâ erat in ordinem nostrum benevolentiâ) affirmantis, atque si domicilia, quàm possint multa statuerentur. Accersiti jam antea Græcium nonnulli erant, qui pro concione ad populum dicerent. Excitari subinde cœptæ hominibus nostris ædes amplæ, urgente operàs, ac sumptus omnes munificentissimè præstante Duce. Etsi pestiferis per urbem, & illi adjacentes agros, vulgatis morbis, tantos tamen tam brevi tempore progressus fecêre, ut non sensim exædificata fabrica, sed repentè extitisse videri posset, jámque tertio supra septuagesimum anno, qui annus nobis Græcij natalis est, in eam, quæ Orienti obvertitur, partem socij duodecim numero immigrârint. Collegio eâdem Ducis auctoritate tertio decimo pòst anno, seculi sexto, & octogesimo Academia adjecta est, ut ex his veluti binis propugnaculis adversùs fidei hostes rem Catholicam tueremur. Cui quidem piissimæ Caroli Principis voluntati quàm eventus responderit, aliorum esto arbitrium; nobis ista commemorare hoc loco visum est, ut hanc qualem qualem Parenti, atque Principi optimo gratiam referremus, extarétque animi nostri testimonium publicum. At stationem hanc nostram adeò lætis ominibus à Carolo Duce cœptam Ferdinandus II. multis partibus auctiorem reddidit. Ceteri, qui deinceps consecuti sunt, Imperatores ad Carolum usque Monarcham, non modò solitâ suâ foverunt clementiâ, verùm etiam plurimis, maximísque beneficiis decorârunt. Porrò videant posteri, quibus initia, progressus, sua omnia debeant.

Rusticorum tumultus.

Subinde à rusticorum imbelli ceterà turba tumultuatum est. Februario mense tertij, & septuagesimi anni magno numero coacti (vicena ferè millia Megiseri annales habent) sumptis armis

fidem renunciant: eorum pars in Slavoniam impetum facere, pars Carnioliam, ceteri Styriam inferiorem populando incurſant. Seditionis hujusce cauſam non reperi; hæreſim fuiſſe ut credam, illorum temporum conditio facit. Etſi autem terroris plus, quàm detrimenti illatum eſt; non omnino tamen res periculo caruit: nam quòd multorum à Catholicis ſacris averſorum exulcerati aſſent adversùs Principem animi, metuendum erat, nè, ſi & ipſi conſilia, atque arma ſociarent, eò evaderet res, unde exitus, niſi anceps, non daretur. Celeritate opus erat, nè tantillâ morâ invaleſceret malum. Neque conſiliis defuit CAROLUS, ùt erat animo excelſo, & in arduos quoslibet caſus præſenti; celeriter inſtituto delectu miſſa militaris manus perduellium incompoſitas, & belli imperitas turmas Herberſteinio Duce profligat: capti tumultuum authores, in quos ſeverè animadverſum eſt, ut paucorum pœna ad ceterorum animos pertineret. Sic oppreſſa ſeditio, gravis alioquin futura, in quam ſe cunque partem fortuna daret, & exitiabilis.

Octavus ſupra ſeptuageſimum annus curarum, ſi quisquam alius, CAROLO ferax fuit. Præcipuus à Turcis metus erat, perpetuum illis temporibus malum. Latrocinantium magìs more, quàm juſto armorum certamine Provinciarum fines infeſtos aliàs habebant: modò bellum parare dicebantur, Croatiæ ſtragem illaturi. Auxere belli terrorem Styriæ, ceterarúmque Provinciarum optimates nonnulli Luthero addicti, opibus, clientelis potentes. Principio anni comitia Muræpontum indixerat Princeps, oppidum Styriæ Superioris haud inelegans, à præterfluente Mura cognominatum. Huc ubi frequentes adveniſſent, ſumma rerum tractandarum capita Dux (quoniam præſtò & ipſe aderat) ſcripta exhibet, ſimul verbis ampliſſimis hortatur: ad hæc ſola, quippe quæ præſentem Patriæ opem ſibi depoſcerent, aliarum rerum ad tempus ſepoſitis curis, mentem cogitationémque adverterent: una conſiliorum celeritate cladem anteverti poſſe. Hìc illi, quos antea dicebam, Proceres imperata ſe facturos, palàm recipere: clàm toti eſſe in ſtabilienda factione ſua, & nova fulcienda doctrina tempus exigere; immoderatiùs nempe ferebant Ducis in Catholica re tuenda conſtantiam, quæ niſi expugnaretur, nunquam ſe emerſuros haud difficilè intelligebant. Conſultationis hic demum exitus fuit: nequaquam poſſe ſe antè, quàm animorum, fideíque ſuæ ſecuritati conſultum eſſet, Patriæ commodis providere; ſi Auguſtanæ confeſſionis liberam ipſis poteſtatem faceret Princeps, tum denique obſequentes futuros ſe, ac proſpecturos, nè quid Respublica detrimenti acciperet. Ad hæc cùm breviter CAROLUS: poſtulata Ordinum nihil commune

Conventus Muræponti.

Res ibi geſtæ.

mune cum Reipublicæ rationibus, quæ una cœtus cogendi fuiſſet cauſa, habere; de religione aliàs actum iri, repoſuiſſet, etiam ex ipſis non deerant, quibus æqua Ducis reſponſio videretur. Ceteri in propoſito perſiſtebant. Itaque, ut ferè fit, non potiorum, ſed plurium ſententia valuit. Hìc verò dignam ſe vocem CAROLUS protulit; nam cùm ad concedendam religionum libertatem vehementiùs etiam, quàm Principis majeſtatem deceret, perurgeretur, gravi vultu, ac ſermone uſus, quàm ejus ferebat indoles, commotiore: itáne verò, inquit, veſtræ vos ſtudere conſcientiæ, meam ut ex adverſo conſcientiam noxâ omnium, quæ cogitari poſſunt, graviſſimâ aſtrictum eatis: neque animum ſubit, Patriæ me, acceptæque à Majoribus religionis eo ipſo momento proditorem fore, quo veſtræ vobis libertatem conceſſero? porrò quem ejus rei vel hoſti ſuo auctorem eſſe non pudeat? Ego verò ſuperos omnes mihi faventes precor, tantum ut à me ſcelus avertant. Catholicis ſacris à puero innutritus ſum; Fidem DEO juratam, cujus auſpiciis Chriſtianus orbis hactenus ſtetit, immensùm crevit Auguſta Auſtriæ Domus, non jacturæ, non cruciatus, non mors ipſa ex animo evellet meo, ídque adeò coràm profiteor. Vos nè deinceps ab invito contendite, quod indulgere religio vetat. Vicerat CAROLUS, ſi ratione agendum foret. Sed nihil æqui, bonique, quod impetrari ab obſtinatis poſſet, ſperandum erat; contrà querelis, & inſanis tumultuantium clamoribus perſtrepere omnia; paſſim de conventu ſolvendo, etſi nulla re acta, tractari: jámque audiebantur nonnullorum arma, & cædes minitantium haud obſcuræ voces. Imminebat præterea ab Turcis bellum, cui gerendo imparem ſe Dux, niſi ſubſidiaria Provincialium accepta ope (quam illi tamen negata dogmatum ſuorum libertate nunquam collatum à ſe iri palàm denunciaverant) non ignorabat. Ita cùm jam non aliter retineri in fide nobiles viderentur poſſe, néque devitari multitudinis irritatæ etiam ad Chriſtiani Nominis hoſtem (id quod non ſemel jactabatur) aperta defectio, cedere aliquantum inductus eſt. Græcium, & Judenburgum Styriæ, Carinthiæ Clagenfurtum, Labacum Carnioliæ, primi nominis civitates quatuor dictæ, in quibus Auguſtanæ Confeſſionis exercendæ poteſtas fieret.

Caroli pro Catholicis ſacris peroratio.

Reclamantibus Proceribus.

Ceterùm ut hæc extorta veriùs, Principi optimo fuiſſe, quàm admiſſa, planè omnes perſpicerent, ità temperata conceſſio eſt: ut nè ad aliarum urbium, oppidorúmque incolas pertineret, quibus videlicet nefas eſſet à vetuſtis ſacris deſciſcere; ſectatoribus Catholicæ pietatis nè quis gravis eſſe pergeret: neu ſe convitiis viciſſim laceſſerent; neminem denique unum ad ſuas partes traducere Miniſtelli auderent. Adverſa tamen pars ſatìs ma-

magnum operæ pretium etiam ſic videbatur ſibi feciſſe. Neque deerant, qui multo auro redemptam poteſtatem eam in vulgus jactarent. Hoc rumore deceptum affirmare haud dubito ſcriptorem non neminem, qui libertatem religionis Muræponti centenis aliquot emptam (extortam veriùs dicere debebat) florenûm Rhenenſium millibus memoriæ prodidit. Id, ut rear, facit Caroli vita ceterà inſons, ac ejusmodi labis expers, quando præſertim ex illorum temporum ſcriptoribus hujúsce rei auctorem habeo neminem. Ego, ſi quid pretio actum eſt, in aulicos potiùs diſperſum credidero, quibus non ſemper fidiſſimis Dux utebatur. Ad Græcenſes interea, incertum, quo auctore? rumor allabitur: Muræponti Catholicam rem in diſcrimine verſari; Heterodoxis non pauca conceſſa eſſe, quæ cum ejus emolumentis admodum malè congruerent. Hos ubi de ſe ſpargi ſermones Princeps accepit, continuò Præſules, ceterósque, qui Græcij eſſent, Catholicos de ſtatu rerum per literas edocet, amicè etiam queſtus, id ipſis de ſe in mentem venire unquam potuiſſe; ſecuros tum eſſe jubet: crederent, commoda omnia, vitam ipſam poſthabitum iri à Duce Fidei ſanctitati; Religionis à Majoribus acceptæ defenſorem, utî hactenus extitiſſet, ità futurum ſemper acerrimum. Adeò ille, quemadmodum alio in genere olim Julius Cæſar, nè in ſuſpicionem unquam adduci ſe patiebatur, quaſi cauſæ deteriori faveret. Neque ſanè datam fidem fefellit; nam cùm indulgentiâ nihil jam agi, ſed in pejus cuncta abire cerneret, majoréſque tumultus fieri, revocatis, quæ invitus antea, & graviorum tantùm malorum metu conceſſerat, intentiore etiam cura in promovendam Catholicam Religionem incumbens, Græcenſes cives, atque ſenatum hæreticorum templorum aditu prohibet; reluctantem initio Conſulem in cuſtodiam dat, mulctatúmque, nî imperata faceret, Provinciis omnibus exeſſe jubet. Ejecti Miniſtellorum non pauci: Labaci exauthoratis, qui minùs rectè ſentirent, novi, iíque probi cives in ſenatum adlecti ſunt. Idem Hartbergæ, idem alibi factitatum. Voluminum peſte infectorum millia multa flammis abſumpta. Hæc non uno loco, nec eodem tempore geſta, in eundem tamen annum conjicere placuit, quo conſpectius eſſet in rem Catholicam ſtudium Principis.

Indulgentiâ.

Sed jam, quæ in Turcas hoc anno geſta ſunt, paucis exequamur. Hi, ut antea dixi, bellum parantes Croatiæ finibus incumbebant. Non ceſſandum ratus Dux, inſtituto partim ex Legionariis, partim ex limitaneo milite delectu decies mille equites, peditésque hoſti opponit Georgio Khevenhillero Duce, Carinthiæ tum Præfecto. Præſtò etiam aderat Princeps ipſe: Ludovicus item, atque Chriſtophorus Ungnadij, Bartholomæus Khe-

Expeditio in Turcas.

Khevenhillerus, Christophorus Auerspergius, Achatius Turrianus, Godefridus Breunerus, Christophorus Herbersteinius, Maximilianus cum Sebastiano Lambergij, aliisque magno numero, primæ omnes nobilitatis proceres. Expeditio non perinde exitu læta, ùt initio fuit. Ereptæ hosti munitæ aliquot arces, in his Ostrovizium, Czasma, brevi tamen receptæ; Businium, quòd magnus numerus præsidiariorum inesset, frustra tentatum est: commeatûs inopia, vulgati per exercitum morbi (autumnus erat) quibus prostrata dimidia ferè militum pars concidebat: hostium denique vires, qui suppetiis aucti quatuor ferè supra triginta millia in castris habebant, ulteriori progressui obstitere. Reducto milite in hyberna secessum est. Carolus missis Pragam ad Cæsarem, qui promissa subsidia (centum quadraginta florenorum Rhenensium millia annuatim sexennio integro pendenda Imperij Ordines addixerant) impetrarent. Nè quid per hyemem fortuita irruptione damni acciperetur, aditus omnes Provinciarum, quà Croatiam, & Segnienſium fines spectant, obstrui mandat. Altero pòst anno rursus cum hoste, sinè apparatu tamen majoris belli, certamen erat; æquo etiam campo collatis signis pugnatum reperio: bini hostium Duces nostros longè numero inferiores ad Coranam amnem aggressi desideratis suorum nongentis in fugam conjecti sunt. Quies inde à Turcis aliquamdiu fuit. Ei stabiliendæ urbem Carolus ad confluentes Coranæ, ac Colapis extruit, vallo, operibúsque munitam; sumptibus sustentandis Carinthi centena florenorum millia, quinquagena Carnioli, ducenta Styri dedêre. Urbs à Principis nomine Caroloſtadium dicta est. Initia ejus ad hunc annum, nonum & septuagesimum, Franciscus Christophorus Khevenhillerus in iis, quos de Ferdinando II. scripsit, annalibus refert. Idem Consilium Bellicum, Francisco Poppendorffio primo Præside, superiore anno institutum refert.

Cum Venetis controversia.

Hæc inter Carolo Duci, ac Ferdinando Fratri Tyrolensium Dynastæ controversiæ nescio quid? de Provinciarum limitibus cum Venetorum Republica intercessit: arbitrum utrique Rudolphum Cæsarem deligunt; sed cùm Segnienſibus, strenuæ bello genti, mari interdictum Veneti vellent, Cæsar è re sua negaret esse, crevit discordia aliquando in apertum bellum eruptura. Styriæ hoc tempore Præfectum lego Georgium Herbersteinium, cujus decessor Joannes Scherffenbergicus octogesimo seculi anno vitâ excessit. Insequente anno Carolus Dux ad Rudolphum, Imperatorem Pragam, atque altero rursus Augustam Vindelicorum, quò convenire Principes Cæsar jusserat, cum Maria conjuge accessit. Utriusque susceptì itineris causa fuit, quòd sub-

sidij quidpiam speraret tuendis adversùs hostiles Turcarum incursiones ditionum suarum limitibus impetrari ab Imperij Ordinibus posse; quippe cujus etiam bono illæ Provinciæ armarentur. Res feliciter gesta est, providentiam Ducis affirmante eventu, cùm biennio pòst, quarto supra octogesimum anno, bellum redintegratum est. Multiplices eo bello relatæ victoriæ. Principio statim anni velitationis quidpiam fuit: Turcarum millia quatuor à ducentis equitibus non sinè clade rejecta; Dux ipse suorum manu stipatus Likaënsem agrum depopulatus ferro, & igne vastat. Dena subinde barbarorum millia, terrore ac strage longè, latéque per Carnioliam circumlato, cùm in Croatiam prædâ graves rediissent, Josephus Turrianus Comes ad Sluinam oppidum aggressus prælio vicit; quater millibus intefectis ceteri fugati, præda omnis erepta; Christianorum captivorum non pauci in libertatem asserti. Septimo Kalend. Novembr. dimicatum est. Valvasorius bina prælia memorat: decem primò deleta hostium millia; rursus deinde, cùm in Motschillana valle infestis armis concurreretur, bis mille cæsis multa Christianorum millia servitute exempta. Ego Khevenhillerum sequor, fidum inprimis scriptorem, qui semel pugnatum fuisse, ceteráque, ùt retulimus, narrat. Acceptam cladem æquo præter morem animo Amurathes tulit, quòd violata induciarum fide suos irruptionem tentâsse diceret. Iis hoc anno Rudolphum inter & Amurathem Imperatores restauratis nihil deinceps bellorum Carolo cum Turcis fuit.

Turcarũ clades.

Eo solutum metu nulla jam magìs cura solicitum habuit, atque Styriæ ad avita sacra ex integro traducendæ. Id ut vehementiùs etiam perurgeret, Novatores ipsi fecere, qui jam nec vitia sua pati, nec remedia videbantur posse. Difficile dictu est, quò illi temeritatis processerint. Seccovienses atque Gurcenses Antistites, quibus Consiliariis Carolus maximè utebatur, passim ludibrio habiti, non semel vitæ periculum adiere, parúmque abfuit, quin in Principem ipsum violentas manus perduelles injicerent. Accidit fortè, ut, cùm haud procul Judenburgo venationi operam daret, Ministellus, nescio quis? Ducis jussu in carcerem datus nunciaretur. Hìc verò fremere plebs rustica, sumptis, quæ hæreticus furor subministrabat, armis extrema omnia minitari; fuissétque haud dubiè tetrum ea die peractum facinus, nisi is ipse, qui captus dicebatur, gravioris mali metu advolans præco, & rumorem fuisse ostendens, concitatam multitudinem sedâsset. Sed hæc nequaquam frangere animum Principis poterant; neque adeò perficiendæ, quam moliebatur, rei omnis aberat spes, si vita suppeteret. Jam Fürstenfelda, jam Hartberga,

Dux vitæ periculũ adit ab Hæreticis.

ga, pertinaces antè, redierant: Græcium Regionis caput præcipuè petebatur: & hìc præterquam quòd præcipui quidam Magistratus è Catholicis essent, Senatorum ab nostris sacris alienorum ægrè quarta denique pars superabat.

Hæc agentem è rebus humanis inopina sustulit mors: mortis causa, quæ vivendi unica fuerat, tuendæ fidei studium. Rem utì gesta est, persequamur. Nonagesimo seculi anno, qui postremus Carolo fuit, in Austriam concesserat, quò & curis levaret tantisper animum, & valetudinem supra modum afflictam thermis Mannerstorffensibus restauraret. Abiturus, quòd sectarios numero pollere, & viribus non ignoraret, Magistratus urbis iteratò, & graviter monet: viderent etiam, atque etiam, nè quid absente se labis Religio Catholica acciperet: civitatem omnem lustrarent, & si qui civium spretis mandatis Lutherana sacra adire deprehensi essent, acerbis coërcerentur pœnis, juberentúrque severè omnes aut Catholico ritu vivere, aut civitate exesse. Sensere vulnus, qui adversæ factionis erant, & velut imminentem jugulo gladium aversuri literis primùm, querelis, ac precibus absentem fatigare: legem adeò sibi infestam ut antiquatam vellet; in id nobilium quorundam patrocinium adhibere; mox, cùm in sententia perstare Ducem nunciaretur, coactis clàm cœtibus consilia haudquaquam Reipublicæ salutaria inire; res proximè tumultum fuit. Iisdem fortè diebus opulenti cujusdam civis filius, quòd Heterodoxorum ludum spretis imperiis (nam & id lege cautum erat) adiisset, multáque in Carolum indigna homo audax emoveret, in custodiam abreptus est. Id enim demum fecit, ut clandestina seditio in apertum erumperet. Quingentis plures armati forum urbis incursantes veluti ad prælium se expediunt: apparebátque omne discrimen adesse, nihil cuiquam sanctum, non publici fore, non privati juris. *Græcij tumultus.*

Primo assultui Curia, in qua carceres publici: alteri Jesuitarum, à quibus Principem in transversum agi (quid enim homines illi non peccant?) jactabatur, domicilium destinatum est. Huic tempestati cùm se Judex, ferente paucorum militum suppetias Consule, obtulisset, expertus est parùm tutam à furentibus authoritatem sinè viribus esse. Malè enim mulctatus domo sua ejicitur, adolescente vincto in libertatem asserto. Nec jam foro se tumultus continet, sed passim totam urbem pervadit. Nox infesta maximè erat. Nè destinata perficerentur, cælum obstitit. Vehemens repentè imber coortus, excussúmque tanto fragore fulmen, ut se flammâ undique involutos crederent impij, torpore ac metu perculsos domum se abdere compulit, sceleratis fractis consiliis.

Carolus illuc advolans moritur.

Hæc nunciata in Auſtriam, mirum eſt, quàm dolerent Principi Optimo. Nondum finierant dies, quos curando corpori è Medicorum ſententia datos oportebat. Verùm doloris acerbi ſenſus eo nuntio acceptus altiùs in animum penetrârat, quàm ut moras admitteret. Valetudine inſuper habita, cum Liberis, Conjuge ſe in viam dat: ſatìs ſalvum ſe credens, ſi Respublica ſalva eſſet. Contentione itineris morbus, nondum planè depulſus, recruduit. Cellas MARIAnas, ad quas è via divertere, Magnam Matrem ſalutaturus, in Auſtria conſtituerat, Nonis Juliis attigit. Epulo ſacro refectus, æger licèt, perſuaderi ſibi paſſus non eſt, quin pro concione dicentem audiret, & rem divinam ad aras operanti ſacerdoti tertiùm intereſſet. Abeunte in pejus morbo, poſtera luce profectione indicta Muræpontum lecticâ deportatus, inde ſecundo Mura Græcium appellens, tertio ab adventu die extinctus eſt: is erat ſextus Iduum Juliarum, quem diem domûs noſtræ annales habent. Nunquam clarior Principis virtus, quàm in obitu extitit. Acerbos morbi dolores vultu tulit, quo cuncta ſolebat, intrepido; non circumſtantes liberi: non conjugis unicè ſemper amatæ, atque uterum ferentis poſtremus aſpectus decerpere quidpiam de fortitudine animi potuere. Cælo uni intentus, quò tot merita vivens præmiſerat, id tantùm doluit, quòd Catholicam rem non ex integro reſtitutam relinqueret. Planè mors talis fuit, qualis ceteram vitam deceret. Menſem unum, & quatuor dies ſupra quinquaginta annos vivendo exegit: meritis, quàm ætate gravior. Defuncti cadaver magnâ pompâ Seccoviam deductum Mauſolæo, quod magnifico opere vivens ibidem ipſe ſibi extruxerat, XII. Kal. Novembr. illatum eſt: cor, viſceráque Aulicum templum poſt principem aram condita hodiedum tenet.

Ejus matrimonium.

Quadrageſimus ſeculi annus natalis CAROLO fuit. Vienna urbs, jam tum Auguſta, tertio Junij die recèns natum excepit. Adoleſcentiam egreſſum de Matrimonio cum Eliſabetha Britaniæ Regina ſanciendo egiſſe, Wirtenbergico Duce interprete, Khevenhillerus gravis author affirmat. Allatæ ex Anglia matrimonij leges: nè quid immunitatum, religionum in Anglia immutaretur; munia omnia Reipublicæ, ſacrarúmque rerum adminiſtratio penès Anglos eſſent; neque Regina, nec liberi aliò unquam abducerentur; ab illius morte navigia, apparatus bellicus, cetera ſupellex nè auferretur, & quæ ſunt hujuscemodi plura alia. Quæ præterquam quòd è dignitate Ducis non eſſent, facilè apparebat, quemadmodum Philippo Hiſpaniæ, & Erico Sueciæ Regibus, verba à muliere dari, quæ connubio jungi aut non poſſet, aut nollet. Hac ſpe dejecto aliquanto pòſt tempore, affinitate cum Al-

Alberto Bavariæ Duce juncta, filia illius Maria in manus convenit: digna tali marito conjux, quæ deinde ad annum usque milleſimum ſexcenteſimum atque octavum ſuperſtes CAROLO vixit, ſanctimoniæ exemplar vivum, & cui haud dubiè plurimum etiam ſervata per Styriam Religio vera debet. Matrimonium Viennæ ſeculi anno primo & ſeptuageſimo Kalendis Septembribus, Maximiliano Imperatore præſente, magnâ pompâ peractum eſt, de quo, ſanctiúsne, an felicius fuerit, haud facilè dixero. Quindecim liberorum pater effectus, Filias octo, quaternos reliquit ſuperſtites filios, præſtanti omnes pietate ac virtute celebratos. *Liberi.*

Ex his Maximilianus Erneſtus, ſubinde Ordinis Teutonici creatus Magiſter, vitâ exceſſit anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum decimo ſexto. Leopoldus Præſul primùm Epiſcopatus Argentinenſem, & Patavienſem ſumma cum laude rexit; quibus aſſentiente Pontifice abdicatis, adſcitâ in conjugem Claudiâ Ferdinandi Florentinorum Ducis filiâ, mortem oppetiit ſecundo & trigeſimo ſeculi ejusdem anno, rebus pro Catholica fide geſtis clariſſimus, vulgò Principum Gemma dictus. Leopoldum octennio antè, quarto nimirum ſupra viceſimum præceſſerat Carolus Poſthumus, magnarum laudum Præſul, Epiſcopatu Brixiæ, & Vratislaviæ geſto inſignis. Ferdinandus denique is, qui ad ditiones paternas Imperium Romanum adjecit.

Jam virtutis ſtudium, CAROLO Duci tenella adhuc ætate inſtillatum, ad extremum usque vividum, atque ardens ſtetit. Pietas in DEUM Auſtricao digna Principe. Non rarò ſe in templum aulicum abdens, ſolo arbitro Cælo, plures orando horas extraxit, eo animi ſenſu, quem exundantes in lachrymas oculi non obſcurè præferrent: ſacros ritus à majoribus acceptos tantâ conſtantiâ, tanto ardore coluit, ut admirationi vel hoſtibus ipſis eſſet. Præcipua poſt DEUM, Divinámque Matrem in D. Petrum Apoſtolum pietate fuit: ejus honoribus datum, ut, cùm literæ, quibus domicilium Societati noſtræ ſtatuerat, datæ Novembri menſe fuiſſent, tamen annuam hujúsce rei memoriam celebrari, & conditoris ſibi honores haberi III. Kalend. Julias, dicto Apoſtolorum Principi ſacra die, voluerit. *Virtutes.*

Nimis longum foret ire per ſingula. Æqui, rectíque tenaciſſimus ità ſeveritatem clementiâ temperare, ac lenitate noverat, ut hæc una Auſtriacum Principem facere, nî reperiſſet, potuerit. Etiam offenſus placari nullo negotio poterat, niſi DEI, Religionísque causâ ſortem, atque invictum ſe præbere neceſſe habe-

haberet. Equeſtrium ludorum, ceterarúmque, quæ Principem deceant, artium peritiſſimus, linguarum plurium gnarus: literarum, hiſtoriæ præſertim, amans literatos impensè fovit: belli artium tam ſciens, quàm pacis amans; conſilio tamen erat, manúque promptus, ubi id ita Reipublicæ commoda expoſcere videbantur.

Hæc erant animi ornamenta; nec diſpar corporis habitus: candida frons, morum haud abſimilis: rubentes genæ labiáque: flaveſcentes crines: ſtatura magno animo par. Cibi, potúsque ad rigorem temperans fuit. Gravitas vultûs comitate mixta, quâ amaretur juxtà à bonis, ac ab improbis timeretur. Magnificentiæ ſuæ monumenta Græcenſibus ſpectanda non pauca reliquit; in his arx firmitatem, & eam, quâ hodie viſitur, amplitudinem: urbs ipſa foſſas, mænia, cetera, quibus ſepta eſt, munimenta CAROLO magnam partem debet. Caroloſtadium à Principe ædificatum ſupra meminimus. Huic eidem Conditori ſuo Auguſtinianorum cœnobium D. Paulo ſacratum quot annis juſta perſolvit. Tot rebus geſtis, tantísque virtutibus clarus Princeps, nulla re tamen clarior fuit; quàm quòd Ferdinandum filium reliquit.

FER-


FERDINANDUS II.
O nimium dilecte Deo! cui militat Æther. Virgil.
Christ. Dietell sculpsit Gracij.



FERDINANDUS II.
Auguſt.
DUX STYRIÆ XIX.

FERDINANDO parem integritate, ac ſanctimoniâ Principem ulla retro ætate ad Henricum usque Imperatorem, inter Cælites Divos annumeratum, Germania neminem vidit; atque haud facilè dixerim, an Europa tota. Seculi ſupra decimum ſexti anno octavo, & ſeptuageſimo VII. Idus Julias Græcii natus. Imperio nondum maturus erat, cùm Parens vitâ decederet; tamen ei, dum pubertatem attingeret, patrimonium incolume manſit. Tantiſper tutelâ Rudolphi Cæſaris Styriæ res, avitarúmque ditionum ſtetêre. Is ab exceſſu Caroli Ducis, veteribus Provinciarum diplomate ſtabilitis juribus Erneſtum Fratrem; hoc deinde ad Belgicæ Provincias gubernandas biennio pòſt evocato, Maximilianum alterum Fratrem, cognatos FERDINANDO Principes, Reipublicæ cuſtodes dedit, quo tempore Maximilianus Schrattenbachius Joanni Montfortio ſuffectus ſupremum Styriæ Præfectum agebat.

Carolo ſuc. cedit Ferdinandus.

Anno XCII. & qui deinceps conſecuti ſunt, rebus domi utcunque pacatis, gravis aliunde metus fuit. Amurathes Othomannici Nominis Imperator, pace cum Perſis juncta, cùm nihil jam, quod ab externo hoſte metueret, eſſet, certum habebat rupta induciarum fide arma in Chriſtianos transferre. Bosniæ Præfectus numeroſo in Croatiam infuſo milite Raſtovicio oppido proditione potitus, Wihaczium, latè Regioni illi imperitantem urbem, paucorum dierum obſidione expugnat. His jam progreſſionibus lætus Siſciam, Colapim inter, & Savum flumina ſitam, vallo, operibúsque egregiè munitam arcem, continenti dierum aliquot è vicenis & quatuor machinis bellicis verberatione oppugnat; defendentium ardor, Præfecti cumprimis fides, induſtriæ juncta, fecere, ut nequidquam fremens deluſas ſpes ſuas barbarus cœpto abſiſtere cogeretur. Mutuis deinde cladibus actum eſt. Bosniæ Gubernator Petriniâ arce propter Colapim excitatâ agro omni, qui dicto amne, ac Savo continetur, vaſtitatem infert. Styrorum ducenti, qui minùs cautè rem gerebant, ab hoſte oppreſſi ad unum omnes interiere. Styriam, ceterásque

Turcæ Hungariam, & Croatiam impetunt.

Auſtriæ Interioris Provincias in diſcrimine verſari, nemo erat, quin intelligeret: qua ratione hoſtium furor averteretur, non perinde in promptu erat. Turcarum in caſtris centum, & ſexaginta millia armatorum cenſeri rumor ferebat: Caniſiam belli præmium peti; quâ expugnatâ adjacentes omnes ditiones incurſioni hoſtili patebant. Ingens terror, ùt in re inopinata, cunctorum animos occupat. Coactus ad Caroloſtadium miles non admodum numeroſus; cui ſuprema poteſtate præfectus Erneſtus Archidux cùm non multò pòſt in caſtra ipſe adveniſſet, fœda tamen clades accepta eſt. Hoſtis adjecto ad numerum, quo longè præſtabat, dolo, oſtentata ſuorum non magna manu ceteros abdit, quòd ſpes eſſet, contempta hac paucitate noſtros fiduciâ elatos, incautósque opprimi poſſe. Ita planè res accidit: temerè, negligentérque cuncta agentes repentè Turcæ adorti ægrè colligendi ſe ſpatium dedere. Nulla jam ſpes, niſi in armis erat, undique inſtantibus hoſtibus; itaque revocatis à primo tumultu animis atrox utrinque fuit certamen, & (quod in tam paucis mirere) aliquamdiu anceps: quaternis horis pugnatum eſt. Ad extremum multitudine obruti veriùs, quàm ſuperati ſunt; ingens Chriſtianorum ſtrages edita: Khevenhillerus ægrè octoginta è prælio evaſiſſe memorat; cladis fama, ac terror omnes latè Provincias peragravit. Ceterùm ea minimè læta victoria barbaris fuit. Ad duodecim millia cecidiſſe quidam ſcripſere; multos fuiſſe, ut credam, argumento eſt, quòd nihil deinceps hoc anno ab iis tentatum reperio. Si aliquantò ampliores Chriſtianis copiæ fuiſſent, triumphum longè omnium pulcherrimum de hoſtibus victis acturi erant: nemo certè inultus cecidit. Cúmque Ducum nonnulli periculi magnitudine victi pugnâ jam exceſſiſſent (cujus ipſi ignaviæ commeritas poſtea pœnas dederunt) immota tamen acies ſtetit.

Chriſtianorum clades.

Minimè tamen inultæ.

Turcæ ad Siſciam victi.

Hæc ad V. Kalend. Octobr. XCII. anni geſta ſunt; inſequens, etſi timoris multum initio haberet, eventu tamen lætior fuit. Boſniæ antea memoratus Præfectus triginta millium exercitum trahens, Siſciæ obſidionem, qua ſe noſtrorum virtute nuper depulſum nondum concoxerat, ineunte Junio menſe ſumma vi, ac furore inſtaurat. Sexaginta non ampliùs Germani præſidio inerant: ceteri tumultuario delectu ſcripta incolarum regionis ejusdem turma: exigua manus, quæ ùt ſuſtinere aliquanto tempore impetum poſſet hoſtis, ſuperare non poterat. Ad hæc paucorum dierum continenti labore, magna murorum parte tormentis dejecta, Barbaros ab ingreſſu arcis prohiberi, ſi vim inferrent (neque hanc dilaturi jam ultra erant) à tam paucis apparebat nequaquam poſſe: quæ res ab obſeſſis nunciata, accelerare demum

demum ſuppetias coëgit. Quina non ampliùs millia erant; tantum tamen animi fuit, ut cum hoſte tot nominibus ſuperiore ferro decernere non dubitarent. Præcipua eo prælio virtus eminuit Andreæ Auerſpergii, & Ruperti Eggenbergii præſtantium Ducum (Caroloſtadio ille, hic Zagrabiæ Præfectus ſubſidiarias cohortes adduxerant) militum animos quà cohortatione, quà exemplo accendentium: miniméque dubia Chriſtianorum victoria fuit. Hoſtium potior pars, & exercitûs flos internecione deleti: nec pauciores, cùm ſe in præcipitem fugam darent, Colapis flumen hauſit. Cecidere barbarorum ad octodecim millia: in his Boſniæ, quem dixi, Gubernator, & è prima nobilitate non pauci; apparatus bellicus, præda omnis generis ingens, in caſtris reperta, victorum fuere. Clariorem victoriam fecit, quòd noſtrorum non ultra centum deſiderati ſunt. Hæc ità, ùt dixi, geſta eſſe Khevenhillerus narrat; at domeſtici noſtri illorum temporum annales ſemel, atque iterum prælio decertatum, proſpero ſemper eventu, fuiſſe, duodena primùm hoſtium millia, ſeptena deinde cæſa affirmant. Amurathes acceptam cladem edoctus, furore amens, Rudolpho Imperatori eo adhuc anno bellum indixit, perinde ùt ſi nihil huc usque à Turcis paci adverſum actum fuiſſet; Siſcia quoque altero pòſt menſe iterata obſidione in hoſtium denique manus venit. Atque hoc initium ejus belli fuit, quo deinceps non ſemel vexata eſt Styria; etſi non rarò intra metum res ſteterit.

Petrinia arx à Christianis capitur.

Quartus & nonageſimus ſeculi annus nihilo ceteris quietior, inter arma rurſus exactus eſt. Inſtituto per provincias militum delectu ad vicena millia cenſa ſunt: præſtò in caſtris aderat Maximilianus Archidux, rerum ſummam adminiſtraturus; hunc ſecuti è prima nobilitate non pauci: Wolfgangus, atque Sigismundus Herberſteinii, Wolfgangus item Scharffenbergicus, Georgius Kollonitſchius, aliſque. Ludovicus Scharffenbergicus Styris ſupremo jure præfectus; Fridericus verò Trautmanſtorffius Conſilio Bellico Præſes datus. Qui ab hoſtili incurſu patriam tuerentur, Sigismundus Eybeswaldius, Joannes, & Wolfgangus Sauravii, Adamus denique Trautmanſtorffius delecti ſunt. Expeditionis caput erat Petrinia, biennio antè, ùt dixi, ab hoſte excitata munitiſſima arx, & è quâ tutus in omnem circà regionem inſultus pateret. Acriter initio defenſam, ſeptimo demum oppugnationis die Barbari, ſubjecto igne, deſeruere; munitiones, nè receptaculo in poſterum hoſti eſſent, ſolo æquatæ ſunt. Velitationum deinde plus, quàm belli fuit, hoſtium omni vi in Hungariam incumbente: quò non multò pòſt Maximilianus quoque à Rudolpho Cæſare accerſitus venit. Mahometes III. per id tem-

pus Imperium Orientis gerebat, Amurathi Parenti vitâ functo succeſſor datus, nota vir crudelitate: is bello gloriam quæſiturus, ſexto ſupra nonageſimum anno trecentorum millium exercitu in Hungariam, & Croatiam infuſo, adjacentes omnes Provincias territabat. Agriâ expugnatâ prælio primùm victus, Chriſtiano ſubinde milite veluti à perpetrata victoria ad agendas prædas diſcurrente, præter ſpem victor extitit, fœda clade illata. Feliciore exitu res ad Petriniam geſta eſt. Arcis ejus munitiones biennio antè dirutas diximus. Barbari deinde, quòd opportunum rebus ſuis loci ſitum viderent, non multò pòſt reduces multis operibus ſepſerant; exturbati licèt ab Eggenbergio, prohiberi tamen non poterant, quin majoribus hoc anno adductis copiis acerrimam oppugnationem molirentur. Accurrêre mox Sigismundus Herberſteinius, & Georgius Lankovizius: ille Sclavoniæ, hic tuendis Croatiæ finibus præfectus. Prælio inito, primo ſtatim concurſu haud majore momento fuſi hoſtes ſunt, quàm ad Agriam vicerant; fugæ tamen aliquanto plus, quàm cædium fuit. Omnium opinio erat, victoriam non humano ullo præſidio, ſed Divina ope partam; quòd tam paucis adversùs tam multos pugnandum eſſet. Centena fuiſſe Turcarum millia, noſtrorum non ampliùs quinquies mille memorati ſuperiùs domeſtici annales habent; magnum certè hoſtium numerum fuiſſe Khevenhillerus fatetur.

Turcæ eam obſidentes prælio ſuperati.

Ferdinando Ordines Sacramentum dicunt.

Hæc inter FERDINANDUS Dux Ingolſtadio, quò quinquennio antè, vivo adhuc Parente Carolo, literarum causâ diſceſſerat, Græcium redit. Septimum ſupra denos ætatis annos exegerat, animi, pietatísque ſuæ jam tum luculenta indicia præbens. Nihil jam erat, quin gubernandas ditiones paternas ſuſciperet FERDINANDUS; Styriæ Proceres quipiam religionibus novis addicti moras nectebant. Suam illam veterem conſcientiæ urgentes libertatem, obſequentes ſe antea Principi futuros negabant, quàm huic proſpectum eſſet. Veris his adjiciebantur rumores falſi, incertum, quo authore in vulgus ſparſi: alium aliunde Principem adverſæ factionis accitum iri; quæ cùm nihil tamen in animum FERDINANDI viderent poſſe, conſtantiâ illius victi imperata denique fecere, pridie Idus Decembres XCVI. anni (huc enim usque contentio proceſſerat) ſacramento dicto clientelam profeſſi. Anni ſubinde inſequentis exordio Carnioliæ, Carinthiæque ordines obſequentes nactus Clagenfurti primùm ad V. Kalend. Februar., Idibus deinde Februariis Labaci ſolenni ritu inauguratus eſt. Pragam inde profectum ad Rudolphum Imperatorem Philippus II. Hiſpaniarum Rex aureo vellere honoris ergò donavit.

Octa-

Octavus ſupra nonageſimum annus Catholicæ rei, ſi quisquam alius, Styriæ ipſi multò erat futurus lætiſſimus, ſi, quæ FERDINANDI mens, eadem & ceterorum fuiſſet. Jam diu animum Principis inſtaurandæ religionis gravis cura inceſſerat, neque pauca erant, quæ incitatum per ſeſe gloriæ Divinæ vindicandæ ſtudio vehementiùs etiam inflammarent. Lutheranæ ſectæ authores majora in dies furoris, impietatísque ſuæ indicia faciebant. Optimates non pauci novarum opinionum ſectatores clancularia cum Imperii quibusdam Ordinibus Legatis miſſis conſilia miſcere, non rarò in cœtus coire ferebantur: quæ, ut celata maximè vellent, animum FERDINANDI ſagacem latere non poterant: erátque metus, nè, ſi aliunde quidpiam affulgeret ſpei, quam ſtudiosè adeò hactenus quæſiſſent, Religionis libertatem vi extorquerent. Adhæc morum, ùt in laxata diſciplina, ingens corruptela, quippe qui jam magis, magísque labebantur in dies; ita, cùm nova ſemper ad ſectariorum caſtra acceſſio fieret, periculum impendebat, nè aliquando vetuſta ſacra in his ditionibus turbulenti homines oppreſſum irent, ſi, quod brevì apparebat futurum, temeritati eorum potentia reſponderet: longiùs haud dubiè malum proceſſerat, atque ut indulgentiæ locus eſſet. Accedebant agreſtium hominum tumultus in Auſtria nuper orti; ecquid autem tam pronum, quàm ut labis ejus contagio aliqua ad vicinam etiam Styriam pertineret, niſi, unde tot animorum orirentur diſſenſiones, ſentiendi licentia non reprimeretur tantùm, ſed omnino extirparetur? neque novum id videri debere, quod jam diu in Auſtria Cæſar Rudolphus cum Mathia Fratre moliretur: Carolus ipſe FERDINANDI Parens, ſi vitam DEUS indulſiſſet, facturus erat. Hæc cùm ità apud animum reputâſſet Dux, Rudolpho primùm Imperatori Pragæ aperta, Hiſpaniarum deinde Regi Philippo per literas nuntiat. Utrique conſilium probatum eſt: videret modò pro ſapientia ſua, ut id tumultu, quàm poſſet, minimo fieret, nè quid fortaſſe detrimenti majoris Religio vera acciperet. Et verò erant multa haud dubiè, quæ FERDINANDI mentem alió flecterent, ſi humanis rationibus æſtimarentur. Nam qui tam feroci in Principem clementem animo, non rarò etiam illius Majeſtate ſpreta, fuiſſent hactenus, quid facturos par ſit credere, ubi ſeverè animadvertentem in ſe, ſuásque opiniones habituri eſſent? potentia præterea Procerum, multis magnísque fœderibus, atque affinitatibus ſtabilita, ſolo jam cogenda FERDINANDI Imperio nequaquam videbatur poſſe. Sed ante omnia ab Turcis periculum erat, quorum arma huc evaſiſſent, ut, niſi maturata ope, præſens omnibus Provinciis pernicies immineret: neque profectò tamen auxilii quidpiam ſperandum ab iis ſupereſſe, qui, ſi optio daretur, Turcarum

Ejus de reformanda religione conſilia.

carum se malle dominatu premi, quàm Imperium Ferdinandi pati, aliquando palàm edicere non dubitâssent. Jam illi ipsi, quos in consilium Dux adhibebat, etsi injectam à Deo mentem omnes sentirent, pars differendum negotium, dum opportunitas se major daret, rati; pars lenitate agendum, & congressibus publicis censebant. Neque deerant etiam, qui moras pertæsi, pericula elevarent. Itaque vicit demum constantia Principis, & animus ille Cælo fretus, ac quidvis perpeti eligens præ, quàm tot illatas Deo injurias patienter ferre. Romam deinde profectus ad Clementem VIII. Pontificem Maximum, atque inde Lauretanam Divæ Virginis Ædem prodigiis claram invisens voti etiam adjecta religione constituit, vel si vitæ discrimen, Provinciarúmque omnium jactura adeunda foret, abacturum se è Carniolia, Carinthia, Styria sectas, sectarúmque Magistros. Ità animo obfirmatus cumprimùm domum redîsset, initium dat operi, quô haud facilè aliud illustrius unquam orbis vidit, Catholicæ rei difficillimis temporibus restituendæ.

Græcio Ministellos ejicit.

Græcium Regionis caput præcipuè petebatur, unde, quemadmodum pestis, ita & medela ad ceteras Provinciæ partes quàm latissimè permanaret: opinione lætiùs cuncta cessere. Ædes non procul Murâ fluvio, Græcensium in urbe quondam ab Jacobo Eggenbergio excitatas, Ministellis trigesimo antè anno Styriæ optimates quidam novorum dogmatum sectatores addixerant, ignaro, atque adeò absente in Hispaniis Carolo Duce Ferdinandi Parente. Hoc illis Gymnasium deinceps literarum fuit: hæc velut impietatis arx, è qua Catholicam Religionem oppugnarent: hinc eggressi errorum Doctores non rarò Styriam totam percursabant, humana, Divináque omnia permiscentes. Itaque ut malorum hunc omnium fontem obstrueret Ferdinandus Dux, sancita Idibus Septembr. lege Styriæ Præfecto (is tum, Khevenhillero teste, Sigismundus Fridericus Herbersteinius erat) in mandatis dat, Ministellorum omnem gregem non modo Gymnasio memorato, quod ad id tempus nulla Principis auctoritate tenuissent, exturbaret; verùm etiam urbe, ceterarúmque sibi subditarum Provinciarum finibus intra quartum decimum diem depelleret: nulli deinceps fas esset eò pedem inferre. Etsi autem principio cunctarentur illi tam commoda sibi statione decedere; tamen cùm mandata iterâsset Princeps, capitis etiam adjectâ, nisi obtemperarent, pœnâ, IV. demum Kalend. Octobr. (juvat enim tam præclari facinoris diem ipsam cognoscere) Græcio excessere. Domicilium, quod dixi, cum adjuncta omnium Sanctorum honoribus dein consecratâ æde, iis ereptum, tertio supra millesimum sexcentesimum anno Divæ Claræ sacris Virginibus

ginibus Monachio evocatis, à Sereniſſima FERDINANDI Matre, novi Parthenonis Fundatrice, attributum eſt.

Hoc initium inſtaurandæ Religionis FERDINANDO fuit. Sub- *Catholicã Religionem in Styria inſtaurat.*
inde ad ceteras quoque Styriæ partes porrectæ curæ: exeſſe ubique juſſi peſtiferarum opinionum Magiſtri; templa, parœciæque Catholicis Sacerdotibus reſtitutæ, ſacrarum rerum impiis erepta adminiſtratione; reparatæ Sanctorum imagines; reſtauratæ aræ; vetuſti velut ex intervallo revocati ritus. Hoc Schladmingæ, hoc Rottenmanii, totáque Anaſi valle: hoc deinde Mahrburgi, Petoviæ, Rackerſpurgi, Celejæ, primis Styriæ oppidis, factitatum. Ejectis ſenatu Conſularibus Heterodoxis probi, atque Catholici Cives in ſupplementum lecti. Neque verò hìc ſtetit FERDINANDI ardor; legem præterea adjicit: alia præterquam Catholica ſacra profiteri nè cuiquam fas eſſet; hæc qui amplecti nollet, non prohiberi, quin domicilium ſibi ac ſedes alibi quæreret; ſi cui de Nobilitate remanere animus eſſet, is interdictum ſibi Auguſtanæ Confeſſionis publico ritu nôſſet. Hæc ad id tempus per Styriam geſta. Atque ut illud etiam addam: præclari adeò operis adminiſtri FERDINANDO fuere: Andreas Herberſtorffius impiger vir, præſtantíque non minùs prudentiâ, quàm pietate: par quibuslibet fidei causâ ſuſcipiendis periculis, qui poſtea gubernandæ ſuperiori Auſtriæ à FERDINANDO præfectus fuit; Joannes item Abbas Admontenſis, aliíque; ſed inprimis Martinus Prennerus Seccovienſium Præſul, ob indefeſſum in traducendis ad Catholica ſacra Heterodoxis ſtudium vulgò Apoſtolus nominatus: digni omnes, quorum nomina in Annalibus Styriæ vivant. Aliquanto plus negotij apud Carinthos *In Carinthia item, & Carniolia.*
fuit: videbatúrque initio res ad arma ſpectare; ſed intellectâ demum Optimi Ducis mente, atque adeò DEO inprimis, qui hanc Duci mentem injecerat, obſtinatorum animos mitigante, exitum res habuit multò, quàm ſpes eſſet, feliciorem. Carinthorum exemplo excitati Carnioli nihil jam & ipſi moræ fecere, quin obſequentes ſe FERDINANDO præberent. Ex his deinde initiis adeò lætos habuit progreſſus vera Religio, ut, cùm antè præter Familiam Ducis vix pauci quidam Divina myſteria Catholico ritu in his Provinciis ſuſcepiſſent, eorum non multò pòſt uno die ad quadraginta millia cenſa ſint. Jam quod prodigio ſimile videatur: hæc tot tantáque eo tempore cœpta, quo viceſimum ætatis annum non admodum excederet Princeps: adjacentes quædam Provinciæ inteſtinis motibus concuterentur: extrema ferè pernicies à barbaris hoſtibus immineret: nulla cuipiam illata vi, nulla cõmota ſeditione plebis, nullius fuſo ſanguine, ad exitum perducta ſunt: luculento ad Principes documento, quantò in

vera pietate Præsidij plus ad Reipublicæ tranquillitatem, quàm in humana ulla sapientia insit. At FERDINANDUS cum tam feliciter sibi ista videret cecidisse, ægrè lachrymas tenuit, gaudii testes, quo immenso ex restituta postliminio Religione animus perfruebatur. Itaque cum sexcentesimo supra millesimum anno, V. Idus Augusti Græcensi in urbe extra portam, quæ à D. Paulo nomen habet, ad radicem montis dena pestiferorum librorum millia flammis dedisset, eodem loco altera mox die prima condendo PP. Capucinorum Cœnobio, Templóque fundamenta jecit, ut id perenne velut extaret profligatæ impietatis trophæum.

Canisiam obsidet.

Hæc inter domi tutæ satis res ab externo hoste Joannis Sigismundi Herbersteinii, & Sigismundi Friderici Trautmanstorffii, tuendis adversùs Barbaros Sclavoniæ finibus Præfectorum, egregiâ operâ, atque virtute fuere. Annus deinde à millesimo sexcentesimo primus armatum Principem vidit: Canisiam arte, ac naturâ munitam Hungariæ urbem, superiore anno fœdâ Præsidiarii militis desperatione, atque ignaviâ proditam, Turcæ in deditionem accepere: hoc rursus anno, quòd eâ captâ non Styria modò, sed adsitæ omnes regiones hosti paterent, obsessa est. FERDINANDUS ipse Dux ardore incensus belli sacri, susceptóque pro more vexillo in castra cum Maximiliano fratre profectus, Septembri mense expeditioni non perinde auspicatæ, ùt arduæ, initium dedit. Præstò ibidem aderant Vincentius Mantuæ Dux, Franciscus item Aldobrandinus, & Joannes Medicæus: Hetruscarum iste, Legionum alter Pontificarium Ductores cum auxiliariis Italorum ad duodecies mille copiis; Madrusius deinde, sex Germanorum peditum millibus Hispanorum impendio adductis præfectus. Octo & vicena millia sub signis censebantur: lectus ferè miles, & si de Germanis sermo, longo usu firmatus. Ad V. Idus Septembr. exercitus ante urbem constitit. Acriter primùm cœpta oppugnatio, FERDINANDO nihil omittente eorum, quæ adjumento militi possent esse, & inter prima pericula se offerente: erátque spes propè certa urbis expugnandæ. Res aliter longè evenit. Nam non facilè alias antè infestiùs Barbari restitere. Neque deerant alia, quæ obsidionem difficilem redderent: æmulatio primùm honoris, ùt inter nationes moribus, ingenio dissimiles; & quæ inde consequitur, non magis animorum, quàm consiliorum dissensio. Adhæc Palustris circùm urbem tellus, quam latè restagnans Sala amnis, ac tum maximè continuis imbribus auctus efficit, à propiori accessu militem prohibens, non parùm negotij obsidentibus faceſſebat. Eorum deine, qui operibus præfecti fuerant, seu inertiâ, seu inscitiâ accidit, ut, cùm in serum autumnum extracta esset obsidio, nihil tamen magnopere

Irrito conatu.

pere perficeretur, quo aggressio fieret. Imbres deinde nive mixti, & intoleranda vis frigoris & homines multos, & jumenta absumpsit. Tria millia hominum interiisse gelu enecta Khevenhillerus scribit. Ita cùm jam non in hostes tantùm pugnandum, sed cum extrema rerum esset difficultate conflictandum, soluta demum obsidio. Ceterùm FERDINANDUS confessione omnium eam laudem adeptus est, & strenui militis, & egregii Imperatoris partes explêsse. Iis, qui consecuti sunt, annis nihil ab hac parte in Turcas memoratu dignum: binas tantùm DCII. & DCV. anno repressas irruptiones, datis ultro, citróque damnis reperio. Earum unâ cùm Rackerspurgum usque ferro, & igne grassati Turcæ fuissent, injuriam illatam Præsidiarii Carolostadienses egregiè ulti sunt. Pacis deinde aliquid cum Barbaris fuit, sed, ùt semper aliàs, sollicitæ: dum omnem denique metum induciæ vicennales Rudolphum inter, & Achmetem Imperatores sexcentesimo sexto anno pactæ abstergerent.

Octavus supra sexcentesimum annus funestus initio Duci, mox etiam lætus extitit. Græcio absens FERDINANDUS Cæsaris loco Ratisbonæ comitia gubernabat, cùm Mariam Parentem inopinato morbo prostratam in extremo discrimine versari accepit. Etsi citatis equis Græcium advolaret, mortuam reperit. Nonum & vicesimum Aprilis diem vitæ supremum habuit; majorine Filij dolore, an virtutum in omnium animis relicta admiratione, haud facilè dixero. Raræ fuit sanctimoniæ Princeps, & supra fœminam fortis. Pietate adversùs DEUM incensa vitam agebat cælesti, quàm humanæ propiorem. Vetustorum Sacrorum amor quàm sibi in intimis sensibus inhæreret, non semel palàm professa est: multò se quidvis perpeti malle, desertáque aulâ obsitam squallore, ac ærumnis vitam ducere affirmans, quàm, quòd his adversaretur, admittere; Carolus certè Dux servatæ Religionis partem bene magnam Conjugi huic suæ tribuere non dubitavit. In se unam jejuniis, flagellis dura, & aspera, benigna in ceteros omnes fuit. Nulla ferè per Styriam, Carnioliam, Carinthiam ædes DEO dicata, quam non manibus ipsa suis ornâsset: munificentiæ ejus non pauca signa ad Bavariam, Tyrolim, Poloniam, & Hungariam quoque pertinuere. Ordinem nostrum ùt amârit; quot, quantísque beneficiis auxerit, nulla dies è posterorum memoria eximet. Divæ Claræ sacris virginibus terna, Mediolani, Posonij, Græcij cœnobia condidit: huic etiam se ipsam datura, si permitteretur. Quod viventi non licuit, morienti jam negari non potuit: nuncupatis ritè votis illarum Virginum ritu, ac veste, illarúmque in æde sepulta est. Tota Principis vita, cùm pietas esset, non potuit non sanctè

Maria Ferdinandi Mater moritur.

mori. Monachij LI. elapsi seculi anno Bavariæ Duce Alberto hujusce nominis V. atque Annâ Austriacâ, Parentibus nata, septem & quinquaginta annos vivendo explevit. Non defuere plura, graviáque indicia mox ab excessu cælo receptam fuisse. Quanquam Argumentum hujusce rei nullum certius esse potest, quàm vita Principis optimæ, singularísque virtus: digna certè, quæ non Styriæ solùm, sed omnium gentium annalibus celebretur. Mœrorem ex obitu Matris ortum absterſit FERDINANDUS Filius Julio mense natus, futurus aliquando paternorum Regnorum, & Imperii hæres.

Ferdinandi III. Natales.

Belli Veneti origo.

Quinto decimo supra millesimum sexcentesimum anno Veneti FERDINANDO bellum fecere; causa belli quæsita magìs, quàm data: cujus semina quædam vivente Carolo Duce enata aliàs diximus. Uskochii, Liburnici sinûs accolæ, strenua bello gens, sed inquieta, & Piraticæ dedita, dum infesti Turcis jam olim mare percursant, haud satìs semper religiosè arma, manúsque ab Venetorum Republica abstinuisse visi sunt; ad hæc vetera odia novæ deinde, recentésque injuriæ accesserant, irritandis penitus animis opportunæ. Ocultiora præterea alia Khevenhillerus memorat. Adriaticum mare, cujus dominam se Respublica illa jam diu ferret, infestum ab Uskochiis reddi vitio dabatur: neque dubium erat coërcendis Venetorum ea parte molitionibus maximè omnium idoneos eosdem esse. Id, cùm ægrè illi ferrent, neque conatibus suis obsisti à gente haud numerosa admodum, nec opibus firma paterentur, non semel hominum genus adeò sibi infensum ab Rudolpho Imperatore, sub cujus dominatu erant, adjacentibus mari ditionibus exigi postulabant. Intelligebat Cæsar, id è re sua non esse, cùm præsertim non inutilem bello adversùs Turcas operam gentis experiretur, metuendúmque esset, ne irritati se ad Barbaros illos non sinè magno Christianæ rei incommodo, applicarent. Itaque ab incursionibus abstinere in posterum jussos, maris tamen usu prohibendos non censuit. Hinc Venetorum etiam in Austriacos iræ. Excitatâ subinde Palmâ, munitissimâ arce (quod impedire magìs non poterat Cæsar, Turcico bello implicitus, quàm non volebat) quum jam ab ea se parte tutos Veneti præstitissent, non obscurè incrementum accepit dissensio. Nec ab injuriis temperatum est. DCI. anno Uskochios ulturi, impetu armatorum in FERDINANDI Ducis ditiones facto, ducentorum millium aureorum nummûm damnum dedêre. Nec insequentium annorum melior conditio fuit. Ità concitatis jam diu animis haud dubiè res ad arma spectabat: id, ut nè ante hunc annum fieret, FERDINANDUS prohibuit, pacis, ùt semper, amans. Ceterùm majoribus ferè animis,

animis, quàm damnis certatum est. Veneti illato antè, quàm indicerent, bello, Comitatûs Goritiensis quibusdam interceptis locis latè arma circumferunt. Sequenti anno Gradiscæ obsidione bis mille suorum amissis pulsi, Tergesto terrâ marique frustra tentato, Luzinum denique occupant. Illustris hoc bello memoranda venit Adami Trautmanstorffii virtus, quem Ducem copiis suis FERDINANDUS præfecerat. In omnem rei bene gerendæ occasionem intentus non rarò parva suorum militum manu hostem numero superiorem fudit: ad extremum hostili globo caput trajectus magno omnium dolore occubuit. Cùm utrinque par ferè belli fortuna esset, Ossunæ Dux Pro-Rex Neapolitanus arma ad Adriatici maris oras circumferens, Venetisque infestus, superiorem FERDINANDUM effecit. Bello ad Anni XVII. finem extracto, induciæ primùm ad III. Idus Novembr. pactæ; Kalendis deinde Februariis anni insequentis, Hispaniarum Rege arbitro, concordia in hunc ferè modum stabilita est: quæ ablata per bellum utrinque fuissent, restituerentur: repressâ Uskochiorum ferociâ, Segnienses Germanum militem præsidio acciperent, qui Piratarum incursiones frænaret. Brietius accuratus ceterà scriptor hæc paulò aliter narrat: Uskochios, cùm insolentiùs omnia agerent, FERDINANDO jubente armis petitos, tentatáque in Styriam irruptione egregiè repressos esse; Venetum bellum aliunde ortum sumpsisse refert. At nos auctorem sequi maluimus Annalium FERDINANDI nobilissimum conditorem Khevenhillerum Comitem, qui rebus gestis magnam partem interfuit, túmque ad Hispanienſem aulam à Mathia Imperatore Legatus, pacificatoris munus summâ industriâ gessit.

Ferdinandus fit Rex Bohemiæ.

Sed jam majori dignus Imperio FERDINANDUS erat, Regnorúmque trium coronis, quas tribus deinceps annis adeptus est. Duodecimo seculi anno Rudolpho Imperatore sine liberis vitâ functo Mathias frater successerat, jam Bohemiæ, Hungariæque Rex: qui cùm & ipse ingravescentibus morbis, annísque procreandæ prolis nullam jam spem haberet, metus erat, nè, si non opinantem mors oppressisset, gravissimi per Germaniam, & Bohemiam motus existerent. In FERDINANDUM Principem, ùt virtutum famâ, sic ætate florentem plerique mentem, oculósque adverterant: in his principem locum Maximilianus tenebat Cæsaris Frater; sed multorum tamen in Leopoldum FERDINANDI Fratrem proniora ferebantur studia. Et jam olim ab his in transversum actus Rudolphus propè erat, ut neglecto Mathia Fratre Leopoldum Bohemiæ, atque Imperii successorem diceret. Quo facto nemo erat rerum tam imperitus, quin videret, successionum jura, legésque ab Austriacis hactenus usitata magnam labem accipere.

Res tum aliter cecidit; at Mathia deinde Imperatore alias ex aliis moras ab iisdem, quando aliud non poſſent, necti haud dubiè apparebat. Ergo ut Reipublicæ ex hac mora periclitanti præſtò Maximilianus adeſſet, abdicato, quod habebat, ſuccedendi jure (idem, ut ab Alberto Belgii Principe fieret, jam antè curaverat) Mathiam denique perpulit, ut FERDINANDUM ſeptimo ſupra decimum ſeculi anno, Junio menſe Bohemiæ Regem diceret, tertio deinde Kalend. Julias (quem diem Domicilij noſtri annales habent) Pragæ ſolenni ritu inauguratum. Altero pòſt anno ad Bohemiæ Regnum Kalendis Quintilibus Hungariæ quoque Corona adjecta eſt; dum ab exceſſu Mathiæ Romanum denique Imperium, ſed oppidò quàm turbatum, gubernandum ſuſciperet. Itaque jam hinc nobis de FERDINANDO, & iis, qui conſecuti ſunt, Imperatoribus maximis, ſtrictè tamen, ac velut compendio agendum erit. Neque enim res tot, ac tantas per Europam bene, felicitérque geſtas unius anguſtiæ libri complecti valeant: & ſi diffuſa in alienis, & extra Styriam actis narratione utamur, non Provinciæ unius alicujus, ſed Germaniæ Hiſtoriam ſcribere videamur, quod longè vires ſuperat; quando præſertim non defuerunt hactenus, nec in poſterum defuturi ſunt alii, à quibus iſta copioſiùs referantur.

Et Hungariæ.

Initium turbarum in Bohemia.

Jam primum omnium exordium belli, quo deinde univerſa penè Germania conflagravit, à Bohemia extitit. Optimates quidam Bohemi novarum opinionum ſectatores, quòd nonnullorum templorum, quæ ſui moliebantur, ſtructuram exequi prohiberentur, privilegia ſibi infirmari cauſati, populo ad aſſerendam libertatem vocato, ſeditionis auctores extitere. Octavo decimo anno Guilielmus Slawata, Jaroslaus Martinizius Comites, Regiorum Adminiſtrorum, qui Catholicis Sacris favebant, præcipui, cum Philippo Fabricio (is tum Conſilio Regio à ſecretis erat) ex arcis feneſtra in præceps dati, Divina tamen ope ſervati ſunt. Quod inhumanum, ac barbarum facinus cùm viderent ſeditioſi excuſare ſe Cæſari haudquaquam poſſe, bellum ſummo ſtudio apparant; jámque Henricus Matthæus Turrianus perduellium Dux, atque Princeps augere indies copias ferebatur, & ad juſti exercitûs modum accreviſſe; Cæſar pace fruſtra tentatâ cœpit & ipſe arma circumſpicere. Delectu inſtituto miſſus primùm Henricus Tampierius Comes, bello Veneto nuper eximiè probatus Dux, qui Bohemiæ fines obſideret; Carolus deinde Longevallius Buquoji Comes: huic adjuncta ab Alberto Belgarum Principe octona peditum, equitúmque millia, Cæſarei exercitûs robur. Tricena ferè millia hoſtes Turriano, ac Erneſto Mansfeldio Ducibus ſub ſignis habebant: ſuperiores haud dubiè rès Bohemorum erant. At

At qui ſecutus eſt annus nonus, ac decimus FERDINANDUM, Catholicámque rem non per Bohemiam modò, ſed per Auſtriam quoque, ac Provincias ceteras in extremum penè diſcrimen conjecit. Imperatore Mathia, poſtquam Imperium Romanum ſexennio gubernâſſet, Viennæ ad XIII. Kalend. Apriles extincto, novi undique FERDINANDO hoſtes exorti ſunt. Bohemia, Budovitio dempto, tota ferè perduellium erat. Acceſſere his Luſatii, Sileſii, Moravi, vicinæ, cognatæque Provinciæ; Auſtriacorum quoque non paucos ſeditionis ejus contagio afflaverat. Jámque occupatis Moraviæ præcipuis oppidis ſpes Turriano injecta eſt Viennæ urbis cum FERDINANDO Rege in poteſtatem redigendæ: cùm præſertim conſiliorum ſuorum participes de civibus ipſis multos haberet. Itaque infuſo in Auſtriam ſex millium exercitu, repentè ad Viennæ mœnia conſiſtit. Nunquam antea anguſtiores res FERDINANDO fuere; tamen conſtitit ſibi animus ille intrepidus, rebúsque cunctis major, & propè certus Divini affuturi auxilii. Ferunt Regem eo tempore deprehenſum, cùm in conclavi ſuo ante Servatoris cruce fixi effigiem humi pronus, dejectúsque jaceret, Bartholomæo Villerio è Societate JESU, quo ad expiandum animum utebatur, commodùm advenienti minimè dubiè affirmâſſe: brevì affore DEUM. His adjicitur aliud humano auguſtius, & multorum ſermonibus celebratum: Chriſtum è cruce pendentem FERDINANDO locutum, ſecurúmque periculorum juſſiſſe. Quod etſi pro explorato afferre ſe poſſe neget rerum ejus geſtarum ſcriptor Guilielmus Lamormainus; cetera tamen Principis vita fecit, ut haberi pro vero poſſet. Fidem eventus fecit. Nam cùm nihil jam ſpei ſuper in humanis rebus videretur eſſe, San-Telierius quingentis gravis armaturæ equitibus ſtipatus non opinantibus hoſtibus Viennam ingreditur. Quæ res magno ſeditioſis terrori fuit: Turrianus quoque non multò pòſt obſidendæ urbis omiſſo conſilio Bohemiam fugienti ſimilis repetiit.

In Ferdinandum undique hoſtes exurgunt.

Viennæ obſeſſo

Præter ſpem auxilium advenit.

Hæc inter graviùs aliquid parturientes Bohemi, abdicato FERDINANDO Rege, Imperium inſuper Romanum ab Auſtriacis aliò amoliri parabant. Nec alienus ab his conſiliis erat Fridericus Elector Palatinus Proteſtantium Fœderatorum per Germaniam caput, ſeu FERDINANDO privatim Religionis causâ infenſus, ſeu jam tum majus quidpiam animo agitaret. Eadem biennio antè cum Jacobo Britanniæ Rege pertractata: Cæſaream dignitatem Lotharingiæ Duci per Legatos à Friderico fuiſſe oblatam Khevenhillerus auctor eſt. Rejecit hominem vanum ſapiens Dux, magno ſuæ adversùs Auſtriacos fidei argumento profeſſus: in id potiùs omni ſe adnixurum ope, nè quem ſibi aſſentientem unquam

Friderici Palatini molitiones.

haberet. Ceterùm eà Palatini mens, etsi temeraria ac præceps, incitamento Principibus Electoribus fuit, útne Imperium gubernatore destitutum diutius paterentur. FERDINANDUM Regem Francofurti ad V. Kalend. Septembres magno omnes consensu Imperatorem Cæsarem jubent: quinto deinde Idus Septembr. Augusti insignibus de more ornant. Nec Fridericus ipse dissensit. Cælum prodigiis affuit: Joanni Suicardo Moguntino Antistiti, notæ sanctimoniæ Principi, Germaniæ dolenti vices, & quo in discrimine Catholica res versaretur, apud animum cogitanti ferunt DEI Parentem conspicuam se præbuisse, animósque addentem: fortiter constantérque ageret, nec metueret Imperii coronam FERDINANDO deferre. Id ipse postea accidisse sibi Lamormaino nostro, gravis auctor, testatus est.

Ferdinandus creatur Imperator.

Bohemorum interim animos novi Regis, qui FERDINANDO exauctorato succederet, deligendi cura versabat. Nemo erat, quem Friderico Palatino præferrent: tantúmque valuit in animum Principis, si sibi relinqueretur, non mali ambitio cœca, ut oblatum tumultuario consensu Regnum haud respuendum sibi censeret. Juncta cum Jacobo Britanniæ Rege affinitas: favor & studia Batavorum: Protestantium fœderatorum vires: Elisabethæ deinde conjugis, impares natalibus suis nuptias querentis, acres objurgationes uxorium hominem impulere, ut in exitium se volens prudénsque indueret. Sed propinquum Friderico, & præsens auxilium adferebat Gabriel Bethlehemus Transylvaniæ Princeps, perduellibus fœderatus. Is Hungaria turbinis instar peragratâ, patentibus ubique portis acceptus, ad Viennæ usque mœnia, accedente etiam Turriano, exercitum & terrorem tulit: Posonium inde regressus, abdicato contra jus fásque Cæsare, Hungariæ Regis nomen dignitatémque sumpsit.

Palatinus Bohemiæ Rex à rebellibus eligitur.

Alius insuper Cæsari parabatur hostis, fœderati Germaniæ Protestantes: mitiùs scilicet interitum suum latura erat Germania, si ab Germanis periret. Hi Rotenburgi primùm ad Tubaram, Norimbergæ deinde coacto cœtu bellum se pro Bohemorum defensione minabantur facturos, nisi Cæsar Bavarúsque Catholicarum partium Dux intermissis delectibus arma ponerent. Ità cum raperetur Ungaria à Transylvano: Bohemia, Silesia, Moravia à Palatino: nutarent Austrii: cunctaretur Hispania: omnia infida, atque infesta essent, paucis tantùm Catholicorum in fide perstantibus, planè pro victo aspiciebatur FERDINANDUS, oriebatúrque bellum anceps, quô non facilè gravius aliud superior ulla vidit ætas, aut acrioribus studiis gestum.

Cæsaris hostes qui?

Cæsar

Cæsar dividendos hostes, quò cum paucioribus res esset, sapienter ratus, pactis cum Bethlehemo semestribus induciis, fœderatorum Protestantium animos mitigat: ita in unum ferè Palatinum belli tempestas incubuit. Aderant huic Anglorum, & Batavorum auxiliares copiæ, Ungari item equites à Bethlehemo missi, cum Germanorum Principibus nonnullis. Cæsari ab Hispanis, Polonis missa subsidia: ejusdem partes Georgius Saxo, Lutheranus licèt, secutus. Exercitui universo Dux, atque Imperator Maximilianus Bavariæ Elector præfuit. Is redactâ primùm in ordinem Austriâ, Bohemiam deinde infesto exercitu petit: Buquojo Cæsareisque copiis suas juncturus. Bissecâ vi expugnatâ, cùm aliunde Saxo Lusatiam premeret, Praga belli caput petenda decernitur. Rem odorati hostes celeritate, quantâ maximâ possent, usi prævertunt, Albo monte, ac Palatio Regio, cui à stella nomen est, occupato: jámque vallo, ac operibus communiri cœptis castris difficiliorem nostris aggressionem facturi erant, nisi opus perficere prohiberentur. Ergo altera mox ab adventu die acie dimicatum est. Atrox aliquandiu pugna, atque anceps fuit, quippe cùm pro Imperio utrinque decertaretur, essentque in partibus falsa, ac sincera Religio; ad extremum victoria penès Cæsareos stetit. Ita unius horæ spatio exercitus maximus fusus, fugatúsque perduellionis commeritas pœnas dedit. Sena ferè hostium millia cecidisse Khevenhillerus memorat; alij auctiorem numerum tradunt. Cæsareorum ducentis non multò plures desiderati: Signorum pedestrium, equestriúmque, apparatûs bellici, curruum, impedimentorum magnus numerus captus. Haud parùm ardoris militi nostro addidisse visa est DEI Mater, cujus injuriam (in effigiem ejus ab hæretico homine oculis mutilatam nuper fortè inciderant) ut vindicatum irent, gravi sermone cohortatus est Religiosus è Carmelitano Ordine Sacerdos Dominicus Sechus, gente Hispanus. Hæc ad annum vicesimum gesta, insigni ad memoriam die. Sextus Idus Novembres erat, is ipse, quo tum Sacerdotes Catholicis Sacris operantes solenne illud decantabant: Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Victoriæ fructus, quo haud aliàs lætior, extitit. Dedita mox Praga urbs, quæ sine sanguine multo vinci non poterat; Moravia, Silesia, Lusatia cum Bohemia ferè tota in potestatem victoris Cæsaris redactæ. Fridericus intellecta suorum clade Vratislaviam primò, inde, cùm deseri se ab omnibus jam Provinciis videret, nequidquam suorum fluxam fidem incusans, ad Brandeburgicum Marchionem profugit, modica spe reparandi belli. Omnibus fortunis exutum, proscriptúmque tertio, & vicesimo anno Cæsar, coactis Ratis-

Palatinus bello petitus

Memorabili ad Pragam prælio vincitur.

bonæ Comitiis, Septemvirorum Collegio ejecit, dignitate ea in Maximilianum Bavariæ Ducem collata.

Bellum cum Bethlehemo Transylvano.

His ita gestis ab Hungaria periculum erat. Bethlehemus haud satìs ex fide induciarum hactenus egerat: ferebatúrque FERDINANDI vitam aliquando, cùm haud procul Viennâ venationi operam daret, insidiis petiisse. Cùm nihil agi apud hominem regnandi avidum tractatione pacis ultra videretur posse, bellum decernitur, lætis primùm auspiciis gestum, interceptis Posonio, Altenburgo, Tyrnaviâ, Neutrâ. Amplioris victoriæ spem unius viri mors importuna abrupit. Buquojus expeditionis Dux Uyvarini obsidionem urgens, ab erumpente hoste circumventus interiit, rerum bene gestarum gloriâ inclytus, & non vitâ, quàm morte illustrior. Casum Ducis velut secuta belli fortuna in Bethlehemum rursus inclinat, è Transylvania novo cum exercitu emergentem. Sed is expugnatâ Tyrnaviâ, Hungariæ quibusdam Dynastis fusis, fugatísque, ac Moraviâ demum infesto agmine incursatâ, cùm imminui suos quotidianis acceptis damnis videret, principio sequentis anni, secundi supra vicesimum, bellum pace finivit; quam abrupturus ipse tamen altero mox anno esset: Hungariæ Regno, atque insignibus abstinere jussus, nonnullas â Cæsare in Hungaria, & Silesia ditiones accepit, Principis Imperii adjecta dignitate. Rebus ita pacatis FERDINANDUS coacto Hungarorum Procerum cœtu Sopronium venit, ibidémque Eleonora Conjux, quam paulò antè sibi matrimonio junxerat, solenni ritu inaugurata est.

Mansfeldius Palatini res in Germania sustentat.

At in Germania etiam nunc bellum fervebat. Palatini, rebus desperatis nuper in Hollandiam profugi, causam Christianus Daniæ Rex cum Jacobo Britanno literis, legatísque tuendam susceperant: Mansfeldius, etsi labentem, armis in Bohemia primùm, atque inde, quòd res suas minùs firmas videret, digressus, altero & vicesimo anno in Palatinatu, ægrè licèt, sustentabat. Circumventus aliquando à Cæsareanis, cùm vi non posset, dolo usus in Franconiam, Alsatiámque elapsus est. Ad hunc alius Cæsari hostis accessit: Christianus Brunsvicensis Dux, ingenio, ac ætate ferocior, imbutúsque à puero apud Batavos militiæ rudimentis, & obstinatus Friderico Bohemiæ sceptrum asserere. Per Saxoniam, Westphaliámque collecta haud contemnenda manu evasurus in Franconiam ad Mansfeldium erat: hæc tentantem Anholtinus Comes Jacobus in Westphaliam rejicit. Subinde etiam Fridericus in Palatinatum suum mutata veste per Galliam reversus bellum instaurat, variâ aliquamdiu fortunâ gestum. Mansfeldius victorem initio Tillium acie superat. Ignominiæ plus, quàm damni acceptum est; sed hanc qualem

Tillium vincit.

qua-

qualem cladem egregiè paucis pòst diebus ultus est Tillius, memoratu dignam de Georgio Friderico Marchione Durlacensi victoriam consecutus. Jam diu Palatini causam mente complexus Marchio, hoc denique anno (secundus erat supra vicesimum) ferro defendendam suscepit. Octonas peditum legiones, equitum turmas octo & vicenas sub signis habebat. His Wimphenam usque progressum Tillius, etsi numero inferior esset, aggressus, acri non minùs, quàm diuturno prælio profligat: capta est omnis generis præda ingens; Durlacensis ipse cum equitum parte ad Mansfeldium profugit. Huic victoriæ alteram item illustriorem adjecit Tillius de Brunsvicensi Duce Christiano. Paderbornensi, ac Monasterienſi ditionibus omni genere cladium devastatis, Paderbornâ insuper potitus Dux, dum in Palatinatum, ut se Mansfeldio jungeret, iter convertit, magno suo malo ad Hœchstium oppidum in victorem Tillium incidens, memorabili prælio fusus est. Khevenhillerus duodecim ferè millia amissa refert. Palatinus tot acceptis cladibus fractus, Angliæ Daniæque Regum suadentium pacem, de qua Bruxellis tum agebatur, accedente hortatu, positis demum armis ad Hollandos reversus est. Ita clarum jam vulgò haberi cœptum Tilii nomen, cui sub extremum annum nobile additamentum accessit Heidelberga capta, Palatinatûs caput, cum ampliſſima præda; quam omnem tamen una superavit Palatinæ aulæ Bibliotheca, Germaniæ totius celeberrima, quippe ex omnibus ferè illius Cœnobiis conflata, Gregorio XV. Pontifici Maximo dono missa. Brunsuicensis, atque Mansfeldius aliquandiu incerti, quid agerent, ad fœderatos Belgii Ordines se adjunxere. At Brunsuicensem inde reversum Tillius insequente anno, collatis prope Stadloum signis, ità attrivit, ut restaurare deinde exercitum ægrè posset. Peditatus ferè omnis cæsus (sena hostium millia eo prælio cecidisse sæpè laudatum Khevenhillerum authorem habeo) apparatus bellicus cum LXXXV. militaribus signis captus. Brunsuicensis, & hunc secutus Mansfeldius in Hollandiam profugi, diu, quò evasissent, suspensam Germaniam reliquere. Debellatum erat: nisi aliunde novi, & qui minimè debuere, Cæsari hostes existerent. Juvat rei hujusce, quæ Germaniam penè universam in exitium dedit, originem paulò altiùs repetere.

Tillius Marchionem Durlacensem.

Et Brunsvicensem Ducem acie superat.

Heidelbergam expugnat.

Ejusdem victoria ad Stadloum.

Vicesimo secundo seculi anno, cùm perpetratum Bohemicum bellum esset, ad instauranda Catholica Sacra mentem adjiciens FERDINANDUS, opinionum novarum buccinatores Bohemiæ Regno depulsum ibat. Ardorem illum injecerat Principi Optimo jurisjurandi religio sacrosancta, qua se anno antè, cùm ad Divam Cellensem invisisset, obstrinxerat: tranquillitatis deinde

Principes quidam Cæsari infensi.

publicæ amor, quippe cui infesti homines illi essent, simulatâ ad tempus modestiâ irrepentes in vulgi gratiam vanis persuasionibus, unde majori motu exurgerent. Sed hos tamen premi ægrè ferens Saxoniæ Dux, Protestantium sacris addictus, ejectorum causam omni ope tuendam suscepit. Quod amici ceterà Principis preces non audiissèt Cæsar, invidiam sibi apud ceteros etiam Imperii Ordines, qui diversarum religionum erant, concitavit. Tertio & vicesimo anno, Comitiis Ratisbonæ celebratis, Cæsar Bavariæ Duci Maximiliano Electoris dignitatem, Friderico Palatino proscripto, adjudicat. Dignus erat Dux, cujus illustribus in Rempublicam Germanam meritis id honoris, ac prærogativæ concederetur; at Elector Saxoniæ, Brandeburgicus, Brunsvicensis Duces, aliíque multi Principes non dubitabant palàm obniti, quòd ea re Palatino omnem gratiæ locum obstrui cernerent. Saxoni, ac Brandeburgo, ut id æquiori animo ferrent, Darmstadii Regulus Ludovicus, à FERDINANDO Imperatore missus, persuasit. Reliquorum, quòd Friderico studerent, concitatiores animi erant. Ita fœdus demum enascitur Reipublicæ, Cæsari, sed inprimis Catholicæ Religioni penè exitiabile. Fœderis auctor Britanniæ Rex Jacobus, Friderico Genero suo in Germaniam reducendo opportunam fore Hispanorum amicitiam ratus, Carolum filium Walliæ Principem Philippi IV. Regis Hispaniarum Sorori Mariæ Annæ matrimonio jungere nitebatur. Ea spe evolutus, injuriæque, ùt interpretabatur, ex repulsa accepta impatiens amicitiam Philippo palàm renunciat: ac jam Austriaco Nomini universo infensus, bello in Cæsarem, Regémque decreto, fœdus init cum Galliæ Rege Ludovico, Saubaudiæ item Duce, ac Venetis: fœderis præcipua lex, injustiórne, an fœdior? huc pertinebat, ut FERDINANDUM Imperatorem injecto belli terrore ad Fridericum perduellem loco suo restituendum fœderati urgerent. Accessere non multò pòst Daniæ, Sueciæque Reges, Hollandi, & quotquot de Protestantibus Germaniæ Principibus auctam è tot victoriis potentiam FERDINANDI invisam habebant. Daniæ Rex, quòd nuper admodum Brunsvicensi, ac Brandeburgo, liberísque quibusdam civitatibus arma alio nomine, revera in Cæsarem, sociâssèt, gestiebat ultro in hujus communionem belli venire; Hollandorum concitati adversùs FERDINANDUM animi erant, quòd occupata ab iisdem in Imperio bona DEO dicata restitui, aliáque parùm grata per legatum petiissèt; quid Sabaudum, Venetos, Gallum impulerit, Catholicos Principes, ut se Protestantibus jungerent, etsi alia in speciem prætexerentur, haud difficilis conjectura est: vulgò certè id illis fœdus probro dabatur.

Fœdus ineunt.

His

His ad annum XXIV. actis, Daniæ Rex Christianus, etsi pacem adhuc simularet, prior bellum molitus est. Saxoniæ Inferioris Proceribus in unum cœtum coactis persuaserat, ut copiarum, quas instituto delectu scripturi essent, totiúsque illius ditionis Dux, atque caput deligeretur; Cæsari deinde novam eam, & ad hunc diem insuetam Regibus externis præfecturam miranti respondet: nihil, quod metuendum haberet, esse; justam solùm adversùs eos, qui vim inferrent, defensionem parari. Cùm aliquamdiu jure disceptaretur, irrito, ùt ferè solet, eventu, res demum manu, ac ferro geri cœpta est. Daniæ Regi ad primum belli rumorem Mansfeldius, ac Brunsvicensis, peditatûs ille Britannici, hic equitatûs Gallici Duces ab Jacobo Britanniæ Rege dicti, cum duodecim millibus in auxilium properârunt. Sexaginta millium hostilis exercitus erat, in tres partes divisus; binas regere jussi Mansfeldius, ac Brunsvicensis, tertiam Rex ipse Tillio ad Visurgim oppositi. FERDINANDUS Cæsar ad eas copias, quibus Tillius præerat, alias insuper adjecit, Alberto Wallensteinio Ductore, qui deinceps rebus gestis totâ Germaniâ inclarescet. Omnia summa ratione, consilióque acta, fortuna etiam belli secuta est. Non prælio tantùm fusi hostes, sed castris quoque exuti. Wallensteinius prior Aprili mense Mansfeldium non opinantem aggressus propè Dessaviam memorandâ clade confecit, peditatu ferè omni cæso, aut intercepto: urgeréque victum antea non destitit, quàm in Hungariam profugisset; ubi non multò pòst morbo extinctus, magno patriam malo, ac majore etiam metu liberavit. Res successu tam prospero à Wallensteinio gesta Tilliana castra ad æmulandum decus accendit. Osnabrugâ, Gottingâ, Mindâ receptis Tillius majus aliquid audendum ratus, rerum summam certamine experiri decreverat. Abhorrentem à pugna Regem biduo toto insecutus apud Lutheram arcem tandem in manibus habuit. Prælium fuit, quale inter fidentes sibimet ambos exercitus, veteri alterum gloriâ, alterum numero, ac viribus elatum. Tantáque vis irruentium Danorum fuit, ut bis cedere nostros, etiam penè desertis tormentis, cogerent. Sed hi redintegrata virtute undique omnes connixi, hostem demum avertunt; nec deinde Cæsareanorum vis sustineri potuit. Equitatu in fugam acto, pedites omnes cæsi, captíve: pauci cum equitatu, & Rege ipso per sylvas, & occulta callium Guelpherbytum evasere. Pugnatum est VI. Kalend. Septemb. Anni XXVI. Victoriæ fructus fuere Steinbruccum, Verda, Hannovera, Rottenburgum; sed inprimis Udalricus Fridericus Brunsvicensis Dux (Christianus enim hoc eodem anno diem obierat) & Georgius Luneburgensis ad Cæsareas partes adjuncti.

Daniæ Rex Cæsari bellum infert.

Mansfeldius à Wallensteinio:

Daniæ Rex à Tillio vincitur.

Bethlehemus ſeriò de pace agit.

Hæc foris geſta. Nec pacatiores multò res in Hungaria, Austriáque ipſa fuere. Bethlehemus rurſus in armis erat, inquieti animi vir, & nullius neque ad DEUM, neque ad homines fidei. Bis inſtaurata pace, bis abrupta, etiam cùm vinceretur, infeſtus tamen Hungariæ imminebat. Etſi autem non tam bellum gerentis, quàm repentino impetu agros incurſantis ſpeciem præberet; metuendum nihilominus erat, nè ad bellum faciendum Turcas, quorum auxiliaribus copiis juvabatur, impelleret. Sed brevì omnis à Bethlehemo vanuit metus. Anno XXVI. armis fractus à Wallenſteinio, pacem denique petiit, meliori deinceps, quàm hactenus, fide ſervandam. Inducias quoque altero pòſt anno cum Turcis pepigit Cæſar, ſplendidis utriusque partis legationibus firmatas.

Ruſtici in Auſtria tumultuantes.

Vix pacatâ Hungariâ novus FERDINANDO hoſtis exoritur, non armorum vi magis, quàm numero, rapinâ, incendiis metuendus. Ruſticorum ingens multitudo ſumptis armis, Stephano Fadingerio duce, Auſtriam omnem, quæ ultra Onaſum eſt, terrore, ac tumultu complebat, pulchro in ſpeciem nomine tuendorum Sacrorum. Cæſar, quòd reſtituendæ Catholicæ Religionis conſilium adeò bellè jam olim in Styria: nuper admodum, extincta rebellione, in Bohemia cecidiſſe adverteret, Miniſtellos per Auſtriam quoque ſparſos exagitandos ſuſcepit: ſancita lege paucorum dierum ſpatio exeſſe juſſi. Id verò teli inſtar omnibus viſum; multitudo præſertim imperita, quæ Lutherum jam pridem imbiberat, ùt eſt quarumcunque opinionum ſemel in animum demiſſarum ſtolidè tenax, ſuos eripi ſibi magiſtros ægrè ferens, initio queri, mox etiam palàm ſeceſſionem minari. Nihil his motus Cæſar, ſed, quod res erat, ſalutem ipſorum quæri profeſſus, acriter decreto inſtat: neque ſegniùs imperata urget Herberſtorffius Comes, Auſtriæ ſuperiori præfectus, impiger vir, Catholiæque rei ſtudioſiſſimus. Ergo illi furore amentes paſſim ad arma decurrere. Jam ad dena millia ferè convenerant; qui numerus brevì, latiùs emanante fama, in immenſum auctus: LXXX. millia quidam fuiſſe exiſtimant. Herberſtorffio non ſinè clade repulſo, multitudine ſua ferociores nihil jam timebant, quòd timeri ſe crederent. Expilata Cœnobia: Nobilium quorundam direptæ arces: ſacra, profanáque inſano ritu conculcata. Catholicorum maximè rebus infeſti erant: ut appareret, hæreſim eſſe, quæ ipſos armâſſet. Welſio, Styrâ, Lambachio, Eberſpergâ in poteſtatem redactis, Lincium, Auſtriæ ſuperioris caput, aggreſſi obſidione tentant. Inerant urbi Ordines Patriæ ferè omnes, tum Herberſtorffius Gubernator cum præſidio valido quidem, ſed longè imparitantæ obſidentium multitu-

Lincium fruſtra obſident.

titudini, si disciplinâ, & belli arte valeret. Ceterùm dum incompositè cuncta agunt, aliíque alios impediunt: dum imperitiâ suâ nova indies ab obsessis damna accipiunt, amisso insuper Duce Fadingerio: & jam impetus quoque, quo solo rustica plebs valet, è diuturna mora languescit, obsidendi consilio omisso ad priora se latrocinia transtulere. Rebus ita constitutis superveniens non multò pòst Godefridus Pappenheimius Comes, clarum jam tum bello nomen, cum sex millibus militum, adjunctísque sibi Löbelio, ac Breünero Tribunis, incompositos ad Efferdingam primùm aggressus nullo negotio vincit; mox trajecto Danubio fugientes insecutus, cùm in exitu annus esset, binis iterum præliis ita profligat, ut interfectis ferocissimis quibusque, reliqui se clementiæ victoris permitterent; pauci tantùm conscientiâ scelerum veniam desperantes fugâ se abripuere. Non defuerunt, qui existimarent de nobilitate multos perduellibus clàm faviisse; Cæsar quæstione abstinuit, fortè nè conspectior pœna illustraret culpam facilè in exemplum ituram.

A Pappenheimio profligantur.

Hæc ad annum XXVI. in Austria, medio Danici belli ardore, acta. Nec insequentis dispar fortuna fuit. Dani Silesiâ primùm, quò se paulò antè, à Wallensteinio profligati, è fuga receperant, non sinè clade depulsi; præcipui deinde nominis urbes tres Nienburgum, Northemium, Guelpherbytum ad deditionem coactæ; harum famam secutæ aliæ plures Glückstadium, Stada, Krempena, Rostochium; Rex ipse utut bellum instaurare summa ope niteretur, Tillio ac Wallensteinio vires jungentibus, in Holsatiam, Jutlandiámque suam rejectus est. Itaque satìs jam fortunæ inconstantiam edoctus, Holsatiâ ipsâ, & Chersoneso Cimbrica debellatis, nova insuper ad Wolgastum accepta clade, omnibus desperatis rebus, octavo denique supra vicesimum anno pacem bello præhabuit. Jam antè Cæsar arma perosus, Lubeccam Principes convenire jusserat; sex totos menses consultatio tenuit, dum anni demum sequentis principio pax in hunc modum finiretur: Holsatiæ Ducis prærogativâ contentus Rex ab Germania se reliqua abstineret: restitutis, quibus alios exuisset, sua ipse vicissim reciperet, útne quid tamen Imperatori de veteri in Holsatiam, Stormariam, & Ditmarsiam jure decederet.

Dani ubique malè accepti.

Pax Danica.

Cùm in ea parte, in qua Tillius, & Wallensteinius erant, ea fortuna esset, aliam in partem terror ingruerat. Italia ex obitu Vincentii Ducis Mantuani armis turbata. Exeunte septimo supra vicesimum anno sinè liberis vitâ excesserat: successore dicto, quem proxima cognatione attingebat, Carolo Duce Nivernensi. Iniquum id Hispani rati mox bellum parant, Sabau-

Bellum Mantuanum.

do, atque Imperatore FERDINANDO penè invito in armorum societatem pertractis. Nivernensis, quòd ab Gallia spes affulgeret, Cæsari, Imperióque, in cujus clientela Mantua est, ditionem suam acceptam ferre neglexerat: id illi vitio datum. Cùm appareret, Ducem, nisi armis ad obsequium cogi haudquaquam posse, juncta cum Danis pace Cæsar bellum in Italiam transfert. XXIX. anno vicena millia, lectus miles, instituto per Helvetios, Rhætiámque itinere, Mantuanum agrum torrentis instar antè inundant, quàm advenire fama nuntiâsset. Rambaldus Collaltus *Mantuâ captâ.* Comes exercitui suprema cum potestate præfuit. Venienti Germano prona omnia erant. Mantua magni inter Italicas nominis, & antiquæ opulentiæ urbs obsistere ausa, acri, ac diuturna oppugnatione fracta, altero pòst anno victori militi in prædam cessit. *Sopitur.* Pax deinde secuta est, in quam Cæsari, Galliæque Regi Ratisbonæ convenit: opportuno planè consilio, quòd jam tum atrox in Germaniam è Septentrione tempestas incumberet. Pacis leges fuere: Mantuæ, ac Montisferrati ditiones Carolus Dux Nivernensis, veniam à Cæsare precatus, reciperet; Sabaudus, cui plura à Gallis adempta erant, in integrum restitueretur; Galliæ Rex nè ullam unquam Austriacorum hostibus præstaret opem: talem vicissim se Cæsar Gallis præberet. Hæc tum ità sancita, sequenti demum anno firmata sunt.

Origo Sueici belli. Bellum inde Suecicum sequitur, à Gustapho Adolpho Sueciæ Rege XXX. anno seculi cœptum, Germaniæ funestissimum, & haud scio, an maximè memorabile omnium, quæ multis retrò ætatibus gesta sunt. Nam neque fortiores inter se gentes contulerunt arma: neque his ipsis tantum unquam irarum, aut pertinaciæ fuit; quando illis, victoriarum præmium, immensæ accessuræ erant opes: his extrema, si vincerentur, pernicies imminebat; certabatúrque utrinque pro Religione, quibus nulla sunt acriora studia. Adhæc Duces non sui tantùm, sed omnium temporum præstantissimi haud ignotas belli artes inter se, sed expertas aliis conferebant bellis. Et adeò varia armorum fortuna, ancépsque Mars fuit, ut, si pauca prælia demas, ferè semper neutri parti victoria læta admodum fuerit. Jam volenti bellum, causæ belli non deerant. Præcipuæ numerabantur: Polonos nupero bello à Cæsare commeatu, magno legionum numero adjutos, spe ad extremum facta, Germaniâ superatâ victrices copias in Sueciam ipsam trajectum iri; Balthici maris imperium, quod apud Sueciæ Reges hactenus fuerit, contra jus, fásque à Wallensteinio quæri; Stralesundam amicam Regi urbem obsessam, ac tantùm non ad extrema compulsam; Regios demum Legatos Danica pacificatione nullâ suâ causâ excluſos. Hæc in vulgus sparsa: reve-

reverà aliud ſuberat. Cæſar FERDINANDUS, omnibus per Imperium debellatis hoſtibus, veteri ſuo de inſtauranda Catholica Religione conſilio acrioribus multò, quàm antea, ſtudiis inſiſtebat. Ejectis nuper opinionum novarum Magiſtris, alia inſuper lata lege, omnes, qui diverſa à Catholicis Sacra ſectarentur, aut ad vetuſtam ſe Religionem referre, aut, ſi obſtinati eſſe pergerent, aliò demigrare jubet. Id cùm per Styriam primò, Carinthiam, atque Carnioliam: per Bohemiam deinde, atque Moraviam: denique per Auſtriam, & avitas ceteras ditiones opinione lætiorem exitum habuiſſet, majus aliquid animo complectens Princeps Optimus Germaniæ univerſæ ſalutem reſpiciebat. At non perinde id expeditum negotium fuit, ùt in avitis Provinciis; propterea quòd neque eadem ipſi in Germaniam reliquam, atque in iſtas, authoritas, neque par cauſa eſſet. Ex Imperii legibus agi placuit, ac inprimis ad pacis illius religioſæ normam: quam LXX. antè annis, Carolo V. Cæſare, Auguſtæ Vindelicorum, omnium aſſenſu, conſtitutam rejicere nemo auderet. Ergo reſtituenda in integrum, quæ Catholicis poſt id tempus erepta, Proteſtantes ſibi vendicâſſent, erant: ídque adeò FERDINANDUS XXIX. anno publica per Imperium lege edixit. Difficile dictu eſt, quàm ea res Proteſtantium omne nomen pupugerit, quorum multi erant opimis his ſpoliis, quàm patrimonio ditiores. Saxo inprimis, & Brandenburgicus Electores acerrimè obnitebantur. Cæſar immotus in ſententia perſtitit. Hoc irarum, & odii quoddam veluti ſemen fuit; inde turbatis omnium animis ſpe, metúque, jam denuò in factiones abibat Germania. Acceſſit aliud malum: numerus militum, in immenſum auctus à Wallenſteinio (centenis millibus haud pauciores erant) militaris adhæc diſciplinæ neglectus, & quæ inde exiſtere ſolent, querelarum materies; minuendum plerique cenſebant; nec defuere, qui crederent, FERDINANDUM id agere, ut oppreſſis Proteſtantibus, omnium libertati periculum ſtrueret: quantâ id quidem injuriâ Principis Optimi, nemo non videt. Itaque Germaniam providi illi homines ajebant defenſore opus habere; nec, qui Guſtavo præferri poſſet, Principem ullum eſſe. Jam ille antea ſibi animos Germanorum paraverat, non modò eorundem communione ſacrorum; ſed multò magis, quòd perfugium his præberet, qui Religionis cauſâ ſolum vertebant. Quidni autem, cùm tam prona cuncta haberet, bellum decerneret Rex, ùt in ætate florente, avidus gloriæ, & adjectâ nuper ad Imperium paternum Livoniâ, Boruſſiæque parte tumidus: quíque nulla potiore cauſa cum Polono pacem ſanciverit, quàm quòd jam diu Germaniæ inhiaret? hæc agitantem animo ſtimulabant Regum, Principúmque multorum legationes, ſolicitantium ad faciendum FERDINANDO bellum, &,

quòd nimio plus, quàm ſatìs tutum Europæ eſſet, res Auſtriaca creſcere videretur, ſocia arma offerentium.

Guſtavus Adolphus in Germaniam trajicit.

Itaque tanta rei bene gerendæ ſpe incitatus, illectus ad hæc Gallico auro, Germaniam armis invadendam magno Procerum ſuorum conſenſu decernit. Initia ſtatim belli ſe, quàm cogitari poteſt, lætiſſima dabant. Rugiâ, & Uſedomiâ Inſulis interceptis exercitum omnem in Pomeraniam trajicit. Jam non in maritimos modò agros conſpectu primùm claſſis, dein tumultu egredientium militum in terram, pavor terrórque pervenerat, ſed in ipſas urbes. Exercitus Cæſaris quantò viribus, atque numero militum exercitu Regio ſuperior, tantò Dux ipſe Rege inferior erat. Torquatus de Comitibus natione Italus præerat, ſenio feſſus, & haud ſanè par Regis juventæ, atque authoritati: quippe cui neque, ut Regem inſulis egreſſurum Pomeraniæ aditu prohiberet, conſilium, neque animus fuerit. At Guſtavus Stetinum admiſſus, Principem Regionis urbem, quam ſedem belli delegerat, adjecto in fœdus Haſſiæ Regulo, Stargardiam, Wolgaſtum, Garcium, Griffenhagam, magna ubique uſus felicitate, nullo ferè negotio capit.

Cæſar militum partem miſſione donat.

Hæc inter Cæſar, Comitiis Ratisbonæ actis, imperium militare Wallenſteinio ablatum, in quem plurimorum odia exarſerant, Tillio confert, juſtitiáque cauſæ fretus, ac nè nihil Procerum precibus detuliſſe videretur, numerum legionum imminuit. Decies mille ſacramento ſoluti, Suecica magnam partem ſigna ſecuti ſunt. Id hoſtile conſilium, & ab Auſtriaco Nomini inimicis FERDINANDO injectum fuiſſe, multa ſunt, quæ perſuadeant. Certè Khevenhillerus, rerum per id tempus geſtarum haud ſanè ignarus ſcriptor, unum aliquem refert, præcipui nominis dignitate ſacra conſpicuum, hanc opprimendæ Auguſtæ Gentis commodiſſimam rationem iniiſſe, ut hinc ad urgendam acerrimè ſacrorum bonorum reſtitutionem, inde ad exautorandum militem, nimio jam plus licentiâ ſuâ moleſtum, Cæſar induceretur; neque enim hunc dubitabat abreptum iri cooriturâ inde procellâ. DEI Opt. Max. nutu factum, ut res intra periculum ſtaret.

Proteſtantium Conventus Lipſiæ.

Annus XXXI. FERDINANDO, ſi ullus antè, infelix: Sueciæ rebus felix, lætúsque fuit. Principio ſtatim anni Ludovicus Galliæ Rex, Guſtavi partes amplexus, eosdem ſibi cum illo hoſtes, amicósque futuros icto fœdere ſancit: jámque, Pomeraniâ totâ ferè ſubactâ, moles belli in Marchiam incumbebat. Francofurtum nobilis, inſignísque opulentiæ urbs, ad Oderam ſita, prima ſtatim aggreſſione capitur. Nihil jam erat, quod victoris Regis impetum ferret. Sed aliunde gravior penè metus à Proteſtantibus

bus Germaniæ Principibus extitit: Saxone authore, coacto Lipsiæ cœtu, armorum societatem inierant, institutíque mox per omnes Provincias militum delectus. Id etsi suæ, suorúmque saluti fieri pro more contestarentur; tamen quòd nec exemplo probabili fieret, & imminerent undique bellorum novi motus, non poterat non intelligere Cæsar, aliò pertinere. Et verò jam satìs constabat, amicitiam Suecicam ambitiosè à nonnullis quæsitam: útne arma quoque conjungerent, Ducem defuisse; Saxo tum quidem dubius velut in utramque partem nutabat. Ceterùm ubi se armis à Tillio peti, occupatámque accepit Lipsiam, Gustavo palàm accessit, junctis etiam copiis. Id verò inauspicatum Tillio accidit. Aderat in castris Pappenheimius Comes, vetus, & multarum palmarum Dux, qui, quòd exercitus hostium nondum junctos existimaret, opprimi Saxonem posse ratus, Tillium antè urgere non destitit, quàm rerum summam in certamen committere decrevisset. Acre, diúque anceps prælium erat, ut propiùs periculum fuerint, qui vicerunt. Ad extremum, cùm nullum neque fortissimi Imperatoris, neque strenui militis Tillius omisisset munus, victoriam hosti cedere cogitur. VII. Idus Septembr. pugnatum est. Cecidere utrinque ad novem millia, Suecorum non multi, de Saxonibus plures: Cæsareorum damnum maximum extitit; prædæ tantum fuit, quantum esse ex prædivite, & nunquam victo exercitu potuit. Tillius collectis cladis reliquiis ad Visurgim primò, inde ad tuendos Austriæ, & Bavariæ fines contendit. Atque hæc illa est funesta ad Lipsiam clades, quæ omnem retrò victoriarum fructum uno velut momento Catholicis abstulit. At non vincere magìs Rex noverat, quàm victoriâ uti. Francofurtô, Herbipoli, Bambergâ, Moguntiâ, primi nominis urbibus, uno velut ardore subactis, quidquid Germaniæ cis Rhenum fuit, in spolium cessit, non magìs armatorum terrore, ac metu, quàm quòd plerique Religionis, ac libertatis scilicet vindicem complecterentur: his anno insequente Suevia, Bavariáque accessit, cum jam antea Saxo Pragâ, ac dein Egrâ sinè sanguine interceptis, Bohemiæ multò maximam partem suam feciisset.

Lipsiensis clades.

Eo rerum statu, simúlque universa Protestantium secessione territus Cæsar, tot hostibus impare Tillio, Wallensteinium ad militare imperium revocat, novo scribendo exercitui præfuturum. Tricena hominum millia trium non ampliùs mensium spatio sub signis censa sunt, solâ ferè nominis ejusdem famâ exciti. Cum his Bohemiam aggressus, aliquanto etiam faciliùs recepit, quàm priore anno amissa est. Tillius Gustavum Hornium Suecorum haud ignobilem Ducem Bambergâ ejicit, magna illata clade;

Wallensteinius rursus militi præficitur.

Tillius ex accepto vulnere occumbit.

clade; sed quam mox unius Tillii mors resarciret. Is Gustavum è Suevia in Bavariam irrupturum Lyci fluminis trajectu prohibiturus haud procul Reinâ oppido, ripas ejus insederat; ibi acri coorto certamine, dum se in mediam dimicationem infert, gravi accepto vulnere, & suorum animos turbavit, & ferociores hostes fecit; neque acie tamen antè excessit, quàm vires deficerent. Ingolstadium delatus paucis pòst diebus occubuit: Bellica laude clarissimus Dux, & omnium confessione tantus, ùt nemo illi ea ætate aut magnitudine rerum gestarum, aut famâ apud summos juxtà ac infimos par esset. Subinde & ad Norimbergam pugnatum est. Ad eam urbem uterque exercitus considebat. Cæsareani, quòd paulò antea Wallensteinius castra cum Electore Bavariæ conjunxisset, numero superiores speciem obsessi Regis præbebant; id ille ægrè ferens audax facinus aggreditur, & nec eventu probatum: cùm detrectari pugnam à Wallensteinio cerneret, munimenta castrorum vi expugnare contendit. Prælium erat anceps, summáque vi & Duces hortabantur, & milites pugnabant, multis ex utraque parte cadentibus; sed aliquantò tamen major Suecorum clades erat: túmque primùm Germania credidit, vinci Gustavum posse.

Pugna ad Norimbergam.

Et ad Luzenam.

Aliquamdiu inde mutuis velitationibus actum; ad extremum impetus belli in Saxoniam rursus desedit. Huc progressum Wallensteinium, amico Duci opem laturus Rex, quantâ maximâ poterat, celeritate consequitur. Duodena non ampliùs millia cum Wallensteinio in castris erant: Pappenheimius enim aberat; ceterùm illo, quòd pugnandum sibi cum Rege videret, properè revocato Luzenam ducit. Ibi instructa utrinque acie Idibus Novembribus prælium cœpit cruentum inprimis, Regíque ipsi fatale. Is dum nutantes suos voce, exemplóque ad pugnandum hortatur, brachium glande trajectus, cùm emanante largiter sanguine, ægrè jam sese equo sustentans, aberránsque à suis longiùs, in cohortem Cæsareanorum incidisset, binis adhuc vulneribus confectus interiit. Ceterùm ea Regis mors, per exercitum statim vulgata, nihil Suecos conterruit, tantóque impetu in Cæsareos itum, ut jam labascere videretur acies, quidquid contrà Wallensteinius obniteretur, fugámque multi spectarent. Ità laborantibus in tempore affuit Pappenheimius; atque, hoc prima statim aggressione secundùm femur lethali vulnere saucio, Octavius Piccolomineus, quinque amissis equis, septies tentata irruptione, sex acceptis vulneribus, intrepidè inter medios hostes ad finem usque persistens. Novem millia cæsa feruntur. Obstinatè pugnantes nebula primùm, nox deinde diremit, incertámque adhuc victoriam Wallensteinius hosti adjudicavit, quando non expectata

Cadit Gustavus Adolphus Suecia Rex.

pectata luce, relictis machinis bellicis, campo excessit. Quanquam omni victoria lætior mors accidisse videri potest Regis, Germaniæ tam infesti. Hæc ad annum secundum supra trigesimum gesta; memorabilis certè fuit Gustavi Regis, Tillii, & Pappenheimii, maximorum trium sui temporis heroum, ex hac vita excessu. Hos insecutus Fridericus Palatinus, ille tot bellorum auctor, & Germaniæ funus, Moguntiæ Novembri mense extinctus est.

Miſera Germaniæ hoc tempore conditio.

Cæso apud Luzenam Rege, cùm sublatum partium esset caput, & utriusque fortunæ mutuo experimento brevi optata pax reditura videretur, res contrà accidit, Oxenstirna, Suecicarum rerum secundo post Regem arbitro, cum superioris Germaniæ Protestantibus Heilbrunnæ arctius in bellum fœdus affirmante. Misera erat per id tempus Germaniæ facies, cujus omnes penè Provincias hostilis quispiam exercitus obtineret: Sveviam, Alsatiámque Gustavus Hornius: Bernardus Dux Vinariensis Palatinatum, atque Bavariam: Georgius Luneburgi Dux cum Dodone Kniphusio Westphaliam, &, quæ ad Visurgim sunt, ditiones: Saxoniæ Elector Lusatiam, Silesiámque incursionibus suis infestas haberent. Ac jam Galli quoque, accepta à Trevirensi Electore Philippo Christophoro Ehrenbreitsteinâ, validissima ad Rhenum arce, Treviri occupata, Rheno appropinquabant. Porrò ad rerum summam XXXIII. anno nihil admodum actum est. Occupata à Wallensteinio Silesia; Bavarus, Suecis per hyemem ditione sua ejectis, & jam recuperatis aliquot Sueviæ locis, Augustæ imminens Hornium ad Danubium superat. Ad Hameliam contrà Cæsareanos fundit, fugátque Kniphusius.

Nordlingana victoria.

Annus XXXIV. victis, cæsísque ad Nordlingam hostibus clarus fuit. Wallensteinio, quòd cum hoste consilia miscuisse diceretur, interfecto, supremam rei militaris præfecturam FERDINANDUS suscepit Hungariæ, Bohemiæque Rex, Cæsaris Filius. Cum novo Duce etiam belli fortuna vertit. Ferdinandus, Ratisbonâ, quam superiore anno Vinariensis ceperat, expugnatâ, Nordlingam Sueviæ urbem valido Suecorum præsidio firmatam obsidione cinxerat. Præstò aderat illi junctis copiis Ferdinandus alter Hispaniarum Princeps, Cæsaris ex Margarita sorore nepos, regendo Belgio destinatus. Ibi dum in amicæ urbis auxilium hostes approperant, brevi res huc progressa est, ut belli summa universo certamini permitteretur. Cæsareorum tria supra decem equitum millia, vicena peditum erant: hostium decies mille pedites, equitum sedecim millia. Prælium, ùt quod maximè unquam, pari spe, & utrinque æquis propè viribus commissum est. Vinariensis dextrum hostium cornu, Hornius sinistrum regebat: clari ambo Duces, & vincere assueti. Suecis ferociam augebant

novæ res geſtæ, & per hos annos geminatæ victoriæ: Germanos contrà parta jam olim decora, & per tot annos continuatæ victoriæ accendebant. Aliquamdiu jam pugnatum; atrox undique cædes: fuga ab nulla dum parte erat, donec omni denique vi adnitentibus noſtris hoſtes pedem referrent. Trepidantibus jam, aliunde quoque terror injectus eſt. Munimentum Cæſareani obtinebant editiore loco: id cuniculo ſubrutum cùm occupâſſent Sueci, conſultò cedentibus noſtris, ſubjecto infrà, & incenſo Sulphureo pulvere, momento in ſublime cum omnibus ſuperſtantibus excutitur; latè patuit ea ſtrages: túmque planè inclinari hoſtilis acies; tum capi, occidi Suecus. Duodecim millia hoſtium in acie cæſa feruntur, capta ſex millia, atque hos inter Hornius ipſe Dux, cum præcipuis quibusque Tribunis, LXXX. præterea majoribus machinis, CCC. utriusque generis ſignis. Ingens certè damnum acceptum, atque inter paucas memoratam cladem fuiſſe, & haud dubiè Lipſienſi parem vindicémque Sueci ipſi fatebantur. Victoribus aperta omnia fuere: Bavaria, Franconia, Alſatia, Suevia. Herbipolis, Heidelberga, Auguſta, aliæque penè omnes in eo tractu urbes vi, aut voluntate ad obſequium rediere.

In Styria tumultuatum à ruſticis.

Hæc inter nec Styria ab armis immunis fuit. Anno XXXV. Plebs ruſtica Cilejæ, neſcio qua intemperie concitata in ſeditionem erupit. Undique armati in Dominos, Inferiorem præcipuè Styriam in terrorem dabant. Res proximè periculum erat, niſi auxilio advolans cum Balthaſare Gallero, & Mariano Tribunis, Schwarzenbergius Comes, tuendis Sclavoniæ finibus tum præpoſitus, immiſſo in tumultuantes milite, procellam ſedâſſet.

Saxoniæ Elector ad Cæſareas partes redit.

Sed jam cetera exequamur. Victis ad Nordlingam Suecis, cœpit aliquando Germania ſeſe reſpicere, victoriæque ejus fructus longè pulcherrimus extitit Saxo Cæſari redditus, & Germaniæ Regnum Ferdinando III. delatum. Dudum huc Cæſar mentem adjecerat, ægrè inductus, ut adversùs Principem, ceterà ſibi amicum, arma ſumeret: pax biennio antè tentata Pragæ demum ad tertium decimum Kalend. Junias Anni XXXV. concluſa eſt. Acceſſere fœderi Brandeburgenſis, Luneburgicus, Pomeraniæ Duces, aliíque non pauci: ſolo ferè inter Imperii Proceres Wilhelmo Haſſiæ Regulo in amicitia Suecica perſiſtente. Rebus ità compoſitis Cæſar curis, ætatéque fractus Ratisbonam Principes evocat, de ſucceſſore deligendo conſultaturos. Jam rebus geſtis, & profligatis nuper fortiſſimis hoſtibus, reſtitutáque ſibi Germaniâ clarus erat Ferdinandus Cæſaris Filius: cui cùm neque ſe quisquam, nec factionis ſuæ alium quendam præferre auderet, ad unum omnes Ferdinando Germaniæ Imperium defe-

Ferdinandus III. fit Romanorum Rex.

ren-

rendum decernunt. Ergo ad XI. Kalend. Januarias XXXVI. anni Romanorum Regem jubent, III. deinde Januarias Regni insignibus ornandum.

Ferdinandus Imperator moritur.

Hoc postremum operum Cæsari FERDINANDO fuit: inde, cùm in pejus abiret valetudo, Viennam reversus octavo, postquam advenisset, die (XV. Kal. Mart. erat anni supra trigesimum septimi) vitâ excessit, perinde ut si nullam jam vivendi causam haberet, qui Germaniæ Imperatorem dederat sibi simillimum. Nonum & quinquagesimum annum ætatis vivendo attigerat.

Ejus virtutes.

Maximarum virtutum Princeps, sed inprimis tuendæ Catholicæ Fidei studio longè omnium, qui antè fuerunt, Imperatorum clarissimus. Sæpe voce, sæpe scripto testatus est, omnibus se Provinciis, Regnísque multò renuntiare malle, quàm committere, ut ullam se vivo labem Religio Catholica acciperet; nec sanè desunt, qui illo ejus ardore, ac operâ centies centena hominum millia à novitiis opinionibus ad vetusta Sacra traducta existiment. Summa in omnes, etiam hostes, facilitate, cùm penè universam Europam sibi adversantem haberet, palàm edixit, neminem unum in orbe terrarum esse, cui malè vellet; ut jam in vulgus obtineret: gratiâ apud Cæsarem prævalere, qui graviùs offendisset. Singulare quidpiam constantia Principis habuit. Eo tempore, quò post Nordlingensem victoriam de pace cum Saxoniæ Electore agebat, etsi non ignoraret, quantum rebus suis momenti ex ejus amicitiâ Principis accederet, nunquam tamen adduci potuit, ut Religionis libertatem, quam is deprecabatur, avitis ditionibus suis permitteret. Hungariæ coronam à Bethlehemo, Bohemiæ à Palatino sibi ereptas eodem animo tulit, quô ceteri accipiunt; ut adeò experiri Cælum videretur voluisse, quid excelsa virtus possit in solio collocata. Nemo facilè omnium ex Austriaca Domo Imperatorum plures, graviorésque hostes passus est; quos ille tamen omnes aut patientiâ vicit, aut armis fregit. Nec dubitabat Bethlehemus asserere: difficile, ac plenum periculi opus aggredi, qui FERDINANDO adversaretur.

Munificentia.

Munificentia, Clementiáq; ejusmodi fuere, ut ex hac sola Cæsarem nosceres. Quo in Ordinem nostrum animo fuerit, propè pudet dicere; adeò longè, & præterita omnia, & futura merita excessit. Viennensis, & Pragensis Professorum Domus, Viennense item ad S. Annæ, Leobiense, Labacense, Clagenfurtense, Goritiense, Kutenbergense, Litomericense, ac Glogoviense Domicilia nostra FERDINANDUM Conditorem habent; Viennense, Lincense, Passaviense, Tergestinum, Styrense, Zagrabiense, ac præprimis Græcense hoc nostrum Collegium atque Academiam adeò auxit, ut alter ejus Conditor, atque Parens dici ex vero possit. Jam pietate in DEUM tanta erat FERDINANDUS, ut hìc tantùm ab illa sua perpetua animi moderatione recessisse videretur, si excedere

modum in colendo DEO tenuitas humana posset. Nihil unquam tam præter opinionem, atque arduum accidit, quod illam unicè Cælo intentam mentem à fiducia sua posset dejicere. Et verò quàm studiosè res FERDINANDI DEUS curaret, penè dicam, prodigiis ostendere visus est. Omnium certè constans fuit opinio: non alio magìs vulnere in Luzensi pugna interiisse Gustavum Regem, quàm quod FERDINANDI virtus inflixerit: notârúntque non pauci, eodem ferè tempore infestum FERDINANDO Regem in acie cecidisse, quo ille publicam supplicationem comitatus pias ad DEUM preces fudisset. Tam luculenta virtus admirationi omnibus erat, fuítq; una omnium vox, quo die Viennæ mortem oppetiit, occubuisse Cæsarem, cui parem sanctimoniâ, integritate, clementiâ superior ulla ætas non viderit. Amurathes ipse, Othomannici nominis Imperator, FERDINANDI funus publico apparatu Constantinopoli passus est celebrari; nec ægrè tulit funebri pompæ sceptra, coronásque adhiberi, majestatis insignia.

Habitus corporis. Atque ut illud etiam adjiciamus: staturâ nec immodicâ, nec pusillâ erat. Exporrecta frons: candidi, facilésque mores, gravitate temperati: totius corporis habitus laborum, quos in Imperii administratione graviſſimos habuit, mirè patiens. Venatione ad firmandam hac exercitatione valetudinem: Musicâ ad sevocandum à curis animum nonnunquam usus est.

Sepultura. Demortui cadaver Græcium magnâ pompâ translatum, in Mausoleo, quod ipse sibi quarto decimo seculi anno magnifico opere excitârat, conditum jacet; cor Principis Optimi auro inclusum ad D. Claræ sacras Virgines delatum, Maternis cineribus appositum est. Sexcentesimo anno Græcii Conjugem primùm adscivit Mariam Annam, Guilielmi Bavariæ Ducis filiam. *Liberi.* Ex hac liberos sex, mares & feminas æquo numero sustulit: Joannem Carolum, Ferdinandum Ernestum, Leopoldum Guilielmum, Christinam, Mariam Annam, Cæciliam Renatam. Ex his prior Maximiliano Bavariæ Electori: posterior Uladislao Poloniæ Regi matrimonio juncta; Christina eodem, quo nata est, die vivere desiit. Carolum, DCV. supra millesimum anno natum, mors præmatura extinxit anno undevigesimo, eidem Græcensi cum Parentibus Mausoleo illatum. Ferdinandum Imperii succesſorem deinde dicemus. Leopoldus Guilielmus sanctiórne Præsul, an præstantior esset belli Imperator, dubium reliquit. XIV. seculi hujusce anno natus, LXII. vitam posuit. Matrimonium alterum cum Eleonora Mantuæ Ducis Vincentii Filia Oeniponti XXII. anno junctum est, postquam sexennio antè Maria Anna mortem oppetiisset. Nulla ex hoc matrimonio soboles extitit. Ceterùm maximarum ambæ virtutum Principes erant, dignæ planè, quas FERDINANDUS amaret. Eleonora ad annum usque LV. superestes vixit.

FER-



Christ. Dietell sculpsit Gracij.



FERDINANDUS III.

Imperator.

DUX STYRIÆ XX.

FErdinandi II. optatissimi Principis mors intempestiva, flagrantibus adhuc bellis, funesta Reipublicæ universæ acciderat; nisi publicum dolorem abstersisset successor Filius FERDINANDUS III. non paternarum magis ditionum, quàm virtutum, gloriæque hæres: & penès quem pacatæ post annorum triginta intemperiem Germaniæ laus immortalis futura esset. Acie victo ad Nordlingam hoste, redintegratâ Cæsarem inter, atque Saxoniæ Electorem amicitiâ, nemo erat, quin Suecos Germaniâ aliquando tandem exactum iri speraret. Neque id longè admodum aberat. Septimo supra tricesimum anno Hatzfeldius, Gallassius, Gehlenius Cæsarei Duces Bannierium, atque Vrangelium in Pomeraniam usque persecuti, Usedomiam Insulam, quæ inter primas Suecicâ illâ procellâ hausta perierat, capiunt: Sueci in extremum maris Baltici angulum rejecti, ægrè jam se tribus oppidis Anclamio, Stetino, & Stralesundâ sustentant. At inclinantes hostium res Ludovicus erexit hujusce nominis XIII. Galliæ Rex, seu verius is, qui Ludovicum regebat, Armandus Richelius primæ admissionis Minister, callido quidem, sed haud scio, an probabili satis ad posteros consilio in Germania fovens, quos in Gallia sibi opprimendos putabat. Sancito, quod aliàs diximus, fœdere, etsi hostes Germaniæ, Cæsarisque Galli essent, nondum se pro hostibus palàm gerebant: auro, & velut ex insidiis aliquandiu actum, dum è domesticis demum turbis evoluti, apertè armis rem gererent. Pertracto in partes suas Philippo Christophoro Trevirensium Præsule, Augustam Trevirorum valido præsidio firmant, provisuri, quod Gallicus Auctor scribit, pro more suo, nè quid Præsul à Sueco, aut Cæsare damni acciperet. Philippoburgum deinde validissimam ad Rhenum arcem, quam paulò antè Sueci diuturna obsidione expugnârant, loci situ capti naturâ, operibúsque munitissimi, pecuniâ emptam belli sedem constituunt: nihil jam moræ erat, quin abrupta pace, sociatísque cum hoste studiis, Cæsari, ac Hispanis bellum denunciarent. Neutri parti satis lætum initium belli fuit. Galli Philippoburgo Trevirisque

Ferdinandus III. succedit Parenti Ferdinando II.

Galli Suecorum res in Germania sustentantes

Trevirim occupant.

Ac demũ Germaniam bello petunt.

rísque ejecti: eorundem agmen, quod Bernardo Vinarienſi junctum, adſitas Rheni ditiones hoſtiliter incurſârat, à Gallaſſio Cæſareo Duce malè mulctatum, amiſſis machinis bellicis, vulneribus, quàm ſpoliis gravius rediit; Gallaſſius contrà Burgundiam invadens fame, ac penuriâ rerum tantam cladem accepit, quantam illaturi Galli non fuerant. Ceterùm in Hiſpanos potior belli tempeſtas incubuit; in Germania biennio ferè tumultuoſis hinc, atque illinc excurſionibus invicem nihil dictu ſatìs dignum actum eſt.

Cæſareani ad Rhenũ victores primùm.

Octavo & trigeſimo anno victi Cæſareani, victorésque fuere. Vinarienſis adjuncta ſibi Gallorum non contemnenda manu Rhenofeldam ſitu, operibúsque prævalidam obſidione cinxerat. Exciti urbis periculo Savellius Werthius, Enckenfortius, Sperreuterus, & Fürſtenbergius, experti ceterà Duces, fuſis Gallis, & trans Rhenum rejectis, Vinarienſem ab obſidione depellunt quidem; ſed is quatriduo pòſt negligentiùs ab re bene geſta agentes repentè adortus, turpi clade affecit. Magnus cæſorum numerus fuit: Duces omnes cum Tribunorum præcipuis capti. Victoriam, etſi non incruentam hoſti, clariorem fecit deditum mox, & expugnatum pari celeritate Friburgum, urbésque aliæ non paucæ. Briſacum non armorum vi, ſed extrema fame coactum, cùm in exitu annus eſſet, in deditionem venit, longè munitiſſima ad Rhenum urbs, cum qua cecidiſſe unà Germaniæ fortuna videri potuit. Nihil non egêre noſtri, ut obſeſſæ occurrerent: Vinarienſis virtus, & Guebriantij Gallici Ducis felicitas prævaluêre. Præda ingens fuit; machinæ bellicæ majores ducentis plures: ut vel hinc urbis magnitudinem noſcas. Vinarienſis hoc immortali edito opere, velut munere ſuo perfunctus, altero pòſt anno Neoburgi Alſatiæ civitate peſte afflatus diem extremum obiit: rebus geſtis longè ſupra ætatem clarus (quintum ſupra trigeſimum annum vitæ paulùm exceſſerat) magnitudine animi, felicitate, bellicis aliis laudibus inter ſummos Imperatores annumerandus. Extrema voluntate Briſaci ſibi tumulum ſtatuit: ut idem & fortitudinis præmium eſſet, & gloriæ monumentum. Vinarienſis miles Duce orbatus, dicto Regi ſacramento, in Gallicana caſtra traductus eſt; Gallorum etiam, quod magìs illi agebant, cum Friburgo, & Burgundiæ nonnullis locis Briſacum fuit, iisdem Weſtphalica dein pace adjudicatum. Haud nihil ambigam, gravióre hâc unâ jacturâ clades toto bello accepta ſit; quando liberum jam hinc Gallis erat, Germaniam, quandocunque id libuiſſet, armis impetere.

Deinde victi.

Sueci Briſacum capiunt.

Ducis Vinarienſis mors.

Succedit ei Bannierius.

Vinarienſis morte in pejus abibant Sveciæ res: collabentes Joannes Bannierius ſuſtentavit. Is uno anno tribus præliis victor, cùm non paucas Cæſareas legiones, capto etiam Saliſio Du-

Duce, concidiſſet, Saxoniam, Thuringiam, Miſniam, Bohemiámque omnem percurſans, Pragæ ipſi copias admovet, non magìs ſpe potiundæ urbis, quàm ut victoriam oſtentaret. Hæc inter pacis quasdam conditiones offert, ſed quales victis victores ſolent: injuriarum ut obliteratâ memoriâ in eum locum cuncta reponerentur, quô ante hoc cœptum bellum ſeculi anno XVII. fuerant, quod nihil aliud erat, quàm Germaniam in novas turbas committere. Facilè apparebat, pacem, niſi armis, obtineri non poſſe; itaque inſtitutis, quanta nunquam antea contentione, novis delectibus, quidquid præterea veteranorum militum per Auſtriam, Styriam, ceterásque hæreditarias ditiones, erat in Bohemiam convenire juſſit: His omnibus FERDINANDUS Cæſar ſummo imperio Leopoldum Guilielmum Fratrem præfecit; adjuncto, quem è Belgio exciverat, Octavio Piccolomineo, notæ jam fortitudinis Duce. Brevì intellectum eſt, quanti ad belli fortunam referat præſtantem militi imperare Ducem. Leopoldus dubio adhuc vere ex hybernis movens Svecos non magna vi Bohemia ferè omni depulſos, recedentésque in Miſniam primò, mox in Thuringiam Erfordiam uſque inſequitur, oppreſſâ etiam equitatûs parte ad tutandum ſupremum agmen relicta. Rediit mox Bannierius Gallicis, Haſſicis, Luneburgicis copiis auctus, ſed quod notis utrinque artibus certarent Duces, fugiendúmque ſibi prælii diſcrimen ambo cenſerent, nulla alia memorabili geſta re anni XL. æſtas extracta eſt.

Cæſareis copiis præficitur Leopoldus Cæſaris Frater.

Is, qui ſecutus eſt annus, annus Bannierio fatalis fuit. Palatinatum ſuperiorem, Franconiam, Sueviámque depopulatus repentè ad ipſius Ratisbonæ muros copias promovet, ubi tum Cæſar cum Imperii Principibus de Republica conſultabat. Ingens, ùt in re inopinata, terror: erántque multi, qui crederent urbem intercipi potuiſſe, ſi omiſſis populationibus univerſi exercitûs viribus res gereretur; Cæſaris, Imperiíque fortuna eam hoſti mentem injecit, ut populari, quàm vincere mallet. Hìc omiſſam è manibus victoriam nova alibi calamitas excepit: Schlangius cum equitatûs Suecici flore iniquo loco à Piccolomineo, & Mercyo deprehenſus, itáque circumventus eſt, ut ſe cum omnibus ſuis (non minus quatuor millia erant) dedere cogeretur. Bannierius ipſe intellecta clade fugienti ſimilis in Miſniam recedens, prementibus undique hoſtibus, ægrè evaſerat, actúmque erat de Suecico in Germania Nomine, ſi fortunâ uti ſuâ Cæſareani noviſſent. Bannierius haud ità multò pòſt è morbo, quem in fuga contraxerat, Halberſtadii ad XIII. Kalend. Junii obiit, ſucceſſore, qui rem militarem adminiſtraret, dicto, abſente licèt, Leonardo Dorſtenſohnio. Id tanti viri de Leonardo judicium probavere poſtea

Bannierius Ratisbonam ducit.

Equitatûs Suecici clades.

Dorſtenſohnius Bannierii defuncti locò Sue-

cicæ militiæ Præfectus.

poſtea Sueciæ Senatores, ac multò ipſe magìs rebus præclarè geſtis affirmavit. Secundo ſupra quadrageſimum anno relictâ Sueciâ Germaniam petiit. Jam antea Köningsmarckius Suecorum pariter Dux Cæſareanos omni propè Saxonia ejecerat. Dorſtenſohnius mox ab adventu, luſtrato exercitu, recto itinere per Saxoniam in Luſatiam, ac dein Sileſiam perrumpens, Glogoviam majorem, regionis caput, tanta vi oppugnare adortus eſt, ut uno, atque eodem die caperetur. Inde cùm, Franciſco Alberto Lauenburgico Duce, qui cum ſeptenis millibus Cæſareanorum occurrerat, fuſo fugatóque, tota propè Sileſia ſubacta in ditionem eſſet, in Moraviam vertit iter; Olomucium, quæ princeps eſt Moraviæ urbs, minora item oppida non pauca, alia vi, alia deditione occupat: perpopulatâ demum omni Moraviâ, Sileſiáque, & præſidiis firmatâ, in Saxoniam redux Lipſiam fatalem Cæſareanis urbem coronâ cingit. Excivit ea res Leopoldum Guilielmum Archi-Ducem, & Octavium Piccolomineum, ut contractis, quidquid uſpiam virium eſſet, in hoſtem ire decernerent. Dorſtenſohnius cùm primùm noſtros adventare audíſſet, omiſſa urbe venientibus obviam procedens nullâ factâ morâ ſuos in aciem educit, pugnandíque copiam facit. Eodem propè loco, quo ante decennium Guſtavus Rex Tillium profligârat, paribus animis, nec multo diſpari fortuna inter infeſtas utrinque acies concurſum eſt. Cæſareani magna vi, ac virtute coorti, cùm aliquoties Suecos loco pepuliſſent, ad extremum victi ipſi, & loco pulſi hoſti victoriam ceſsêre. Equitatu fugam præcipitante, pedites plerique omnes cum magno numero impedimentorum, apparatúque omni caſtrenſi in hoſtium poteſtatem venêre. Victoriam auxit Lipſia paucorum dierum oppugnatione ſubacta. Atque hæc eſt pugna Lipſienſis, alteri illi cladi nobilitate propè par; etſi illis, quæ poſt pugnam accidêre, levior; quia ab hoſte ceſſatum eſt. Leopoldum infelix prælii exitus adeò pupugit, ut ſeverè in eos, qui defuiſſent muneri ſuo, animadverteret. Matelottiana legio tota, quòd haud dubiè initium fugæ ab ipſa profectum eſſet, veteri more decimata: Matelottus Legionis Tribunus Pragæ capite plexus eſt. Ceterùm acerbior ea clades accidit, quòd jam antè apud Ubios in agro Kempenſi adversùs Guebriantium Gallicum Ducem res infeliciter geſta eſſet: cecidêre noſtrorum duo millia: ter mille capti cum Lambojo ductore, & militaribus ſignis CXLVI.

Luſatiam, Sileſiam, Moraviam occupat.

Pugna ad Lipſiam Cæſareis infelix.

Guebriantius Gallicus Dux victis Cæſareanis

Moritur.

Minimè diuturna Guebriantio victoriæ ejus lætitia fuit. anno XLIII. Rotevillam oppugnans minoris machinæ globo ictus, capta urbe victor, è vulnere periit, multís verſisque laudibus à Gallis ſuis cohoneſtatus; ſed quas omnes una illa laus ſuperat, quòd

quòd Germanos non ſemel in metum dederit. Mortem Ducis inopinata exercitûs clades ſecuta eſt: diſperſos, vagósque prope Tutlingam Gallos Joannes Werthius adeò accuratè omnes velut indagine cinxit, ut penè antea, quàm id ſenſiſſent, captos teneret. Paucis admodum fugâ elapſis, ceteri omnes ſummi infimíque, pecuniæ adhæc, & apparatûs bellici magna vis in poteſtatem victorum venêre. Nec lætiora Gallis fuere auſpicia inſequentis anni. Ad Friburgum Brisgoviæ urbem caſtris probè munitis confidentes noſtros aggreſſi Anguinius, & Turenius Duces magna ſuorum ſtrage depulſi ſunt: ſex ferè millia cecidere. Acris fuit pugna, & præter morem Gallorum pertinax, quòd ſe numero prævalere ſcirent; duo enim, & vicena millia cenſebantur: ac niſi multitudine ſuperâſſent noſtros, haud dubiè ſummæ rerum diſcrimen adituri erant. Reparato ſubinde exercitu præcipui nominis urbes Wormatiam, Spiram, Moguntiam, &, quæ una cladem reſarciit, Philippoburgum cepere.

Gallorum ad Friburgum clades.

Dum hæc ad Rhenum aguntur, novum aliunde bellum exortum ab Georgio Ragotzio Tranſylvaniæ Regulo. Violatam à Cæſare Hungariæ libertatem (tot bellorum ad Hungaros incitamentum) neſcio unde cauſatus, arma ſumpſerat, ferebatúrque LXX. ſuorum millibus Caſſoviam ſuperioris Hungariæ urbem invaſiſſe. Eum impetum hoſtium brevì repreſſit Bucheimii Comitis luculenta virtus; is effusè vaſtantes cum Cæſarei exercitûs parte, ac fida Hungarorum manu aggreſſus, numero licèt multò inferior, mulctatósque ad petendam anno ſequente pacem adegit: tantum ad victoriam momenti præ quibusvis viribus habet fortitudo Ducis juncta prudentiæ. Haud difficilè pacem roganti indulſit Cæſar feſſus bellorum, & in novam eam, quæ ab Suecia imminebat, tempeſtatem intentus.

Bellum Tranſylvanicum

Brevì ſopitum.

Dorſtenſohnius à profligatis Danis, quibus arma intulerat, quadrageſimo quarto exeunte anno in Germaniam redux, omni vi inſtaurato bello, peſtem non jam Moraviæ, Sileſiæque modò, ſed ipſi, ſi poſſet, Auſtriæ inferre aggreditur: jámque oppreſſo, quem venienti Mathias Gallaſſius objecerat, peditatu, Bohemiæ inferebat ſigna. FERDINANDUS Cæſar ad famam redintegrati belli Pragam profectus, Melchiorem Hatzfeldium Comitem jubet in hoſtes properè exercitum ducere. Dicto paruit Comes, magnísq; itineribus Jankovium, ubi tum copiæ Suecorum erant, progreſſus, mox laceſſito hoſte in aciem ſuos educit; nec detrectavit certamen Droſtenſohnius, pedibus licèt æger lecticâ per exercitum circumferri (tanta inerat animo vis) opus haberet. Februario menſe XLV. anni concurſum eſt, & utrinque atrociter; nam cum ab ſole orto in multum diei prælium extendiſſent,

Dorſtenſohnius victis Cæſareis

diu neutrò inclinata acies ſtetit: integri, recentésque à feſſis pugnam accipiunt, nihílque neque apud Duces, neque apud milites remittitur à ſummo certamine animi; ad extremum fortuna in hoſtes vertit. Peditum præcipua ſtrages fuit; magno numero cæſi, nec minus quatuor millia cum Hatzfeldio Duce, ac primoribus Tribunorum vivi in poteſtatem hoſtium venêre: equitatûs major pars, rebus deſperatis, fugâ cædem præcepit. Dorſtenſohnius tam inſigni victoria haudquaquam ſegniter uſus, raptim percurſatâ Moraviâ, arma ad Danubium uſque protulit, expugnatis etiam Crembſio, & Steinâ non ignobilibus Auſtriæ oppidis, quæ hodiedum indicia exhibent non pauca Svecicæ humanitatis. Ingens terroro mnium animos occupat; ipſéque adeò Cæſar Ferdinandum, & Leopoldum Filios ſecuritatis causâ Græcium miſit: magna id quidem Academiæ noſtræ felicitate, cui id honoris ambo Principes habuêre, ut ejusdem alumnis nomina ſua adjungi paterentur. Tam læto rerum ſucceſſu ad Brunam demum Moraviæ totius munitiſſimum propugnaculum impetus victoris adhæſit: longa illic, difficilíſque oppugnatio, & poſtremo irrita fuit, ſatísque conſtat, plus ibi militum, quàm ſi juſta acie dimicatum foret, Dorſtenſohnio periiſſe; adeò incertis, levibúsque ſæpe momentis armorum fortuna vertitur.

Populationes in Auſtriam usque profert.

Remittente deinde belli furore aliquandiu paribus ferè animis, paribúsque damnis certatum eſt, alternante, ùt fit, fortuna. Galli ad Mergentheimium victi à Mercyo, Bavarorum ductore: ad Allersheimium redintegrato prælio vincunt, Mercyo inter primos cadente. Carolus Guſtavus Vrangelius, quem Dorſtenſohnius, abdicato imperio militari, ſucceſſorem acceperat, cùm Lindaviam urbem ineunte Anno XLVII. difficili oppugnatione trimeſtri ſpatio nequidquam fatigâſſet, Egram inſpectante Cæſareano exercitu multo licèt ſanguine, ac labore expugnat. Bohemiâ deinde à Melandro Duce ejectus, altero pòſt anno victor, totam ferè, quæ intra Oenum eſt, Bavariam armis ad deditionem cogit. Eodémq; tempore Köningsmarckius, Pragenſi arce cum ea urbis parte, quam Parvam Pragam vocant, celeritate, ac dolo occupata, nè ſe in Veterem quoque, ac Novam Urbem eodem inpetu penetraret, Coloredi, & qui huic auxilio venit, Bucheimii Comitum egregia fortitudine prohibetur. Ea ſpe opprimendæ urbis dejectus ad oppugnandam animum flexit. Acris, & diuturna oppugnatio, ſed longè infra obſeſſorum virtutem fuit, adnitentium omni ope ad abolendam hac ſua in Cæſarem fide ſuperioribus annis hauſtam labem. Attulit his demum malis optatum finem promulgata Novembri menſe Germani-

Vrangelius Sueco-rum Dux, Dorſtenſohnii ſucceſſor.

Sueci Pragam obſident.

maniæ pax: miro planè eventu, ut unde primordia ſua ſumpſiſſet bellum, ibidem & conſeneſceret.

Cùm jam diu Cæſar ad reſtinguenda armorum incendia mentem adverteret; Coloniæ primùm, dein Lubecæ, poſtremò & Hamburgi multis antè annis de pace tractari cœptum eſt, parùm proſpero exitu. Quadrageſimo ſeculi anno Ratisbonam profectus Imperii Ordinibus evocatis id egerat, ut ſtabilitis, quæ jam olim Religionis causâ Auguſtæ Vindelicorum ſancitæ eſſent, legibus, aliquando tandem funeſto bello finis imponeretur. Jámque delectæ Monaſterium, & Osnabruga Weſtphaliæ civitates erant, ad quas Principum Oratores ſtatuto die adeſſent: is dies octavus Kalendas Apriles XLII. anni, ac ſubinde quintus Idus Julias tertii ſupra quadrageſimum anni fuerat. Ut nè ſeriò ſtatim res ageretur, Julius Mazarinus moram injecerat, qui Richelii locò nuper vitâ functi Galliæ res adminiſtrabat. Inſtaurato cum Suecis fœdere, Provincias inſuper, quibus bellum ab utrisque faciendum eſſet, copiarúmque numerum ſupremus ipſe belli Imperator decernit: nec jam præterita ſolùm ſtipendia nondum ſoluta Suecis numerat, ſed nova etiam quadringentorum millium florenûm Rhenenſium in ſingulos annos paciſcitur. Itaque jam velut redintegratis ſtudiis ab utrisque ad arma decurſum eſt. Ad hæc novus repentè ab Electore Bavariæ Maximiliano metus acceſſit. Is ad Suecorum, Gallorúmque promiſſa haud planè ſurdus factis induciis à communi Germaniæ cauſa, quam tot annis, tantáque ſuâ gloriâ defenderat hactenus, diſceſſionem fecit: nihílque propiùs abfuit, atque ut arma in Cæſarem ferret. Sed cùm pactis conditionibus egregij illi pacificatores minimè ſtarent, & imperioſiùs adhæc, velut qui jam debellâſſent, omnia agerent, ægrè ferens deluſum ſe ab hoſtibus Dux, abruptis mox induciis, Cæſari ſe, ſibíque reſtituit. Hæc inter nunquam tamen per ſuos, quos Monaſterium, atque Osnabrugam legârat, Oratores de pace agere deſtitit Cæſar; erant hi Maximilianus Trautmanſtorffius Comes, ſupremus aulæ Præfectus, Joannes Ludovicus Comes Naſſovius, & Joannes Maximilianus Comes Lambergius, digni omnes, quorum nomina poſteri legant. Itaque poſt exhauſtos quinquennii integri labores, ac tædia, ad IX. Kalend. Novembr. XLVIII. anni in pacem denique tot optatam votis convenit. Pomerania ferè tota cum adjacentibus quibusdam ad mare Balthicum locis, & ea, quæ Antiſtiti Bremenſi paruerat hactenus, ditione in Suecos translata: Proteſtantibus permiſſa non pauca, quæ Catholicorum anteà Præſulum fuerant: Alſatia Gallis ceſſit, navatæ ſociis Suecis operæ præmium. Atque hic exitus belli fuit Germaniæ univerſæ, ac

Pax Weſtphalica.

præprimis Religionis Catholicæ funeſtiſſimi: minùs fortaſſe lætus, quàm nonnulli optâſſent; ſed Reipublicæ neceſſarius: & futurus haud dubiè lætior, ſi paria pietati ſuæ FERDINANDUS quorundam Principum ſtudia nactus eſſet: nunc dum vanus ab Auſtriacis metus eſt, penè oppreſſa per Germaniam jacuit vera Religio.

Styria à Turcis periclitatur.

Poſitis armis Cæſar, quod reliquum vitæ erat, in vulneribus Reipublicæ omni cura perſanandis exegit: tranquillóque otio, atque aurea pace perfruebantur omnes Provinciæ, niſi quòd aliquando Styria Turcarum metu perculſa eſt. Septena admodum millia, Coranam flumen transgreſſa, in adjacentes ditiones impetum fecerant; graves prædâ, eóque impeditiore agmine incedentes aggreſſus Georgius Frangipanius Comes, qui tum abſentis Herwardi Auerſpergii locò tuendis finibus præerat, funeſtam eis populationem fecit: multis hoſtium cæſis, prædæ pars bene magna recepta eſt. Ità ſua Styriæ tranquillitas rediit.

Ferdinandus IV. Rex Romanorum.

Hæc inter de ſucceſſore dicendo Filio gravis cura FERDINANDUM Cæſarem tenuit. Edicto Comitiis die Principes Ratisbonam exciverat; omnium obverſi erant oculi, animíque in Ferdinandum Cæſaris Filium, vividâ ùt cùm maximè juventâ (viceſimum ætatis annum nondum exceſſerat) & multo etiam magìs matura jam tum ad regendum florentem indole. Itaque pridiè Kalend. Junias tertii & quinquageſimi anni Auguſtæ Vindelicorum, ubi iniere ſuffragia, Electores ad unum omnes Ferdinandum Regem jubent, Ratisbonæ deinde ad XIV. Kalend. Julias ſolenni ritu inauguratum; cùm jam antea XLVI. ſeculi anno Bohemiæ, ac XLVII. Hungariæ coronis inſignitus fuiſſet. Debebatur planè id Parentis Optimi maximis in Germaniam ſtudiis: & is erat Ferdinandus, qui imperare dignus eſſet, vel ſi parentem Imperatorem non habuiſſet; ad ingentis certè incrementa gloriæ, totiúsque rei Chriſtianæ publicæ felicitatem adoleſcere credebatur. Verùm brevi ſpes Europæ omnes Principis mors immatura evertit; Viennam enim è Comitiis Ratisbonenſibus LIV. anno redux quadrageſimo ab adventu die morbillis, Auſtriacis fatali morbo, tentatus, ad VII. Idus Julias ingenti omnium luctu extinctus eſt, cùm ſex menſes ſupra XX. annos vivendo explêſſet. Mira fuit in Deiparentem pietate, tantóque morum candore, ac integritate, vulgò ut Angelus diceretur. Tam innocentem Principem orbi, opinor Cælum invidit; ſeu veriùs jam tum æterno Divinæ Mentis conſilio regendæ Germaniæ deſignabatur Leopoldus Ferdinandi Frater, qui deinceps rebus maximis geſtis totum orbem nominis ſui famâ impleret. Et jam Hungariæ, Bohemiæque coronis inſignem, ut Romanorum etiam Regem primo

Moritur.

mo quoque tempore faceret, FERDINANDUS Parens missis ad Electores Legatis operam dederat. Neque multum negotii fore apparebat, si telam pertexere licuisset.

Hæc molientem Cæsarem mors oppressit, incredibili Provinciarum omnium dolore, justissimum æquè Principem, ac Optimum Patrem multis, verísque lachrymis deplorantium. Octavo supra millesimum sexcentesimum anno ad III. Idus Julias in lucem editus Græcii: IV. Nonas Apriles quinquagesimi septimi Viennæ vitâ excessit, ætatis Anno XLIX. Imperii Romani XX. Tot rebus Reipublicæ causâ gestis clarus, clarior etiam omnibus, quæ Principem deceant, virtutibus fuit. Religio, Pietas, Clementia, Justitia, animi Magnitudo, nihil non tanto Cæsare dignum. Sacramenti ejus, quod Augustissimum Religio nostra habet, præcipuus cultor extitit, pietate à Majoribus hausta, cui nè in castris quidem detractum quidpiam voluit. Quo tempore Ratisbonam acerrima, & cruenta admodum oppugnatione urgebat, publicum, solennémque cultum, quem octonis diebus Divino huic Mysterio Catholici impendimus, institutis ritè supplicationibus, armatas inter legiones peregit. Præcipuus illi in Divam Virginem amor: huic Regna, Coronas, & Sceptra dicata voluit: hanc exercituum suorum Ducem, atque Dominam dicere in more habuit: illibato hujus Conceptui solidum ex ære colossum Viennæ cùm statuisset, voti insuper religione se adstrinxit ad ejus festam diem solenni ritu, etiam præmisso jejunio, celebrandam. Vetustorum Sacrorum studiosissimus cœptam à Ferdinando Parente instaurationem urgere antè non destitit, quàm ad optatum exitum perduxisset. Quod quidem studium suum Europâ solùm contineri minimè passus, ad extremos Asiæ, Sinarúmque fines protulit, bene magnâ attributâ pecuniæ summâ, quæ Catholicæ illic promovendæ rei impenderetur. Tam diuturno cum Gallis, Suecísque bello exercitus, tam varios inter eventus nunquam de constantia animi dejici potuit, æquam, iniquámque fortunam eodem vultu excipiens. Cùm ad Nordlingam inter prælii æstum excussus è machina bellica globus lateri FERDINANDI adhærentem nescio quem discerpsisset, tanto discrimine, perinde ùt si ad alium pertineret, nihil commotus, eodem loco perseveravit. Æqui, rectíque tenacissimus, justitiæ tamen rigorem sic temperare novit clementiâ, ut neque virtutes esse miseras, neque felicia vitia pateretur: eum suppliciis modum statuens, quem Deus fulminum, ut ferirent quàm pauciſſimos, terrerent plurimos. Jam ingenium illi acre, & exquisitum, magnarúmque rerum capax. Eloquentia heroæ, quàm comptæ propior: & quæ non rarò præsentes Comitiis Principes in admirationem dederit,

Ferdinandi Cæsarĕ obitus.

Ejus virtutes.

etiam cùm diverſis linguis egiſſet. Scientiarum omnium propè ex æquo amans fuit, atque intelligens.

Conjuges & liberi. Ternas ordine Conjuges habuit: Mariam Hiſpaniarum Regis Philippi, III. Mariam item Leopoldinam, Leopoldi V. Tyrolenſium Principis; ac Eleonoram Caroli II. Mantuæ Ducis Filias. Mariam XXXI. anno Bohemiæ, Hungariæque adhucdum Rex conjugii ſibi fœdere copulavit: brevì ſtirps quoque virilis ex novo matrimonio fuit Ferdinandus Romanorum Rex hujuſce nominis IV. Seculi Anno XXXIII. ac Leopoldus Ignatius XL. anno natus: de quo poſthac dicendum nobis erit; filia item Maria Anna, quam deinde Philippus IV. Hiſpaniæ Rex thalami ſociam adſcivit; ternæ aliæ proles Philippus Auguſtus, Maximilianus Thomas, & Maria immatura ætate ſublatæ ſunt. E Maria Leopoldina Carolum Joſephum Filium ſuſtulit, breve Auguſtæ Gentis ſolatium; nono enim, & quadrageſimo ſeculi anno natus, LXIV. anno, jam Patavienſi ſacra Infula clarus, è corpore demigravit. Eleonora Mantuana quatuor liberorum mater effecta eſt. Ex his Thereſia Maria altero ſtatim vitæ anno extincta; Eleonora Maria ſuperſtes Poloniæ primùm Regi Coributo, Carolo deinde Lotharingiæ Duci, illi tot victoriis claro Heroi in manus convenit; Mariam Annam Philippus Palatinus Comes, ac Elector Neoburgenſis Conjugem habuit. Ferdinandus Joſephus eodem, quo Auguſtus Parens occubuit, anno natus, caducus flos, inſequente anno mortis falce demeſſus aruit.

LEO-


LEOPOLDUS IV.
Quo Justior alter
Nec pietate fuit, nec bellô major, et Armis. Virgil.
Christ. Dietell sculpsit Gracy.



LEOPOLDUS I.

IMPERATOR.

Cognomento Magnus.

DUX STYRIÆ XXI.

LEOPOLDUM Germaniæ indulsisse videtur DEUS, ut in uno deinceps summi, ac verè Christiani Principis formam, atque speciem omnem expressam orbis videret. Diuturnitate Regni, bellorum, victoriarúmque magnitudine validissimis duobus ab Occidente, atque Oriente Sole hostibus, represso altero, altero superato licèt clarus; longè tamen iis, quæ sapientem, & magnum Principem illustrare possint, clarissimus ornamentis virtutum fuit; his ille potiùs laudibus, quàm rebus aliis bello, ac pace gestis Magni cognomentum assecutus videri potest: luculento ad ceteros omnes Reges exemplo, quibus, quámque innocuis artibus ad veram, & immortalem gloriam enitendum esset. Annorum septem, & quadraginta, quos Imperio Romano gubernando impendit, pauci admodum erant, quibus non stringenda in hostes arma essent. E Polonicis, Danicisque procellis primùm Transylvanicæ, mox Turcicæ, veluti tradito sibi filo, enatæ sunt. Ab his Gallica tria, Turcicúmque, & Hungaricum extitêre bella; nemo tamen etiam hostium fuit, qui LEOPOLDUM fidei violatæ arcesseret: adeò longè supra invidiam erant modestia, temperantia, æquitas Principis. Hisce virtutibus commeritum illum fuisse haud dubiè censeam, ut periclitanti manifestum semper Numen adesset: neque profectò Imperatorum facilè ullus unquam fuerit, qui è tam adversis rebus perinde lætos exitus habuisset.

Ferdinando III. succedit Leopoldus.

In lucem editus est LEOPOLDUS Viennæ, Germanicarum urbium Principe, Divis Primo, & Feliciano auspicatis nominibus sacro die, V. Iduum Juniarum, seculi supra decimum septimi anno quadragesimo. Ætatis quintum, & decimum agens annum à Ferdinandi Fratris excessu coactis Posonium Comitiis, quantâ non facilè antè frequentiâ, Rex electus, & vetustis ritibus coronatus est; insequente anno Bohemi Regem inaugurârunt.

Ejus Natales.

Fit Hungariæ, & Bohemiæ Rex.

Ejusdem in Cæsarem electio.

Equidem Cæsarem etiam Leopoldum post se relicturus Ferdinandus pro sua apud Germaniæ Principes authoritate erat, nisi abruptis propera morte iis conatibus Filii demum auspiciis, ac virtute obtinendum fuisset, quod ab Augusto Parente ipsi obtigerat. Tanti moles negotij juveni non plus septemdecim annos nato, adversùs vim æmulorum maximam omnibus penè præsidiis destituto, incubuit. Mirum est, quibus lenociniis, atque artibus certaverit Gallia, ut id fastigii à Leopoldo, atque adeò omni Austriacorum Familia amoliretur; Germaniæ certè ipsi haud facilè unquam aliàs aut necessaria magìs fuit Austria, aut invisa. Qui mitioribus in Augustam Gentem animis erant, Leopoldo Guilielmo Archi-Duci, Patruo Leopoldi, Imperium delatum ibant; ferebantúrque etiam consilii ejus vel authores, vel participes Galli, excitandæ fors Patruum inter, ac Nepotem simultati; quâ nihil tum Austriæ rebus evenire tristiùs poterat. Verùm Princeps Optimus adeò sensu nullo ambitionis tangebatur, ut non dubitaret integerrima fide, quæ agerentur, ad Leopoldum referre omnia, suísque ipse consiliis enervare: temperantiæ laude, cui parem pauca fortasse secula dederint. Ità cùm irritæ hostium omnes cecidissent artes, octavo supra decimum Julii die, LVIII. anni Electores Imperatorem Leopoldum consalutant, atque ipsis demum Augusti Calendis diadema solenni ritu imponunt: tantò majori omnium gratulatione, quantò propiùs aberat, ut Germaniæ hostibus Germani ipsi obsecundarent.

Polonis opem fert contra Suecos.

Primas Leopoldi curas obtritæ penè Poloniæ status miser, atque afflictus in se avertit. Nobile id Regnum Carolus Gustavus è Bipontino Duce Sueciæ Rex LV. anno armis oppresserat, adscito in fœdus Rakoczio Transylvaniæ Principe. Casimirus, qui tum rerum in Polonia potiebatur, ad primum belli terrorem in Silesiam fugâ primùm elapsus est; multis deinde, magnísque suorum precibus, cùm jam prima belli fortuna Suecum destituisset, in Regni curas retractus Ferdinandum III. Imperatorem in armorum societatem vocaverat. Et verò desperatis Polonorum rebus præsto adfuturus erat Cæsar; sed molientem bellum sustulit mors, servatíque Regni illustre decus Leopoldo filio relictum est. Is susceptâ Reipublicæ curâ nihil potiùs habuit, quàm ut amico Regi auxilium ferret. Sedecim Germanorum delecta millia, Hatzfeldio summi Ducis locum tenente, principio ejus æstatis in Poloniam deducta, ejectis cum Ragoczio Transylvanis Cracoviam non magna vi expugnant. Altero subinde anno, applicante se ad Polonorum amicitiam Brandeburgi Duce, qui se Suecis antè adjunxerat, Thorunium Susa Cæsareus Dux acri, & ardua oppugnatione ad faciendam deditionem cogit; ità resti-

tuta

tuta sibi Polonia. Et jam bellum in Pomeraniam, hostilem di- *Uti & Daniæ Regi.*
tionem, translaturus Montecuculus erat, cùm repentè consilia
Ducis aliò flexit allatus è Dania nuntius: Regno à Suecis perni-
ciem imminere. Fridericus Daniæ Rex Polonis opitulaturus
Gustavum armis petierat. Id ille ægrè ferens, desertâ, è qua
nihil jam speraret, Poloniâ, belli molem in Daniam transfert, tan-
ta usus celeritate, ut sex non amplius mensium spatio Regnum
ad extrema deduceret, parte ejus majore, & meliore, instituta
Roschildiæ pacificatione, Friderico Regi extorta; mox abrupta
pace atrociùs, quàm unquam antè, Daniam armis incursat, Re-
ge ipso Friderico cum familia tota Haffniæ arctè obsesso. Labo-
ranti urbi tantò promptioribus animis opem tulit Cæsareus miles,
quantò id Leopoldo futurum honorificentiùs erat; si alterum
jam Regem felicibus armis ab exitio servaret. Montecuculus
octavo & quinquagesimo anno in Alsenam Insulam transgres-
sus Sunderburgum, & Nordburgum castella expugnat. Sequen-
ti Vere, profligata Fioniæ potiundæ spe trino assultu nequidquam
tentatæ, relicta Danis copiarum parte, in Pomeraniam redit: aut
æstate una subacturus Provinciam illam totam, si Gustavus cæ-
co hostis perdendi æstu abreptus eam negligeret; aut periculi cer-
tè omnem metum Haffniâ depulsurus, si Pomeraniæ causâ Sueci
exercitum divisissent. Res è sententia cessit: Pomerania ma-
gnam partem à Stahrenbergio, Susa, Montecuculo subacta, dum
interea Batavi Cæsareanis juncti Fioniam Insulam, depulsis ma-
gna cæde Suecis, expugnant. Ità castigata inquieti Regis fero-
cia: quem cùm non multò pòst seu ægritudo animi è Fionica cla-
de hausta, seu alius quispiam sustulisset morbus, pax demum,
non dubia luce promicare cœpit. Ejus leges Olivæ anno seculi
LX. sancitæ: arbitri Batavorum, Anglorum, Galliæque Ora-
tores fuere. Quæ adempta Polonis fuerant, agente præcipuè
Leopoldo, restituta: ingenti Cæsaris hujus gloria, qui nondum
exacto altero Imperii sui anno binos jam Reges penè ab interitu
vindicârit.

Hæc foris gesta; nec minùs lætus, auspicatúsque Græcio, *Cæsari Græcium venienti*
atque adeò Styriæ universæ Leopoldi Cæsaris adventu hic annus
fuit. Venientem quidquid Nobilium Styriensium erat, Ordinés-
que omnes obviam progressi, festiva gratulatione excipiunt,
orante ceterorum nomine Styriæ Mareschallo Georgio Christia-
no Sauravio Comite. Ad VIII. Kal. Julias frequentissimo comi-
tatu urbem ingressus est Leopoldus, auxítque pompam Carolus
Mantuæ Dux, qui salutatâ Eleonorâ Sorore, Ferdinandi III. Cæ-
saris Viduâ, Judenburgo per eos dies Muræpontum advenerat,
ingredientem Cæsarem assectatus. Jam quid festorum ignium

fuerit; quid triumphalium portarum; quæ ſpectaculorum pompa, atque ſolennitas; lætitiam denique illius diei, totiúsque magnificentiam apparatûs nimis longum foret diſcribere: ad exteros deportata magno certè plauſu, & admiratione accepta ſunt. III. deinde Nonas Julias Provinciæ Ordines ſolenne Fidei ſacramentum dixere. Idem ſubinde per alias quoque Interioris Auſtriæ Provincias factitatum. Juvat honoris ergò eorum nomina recenſere, penès quos tum hæreditaria Styriæ munia fuere: Georgium Chriſtianum Sauravium Comitem Styriæ Mareſchallum, antea diximus. Georgius Fridericus Merspergius, Joannes Erneſtus Windiſchgrazius, & Georgius Andreas Wurmprandtius Barones, ille Aulæ, alter Stabulo, poſtremus Culinæ præfecti. A Cubiculis erat Joannes Chriſtianus Eggenbergius Princeps. Franciſcus Bernardus Comes Urſchenböckius Bacilliferi: Structoris menſæ Maximilianus Schrottenbachius: Falconum Magiſtri Wolffgangus Maximilianus Baro Eybeswaldius: Wolffgangus Stubenbergius Comes Pincernæ: Julius denique Comes Hardteggius Dapiferi partes egêre. Joannes Thonhauſenius Comes ſupremi Venationum Præfecti: Rei argentariæ demum Cuſtodis munere Joannes Comes Rattalius inſignes fuere. Eggenbergici, Thonhauſenii, Hardteggii, & Stubenbergici abſentium vices alii obiere. Styriæ univerſæ eodem tempore ſupremo jure Fridericus Sigismundus Comes Trautmanſtorffius præfuit.

Styriæ Ordines fidei ſacramentum dicunt.

Origo belli Turcici

Hæc inter bellum Hungariæ imminebat funeſtum principio, atque anceps. Tranſylvani rejecto Barczajo, quem Turcæ Principem juſſerant, Janum Keminium delegere; fremente læſam Imperii ſui majeſtatatem Mahomete Ottomanorum Imperatore. Keminius, quòd Barbarorum armis petendum ſe non neſciret, nec aliunde quidpiam affulgeret ſpei, ſe, Tranſylvaniam totam Leopoldo permittit. Non erat equidem, ut Keminii causâ, qui inconſulto Cæſare Principatum adierat, quidquam ſuſciperetur; ſed neque Turcarum arbitrio Tranſylvania relinqui poterat. Jam illi Caranſebiâ, Jenæâ, Lugoſio occupatis, Varadinum quoque LX. ſeculi anno ad deditionem coëgerant; quid nî autem Tranſylvaniæ tanto præſidio nudatæ, atque adeò Hungariæ demum in poteſtatem redigendæ inhiaturi eſſent, quarum ipſos jam vetus cupiditas tangeret? Itaque bello juvandus Keminius decernitur. LXI. anno ad Comaromium quindecim millia convenere, Montecuculo delecto expeditionis Duce. Haud ſatìs æquam ſe belli fortuna noſtris præbuit: id quod antè proſpexerat Montecuculus, cùm relicto Danubio Tranſylvaniam petere juberetur. Quòd attritus itinere longinquo miles, vulgati per exercitum eſſent morbi, hoſtis ad hæc omni ſtudio prælium

E turbis Tranſylvanicis profecta.

ſibi

ſibi defugiendum cenſeret, nihil magnopere ad rerum ſummam agi potuit; illud tamen operæ pretium factum, quòd Hungaria ſuperiore depulſi Barbari, prohibitíque ſunt, nè Tranſylvaniam ſuam facerent, Provinciæ ejus clauſtris, & Claudiopoli ipſa præſidio occupatis. Claudiopolim etiam altero pòſt anno adversùs oppugnantes Turcas magnâ gloriâ ſuâ Redanus Gubernator defendit. Subinde induciæ promulgatæ; ſed quæ in atrocius demum bellum deſinerent.

Turcæ aliquandiu ſimulata pace

Non abhorrebat à pace Leopoldus Cæſar: tum quòd Keminius à Michaële Abaffio æmulo, quem Turcæ Principem dixerant, profligatus, in prælio ceciderat, Optimatúmque Tranſylvanorum pars multò maxima ad Michaëlem ſpectaret; tum quòd iidem ipſi liberatores ſuos Germanos limis oculis intuerentur. Nec inviſa Turcis pacis tractatio ſeu erat reverà, ſeu ſimulabatur eſſe; quòd è re ſua ducerent ea ludificatione Chriſtianorum animos conſopiri. Cæſar Goëſium Temesvarinum legârat: jámque in pacis leges conventum fuerat, jam ſignatæ eædem ad utramque Aulam perferebantur; cùm repentè, pactis omnibus rejectis, ſumma vi hoſtes bellum parant. Quibus celeriter nunciatis, incredibile, quantum Viennæ trepidatum ſit: velut non in Thracia procùl bellum, ſed ad ipſos muros adſiſteret. Nè imparatam Hungariam bellum offenderet, coactus nuper Poſonium à Leopoldo Procerum Hungarorum cœtus; ut nihil denique ageretur, Proteſtantium intemperies fecit. Hæc ad annum ſecundum, & ſexageſimum acta. LXIII. anno Ratisbonam indictis Comitiis, quibus Guidobaldus Thunius Salisburgenſium Antiſtes præfuit, cùm ab Imperii Principibus ſena auxiliarium militum millia addicta fuiſſent, quaterna demum millia XXII. Octobris, ad hyberna ſcilicet, venêre; veluti non jam Uyvarinum expugnaretur, ſed è Caſpiis primùm faucibus hoſtis emergeret. Cæſareus miles haud admodum numeroſus, etſi veteranus, & non rarò per Daniam, Poloniam, Pomeraniam victor. Superiorem Hungariam ſeptem Legionibus Heiſterus; Moraviam Suſa modico milite tuebatur. Gualtero Leslæo fido, & notæ fortitudinis militi, Sclavoniæ tum Gubernatori, Styriæ ſalus commiſſa, quam tribus equitum millibus, Comitíſque Zrinii copiis tegeret. Fridericus Comes Trautmanſtorffius ſeptem Provincialium millia Fürſtenfeldam, Petovium, Rakelſpurgum adduxerat. Traunio Comiti cum Auſtriæ nobilibus ad Moravæ amnis ripas excubandum; è diviſo tot partibus exercitu Montecuculo ſex non amplius millia ſuperabant. His tantillis copiis CXL. millium hoſtilis exercitus ſuſtinendus, reprimendáque fuit Barbarorum ferocia, nulla alia conditione pacem fieri

Bellum inferunt.

Quæ Cæſaris in hoc bellum copiæ fuerint.

posse frementium, nisi, admisso in Transylvaniæ totius possessionem Abaffio, tricenorum etiam millium aureorum nummûm tributum annuum penderetur.

Turcæ Forgaczio superato

Jam verò initia belli se, quàm cogitari potest, funestissima dabant: Uyvarini Gubernatore Forgaczio, qui se trajicienti Danubium hosti non magna suorum manu, fortiter magìs, quàm sapienter ad Barcanum objecerat, profligato, Moraviæ, ac Silesiæ agri magna hominum, pecorúmque strage à Barbaris incursati: Uyvarinum denique ipsum XL. ferè dierum acri verberatione, ac multò magìs seditiosorum quorundam amentiâ militum captum est. Id oppidum, occupato à Turcis Strigonio Rudolphus II. Imperator communierat, Moraviæ, atque Austriæ adversùs Barbarorum incursiones præsidio futurum: quo graviori ex hac jactura terrore non Germania solùm perculsa est, sed Principes omnes, quibus Christiani Nominis dignitas, quàm Austriaci imminutio potior esset. Neque multò pòst Nitria, Novogradum, Leva, munitæ ceterà arces, Præfectorum seu ignaviâ, seu perfidiâ prædanti veriùs hosti, quàm oppugnanti cessêre. Schüttam Insulam, quæ caput rerum, salutísque publicæ erat, ut servaret Montecuculus, Zrinium cum eo, quem ipse, & Styrienses Ordines scripserant, milite accivit.

Uyvarinum capiunt.

Leopoldus interest Comitiis Ratisbonensibus.

Nec ultra quidquam hoc anno à Turcis tentatum est; sed insequentis tamen fortuna solicitos omnium animos tenebat. Cæsar, quòd cœpta Imperii Comitia cavillos inter, & fastidia fluere cerneret, excitandis Principum animis Ratisbonam ipse exordio hujus anni profectus, impetrârat, ut equitum octo, peditum quadraginta millia adversùs hostes decernerentur; etsi non nisi quindena deniq; millia, & circumscripta admodum potestate affuere: adjuncta his ab Ludovico XIV. Galliæ Rege quaterna peditum, bina equitum millia, quos opportunè consopita, quæ ipsi cum Alexandro VII. Pontifice intercesserat, simultate, Colignius Dux ex Italia, stipendiis Regiis militaturos, adduceret. Alexander Pontifex, præterquam quòd septies centena aureorum millia egregia liberalitate in sacrum bellum transmiserat, potestatem insuper fecit, haud paulò plus è sacris fundis per hæreditaria Regna cogendi. Supremus belli Imperator Montecuculus delectus, expertæ fortitudinis Dux, & cujus anno superiore ingens ea laus fuerat, quòd tantillas copias à tam numeroso hoste intactas servâsset. Primus, qui hosti arma inferret, Zrinius fuit ardens animi vir, immensáque gloriæ cupiditate quodvis otium pro ignavia habens. Januario mense, rigente licèt hyeme, transmisso Mura Breseniczam, non invalidum oppidum, deditione capit; ignobilioribus præterea oppidis non paucis exustis: Quinque Ecclesiarum

Expeditio Zrinii adversùs Turcas.

rum Civitate primo ferè impetu, refugientibus in arcem Turcis, expugnata, ac direpta, ad ipsum usque Essekini pontem provectus: cæsis, fugatísque, qui castella, turrésque pontis insidebant, hostibus, nobile opus, & Europâ totâ famigeratum paucas intra horas ignibus concremat. *Essekini pontem exurit.* Nobili incendio clarus, & jam ampliora mente complexus Zrinius de Canisia ipsa tentanda cogitationem susscepit. Est id ad Croatiæ, Styriæque fines haud procul Muræ, ac Dravi confluente situm oppidum, tutandis iis regionibus à Maximiliano II. Imperatore, postquam Sigethum Solymannus invasisset, latæ paludi, ac profundæ impositum. Magno Styriæ bono futuram eam Canisiæ expugnationem nemo erat, qui dubitaret; sed apparatu haud paulò majori opus esse, belli peritiores omnes adeò pervidebant, ut jam tum minùs prosperum exitum præsagirent. *Canisiam frustra obsidet.* At pervincente omnia Zrinio, cùm potestatem præterea obtinuisset, quanta posset subsidia è Styria contrahendi, exeunte Aprili urbs obsideri cœpta est: sena aderant Cæsareanorum millia Strozzio Duce; quaterna Hungarorum millia Zrinius, terna Imperialium copiarum Holachius junxerant. Difficilis erat oppugnatio, statímque initio patuit, quantum opus, quàm non æquis virîbus susceptum esset; extruendi per invias, lubricásque vernis imbribus paludes tormentorum suggestus: eruptiones creberrimæ Barbarorum, quibus non rarò magni temporis labor momento corrumpebatur: castra præterea neque tuto satis loco, nec peritè munita; adhæc obsidioni solvendæ XL. millium hostilis exercitus magno Vezirio Duce propinquare nuntiabatur. Itaque uno reclamante Zrinio, Kalendis Junii signum receptui datum: magno rei Christianæ damno majori periculo Styriæ, ad cujus fines à Danubio bellum sevocatum esset.

Ab soluta Canisiæ obsidione Vezirius Insulam Neo-Zrinio vicinam occupandam sibi constituit. *Strozzii de Turcis victoria,* Hanc longiorem, quàm latiorem Muræ, atque ignobilis rivi confluentes efficiunt, eo etiam nomine commodam, quòd facilis inde in Insulam Muræ majorem, Sclavoniam, Styriam trajectus aperiretur. Et jam hostium multi in eam evaserant; itaque Strozzius, qui summam rei in ejus loci defensione sitam haud nesciebat, tanto ardore in obstantes Barbaros per medias aquas invehitur, ut exactos munimentis, etsi acerrimè repugnarent, ad tria ferè millia internecione deleret. Victoriæ illius lætitiam inopinata turbavit Strozzii cædes, librata è superiore loco glande plumbea, aut quod alii volunt, soluto per incuriam gregarii cujuspiam militis sclopo extincti. *Et mors.* Strenuus fuit bello Dux, & quem sublatum non magis doleret Cæsar, quàm ob egregiam in quosvis charitatem milites

Turcæ Neo-Zrinium occupant.

omnes deplorarent. Hac ſpe dejectus Vezirius ad Neo-Zrinii oppugnandam arcem ducit. Excitatum id nuper à Nicolao Zrinio propter Muram præſidium ad incurſiones tutò inde in agrum Caniſienſem proferendas. Etſi loco ſitum incommodo, & imperitè munitum, egregia militum virtute, atque imprimis Vanguri nobilis Galli, bellicorúmque operum peritiſſimi ſtudio in viceſimum usque diem magno rei Chriſtianæ commodo hoſtem ſuſtinuit; deſertum à noſtris Barbari, intellecto, quantum temporis quàm inutiliter impendiſſent, ſolo æquârunt, nè dedecoris ſui monumentum extaret.

Pugna ad S. Gotthardum.

Inde cum Muræ trajectu nequidquam ſæpiùs tentato prohiberentur, ad Arrabonem impetus belli omnis deſedit. Sexaginta Barbarorum millia erant, lectus, & veteranus miles, præter calonum, & tyronum fæcem innumeram. Chriſtianorum in exercitu millia triginta non amplius cenſebantur; ſed quod caput rei erat, Duces lectiſſimi, & par unus omnibus Dux Montecuculus. Is paulo antè Gallorum, & Imperialium militum ſuppetiis auctus, haud procul S. Gotthardo Arrabone transmiſſo, caſtris locum delegerat; ibi cùm hoſtes in adverſam fluminis ripam evadere omni vi niterentur, res ad prælium denique rediit: è cujus læto, ſiniſtróve eventu non unius alicujus Provinciæ, ſed Hungariæ, ac Germaniæ totius ferè ſalus penderet. Dexterum cornu Cæſareanæ duodecim faciebant legiones: in ſiniſtro Galli erant: mediam aciem illæ, quas ex Imperio Leopoldus Marchio Badenſis recèns adveXerat, copiæ obtinebant. Incredibile dictu eſt, quantâ ferociâ Barbari depugnârint; mediæ aciei præcipua ſtrages fuit: novus plerique miles erant, & tumultuario delectu ſcriptus; qui cùm longiùs paulò provecti premi ſe undique cernerent, non ferentes ſcilicet hoſtis nunquam antea viſi conſpectum, nec ſuſtinendæ pares impreſſioni nullo pudore fugam ſpectare; pòſt ubi periculum ingraveſcebat, projectis certatim armis vitam à Barbaris deprecari. Plerísque, quo erant ſupplicum habitu, & in genua abjectis deſecta capita. Etiam in ceteros terror manabat. Reſtituta utcunque acie acrior utrinque pugna exurgit. Sex omnino horis dubio Marte certatum: illis, nè vincerentur; his, ut vincerent, extrema quæque molientibus. Audacia, numerus, locus Barbaris favent: virtute noſtri ſuperant; nec priùs tamen inclinata res eſt, quàm univerſus exercitus in certamen committeretur. Prima ſtatim aggreſſione depulſi hoſtes in fugam ſe denique conjecere. Bis mille Arrabone, dum multi ſimul trajicere tentant, hauſti; plures in acie interfecti. Montecuculus ipſe in commentariis ſcriptum reliquit, XVI. millia interiiſſe. Armorum auro, gemmis inſignium: pecuniæ: aliarum rerum ingens

ingens præda collecta. Ipsis Augusti Kalendis Anni LXIV. pugnatum est. Victoriæ nuntius eò lætior accidit, quò major omnes è primæ pugnæ calamitate metus incesserat. Dici satìs non potest, quantum Styriâ totâ ad infelicis prælii primùm rumorem ab iis sparsum, quos principio mox è pugna timor abstulerat, trepidatum sit. Viæ momento omnes fugientium agminibus conjuges, liberósque in editissimas secum alpes raptantium stipatæ; sic ut diu deinde victoriæ fama præ rumore cladis fidem non reperiret. Etsi metuendi adhucdum Barbari essent, ùt quorum triginta eqitum millia prælium integri, vacuíque spectâssent; tamen eo tam infelici pugnæ eventu animis fracti ferociam posuere: cùm præsertim ab Susa Duce paucis antè diebus ad Levam quoque res feliciter gesta esset, octo hostium millibus interfectis. Pacis injecta à Vezirio ipso mentione, brevì bellum finitum est: magna Styriæ felicitate, postliminio demum è tam gravi periculo, & gravioris etiam metu emergentis. Sancitæ in vicenos annos induciæ, altero pòst anno, missis utrinque splendidis legationibus affirmatæ. Eo muneri à Leopoldo Gualterus Comes Leslæus delectus est, belli vir, pacísque artibus clarus, Styriæ nostræ decus, in qua jam diu religionis causâ è Scotia pius exul, amplis comparatis ditionibus sedem fixerat.

Pax cum Turcis.

Mutuis Legationibus confirmata.

A tristi subinde casu nobilem Leopoldus hæreditatem crevit. Sigismundus Franciscus Tyrolensium Princeps, is, qui Carolo Ferdinando Fratri nuper elato in avita jura successerat, Provinciæ ejus, & Tyrolensis Austriacorum stirpis unica spes, in ipso adolescentiæ flore, nuptiarúmque cum Sulzbacensi Principe apparatu seculi LXV. anno extinctus est: Cæsar, ut ditionis ejus possessionem adiret, Oenipontum profectus VI. Nonas Octobres Ordines omnes, dicto fidei sacramento, obsequentes habuit: exquisita per id iter, Regiáque pompâ à Salisburgensium Antistite acceptus. LXVI. anno adscitâ in Conjugem, quam diu antè destinatam Sponsam habebat, Margaritâ Hispaniarum Regis Philippi IV. filiâ, ingentes unà spes Austriæ attulit, quòd Philippo non nisi unicus filius Carolus esset, ísque adeò invalido corpore, ut jam tum hæredem nullum daturus provideretur: & ab hujus excessu in Regnorum Hispanienſium spem Margarita veniret.

Leopoldus Tyrolens. hæreditatem cernit.

Sed ab his lætis rerum ordo ad tristia evocat. LXX. seculi anno bellum in Hungaria gestum est, civiléne, an sociale, haud facilè dixero: paucorum conjuratorum scelere ortum. Hujusce conjurationis, quoniam omnium, quæ multis annis deinceps in Hungariam consecuta sunt, malorum unica ferè origo extitit; lubet initia, progressum, finem pertexere. Vesselenius Pro-Rex tur-

Origo turbarum in Hungaria.

turbarum author, jam diu in id intentus, ut Hungaria omni miles Germanus depelleretur, Franciſcum Rakozium, Zriniúmque, Georgii Rakozii, & Nicolai Zrinii nuper memoratorum filios, in ſocietatem facinoris pertraxerat, opibus ambos, & ampliſſimis clientelis inſignes: illum adhæc juventâ ſuâ, & Majorum recordatione ardentem; hunc, præterquam quòd naturâ præfervidus eſſet, negato, quod petierat, Pro-Regis Croatiæ munere ægrum. His deinde Nadaſtius, Frangipanius, & Erasmus Tättenbachius Comites acceſsêre, ſuis quique animi morbis in exitium acti. Tättenbachius inter illuſtres Styriæ Proceres nobilitate, opibus nulli ferè ſecundus, præter amplos ibidem fundos locum quoque in ſacratiore Styrorum conſilio obtinebat, magnificus idem, & in pompas, luxúmque prodigus: quo ſe opportunum magis præbebat, ut oſtentatâ à Zrinio Cillejæ Provinciâ peramplâ, & fertili, in eundem cum ceteris vorticem abriperetur. Veſelenio mitiore, quàm flagitia hominis commeruiſſent, morte ſublato Zrinius, conjurationis Princeps, cœptis gnaviter inſtitit. Satis conſtat, Leopoldo, cùm LXVI. anno Schotwiennam ad ſalutandam Sponſam excurreret, abdito in arcem Pottendorffenſem milite, inſidias ſtructas: neque aliud ſaluti fuiſſe, quàm quòd paulùm tantùm moratus, iter antè relegeret, quàm inſidiæ inter arbuſta, quibus ea regio tegitur, locarentur. Fœdius illud, & propè ſupra fidem, quod authores ipſi poſtmodum faſſi ſunt, veneno actum fuiſſe. Reperta in aulico fonte gallorum, canum, felliúmque cadavera, ſacculus item atrociſſimo toxico fartus. Et perierat omnis cum Cæſare ipſo familia, niſi ex odore tetro, ac mutato è cadaverum ſanie aquæ colore indicium extitiſſet. Itaque cùm hæc vana evaderent, ad apertum bellum conſilia retulere. Præcipua Zrinio cura, ut munitam quampiam arcem in poteſtate haberet. Caroloſtadii præfectura magnarum opum, atque authoritatis, à morte Auerſpergii Comitis vacabat; hìc ille nihil intentatum relinquere, ut urbem rebus ſuis tam opportunam conſequeretur. Verùm Cæſar nè in ſuſpectæ fidei hominem præter civilem Croatiæ adminiſtrationem bellicam quoque congereret, Herberſteinium Comitem, multi meriti, ac virtutis Virum, loci Gubernatorem edicit. Id nimirum injuriam Zrinius interpretatus, difficile dictu eſt, quàm acerbè tulerit. Nec jam verebantur nefarii homines Turcas Chriſtiani Nominis hoſtes in armorum ſocietatem vocare. Vezirius etſi initio affuturum ſe cum exercitu addixiſſet: ſi Hungariæ Regnum, Styriam, Croatiam Turcarum Imperatori eâdem, quâ Tranſylvani Principes ſubeſſent, ratione vectigales redderent; poſtea tamen ſeu ſceleris atrocitate commotus, ſeu quod attritæ bello Cretenſi Imperii Ottomanici vires eſſent, negatis auxiliis, ut de re tota Cæſar edoceretur, effecit. Cete-

Conjurati Cæſarem inſidiis petunt.

Ab Turcis auxilia petunt.

Ceterùm clanculum hactenus vagata ſeditio, ſub Annum LXVII. nequaquam timidè foras erupit. Frangepanii audax imprimis facinus erat. Regias primùm naves commeatum, armáque Petriniam inferentes diripit: Caroloſtadium deinde, irrito quidem eventu, tentat; cùm interea Superioris Hungariæ Proceres quidam coitione facta Caſſoviæ, ad octo equitum, quaterna peditum millia, numerum potiùs, ignobilémque fæcem, quàm exercitum collectum tenerent. Apertiora hæc erant, quàm ut tegi jam ultra poſſent. Zrinius hæc inter, quò vim flecteret, anceps, ingenti Styriam totam, Græciúmque imprimis terrore replet. Nec periculum aberat: Tättenbachius enim per eos dies Cranichsfeldam excurrens ad occupandum per inſidias Græcium ſtimulaverat; id haud difficile factu videri, quòd muris nunc, quàm viris firmius eſſet: ageret tantùm, uteretur ſenis Turcarum millibus, quos Boſnienſis mittendos ſpoponderat; parte velut ad Caroloſtadii obſidionem raptata, quò haud dubiè advolaturæ Cæſareæ legiones eſſent, ceteros nocturno per montium anfractus itinere Græcium duceret: affuturum ſe in tempore, editísque tumultibus occultâ propter Saurauiorum Comitum ædes viâ evaſurum in arcem; unde obverſis in ſubjectam urbem tormentis ſignum Zrinio ederetur, quaterna Turcarum millia in perturbatos, & anxios periculo cives immittendi. Hanc nobiliſſimæ, ac pulcherrimæ urbi fatalem impius civis ſtragem paraverat, niſi DEUS conſiliis obſtitiſſet. Cumulatis primùm indiciis protracta in lucem conjuratio, ad extremum Turcarum cunctatione everſa eſt. Tättenbachius omnium primus à familiarium quopiam, fido aliàs homine, quem furti inſimulatum in publicos carceres dari juſſerat, proditus, captivúsque in arcem traductus eſt. Excuſſa domus, ſcrinia, literæ. Reperta arma, quæ inſtruendis ſex hominum millibus ſatis eſſent. Rogatus, quid iis voluiſſet, ſinè ambagibus execranda conſilia cum gemitu confitetur. Frangipanium, ceterósque, nè laterent, ſuus quemque furor, ac literæ in apertum protulere.

Conjuratio in apertum erumpit.

Græcium periclitatur à perduellibus.

Rebellio in apertum prodit: auctores capiuntur.

Apparebat jam, niſi ferro malum curari haud poſſe. Itaq; immiſſus diverſas in partes miles brevi perduelles edomuit. Spankavius Dux oppoſitus Zrinio, Cſakatornâ invalida arce acri verberatione ad deditionem coactâ, paucis diebus ceteras etiam arces expugnat; Zrinius, & Frangipanius fugâ elapſi, cùm aliquandiu miſeri, rerúmque omnium nudi per ſylvas errarent, à Kerio Comite Viennam deducti ſunt. Eadem planè velocitate à Sporkio veteri jam, multarúmque palmarum Duce cum Ragoczio debellatum eſt. Erumpentem quoque in agro Liptovienſi, atq; Arvenſi (huc enim ſe perduellium multi retulerant) flammam

oppreſſit Heiſterus, is qui Ragoczium alterum clariſſimis victoriis jugulabit. Muranum, avita Veſſeleniæ gentis arx, ſitu inexpugnabilis, quam Veſſelenia vidua, nihilo conjuge melior, obtinebat, ut dederetur, Carolus Lotharingus Princeps effecit; repertæ hìc omnis generis literæ conſpirantium intima conſilia detexêre. Hoc maximè indicio convictus Nadaſtius, & in exitium datus eſt. Hæc ad Annum LXX. pleraque acta. Altero pòſt anno ſupplicia in perduelles decreta ſunt. Ragoczii juventuti ut indulgentem ſe Leopoldus præberet, Mater effecit, fida Cæſari fœmina, & cujus maximè operâ, quòd Mongatſino validiſſima arce conjuratos, atque adeò filium ipſum prohibuiſſet, effectum eſt, nè inſanabilis evaderet rebellio. Et dignum ſe veniâ obtentâ Ragoczius quamprimum oſtendit, dum ſuos jubet ab armis diſcedere; arces omnes, Mongatſinum ipſum Germano militi permittit. At conjuratorum Principes ceteros Tättenbachium, Frangipanium, Nadaſtium, Zrinium, etſi nemo eſſet, qui non graviora morte ſupplicia commeritos diceret, ægrè adduci potuit Cæſar, ut morti addiceret: adeò longè atrocitas injuriarum infra clementiam Principis fuit. Ad exteras quoque Academias Ingolſtadienſem, Tubingenſem, Lipſienſem, Spirenſe item Tribunal delatâ causâ una omnium voce capitis pœna in tam atrocium ſcelerum reos pronunciabatur. Nec defuere, qui gravis noxæ religionem Leopoldo injicerent, ſi paucorum vitam Reipublicæ univerſæ, quæ in diſcrimen vocaretur, ſaluti præponeret. Hæc permovêre Cæſarem, illachrymantem penè, ut ſententiæ demum ſubſcriberet. Triſtibus ceremoniis nobilitatis gradu exuti, pridiè Kalendas Majas Viennæ Nadaſtius: Zrinius, & Frangipanius Neoſtadii capita ſecuri ſubjecere; Tättenbachii ſupplicium, quòd Brunſuicenſem inter, & Brandeburgicum Duces de Reinſteinenſi ipſius ditione neſcio quid diſceptationis eſſet, dilatum; hoc tamen anno & ipſe Græcii finiit. Mortem non perinde, ùt ceteri, fortiter tulit; ſed rudes inter vociferationes, & deliquia animi humi ſe volutans, repetitis ictibus laniatus veriùs, quàm obtruncatus eſt. Atque hunc exitum funeſti illi habuere perduellionis Quatuor-viri, in quem ſua ſe ambitione, ùt ferè fit, induêre. At Hungariam nihilo minus pluribus deinceps annis ſeditioſorum hominum intemperies in tranſuerſum egit.

Et ſupplicio afficiuntur.

Clementia Cæſaris.

Margaritæ Imperatricis mors.

Anno LXXIII. lætum Græcio ſpectaculum, præſens iterum Leopoldus Cæſar fuit: Margarita Conjux nocte, quæ decimum Januarii diem antecedit, mortem obierat, raræ indolis, virtutúmque ſimilitudine unicè Leopoldo chara. Etſi animum Cæſaris profundus eo caſu mœror haberet; tamen, quòd Germanicæ Auſtriacorum ſtirpis unus tum ſupereſſet, haud protelandas

ſpes

ſpes Auſtriæ, ac Europæ ratus, Claudiam Felicitatem, Carolo Ferdinando Tyrolenſium Principe natam, ſponſam delegit, non venuſtate oris minùs, quàm propriis bonis, ingenio, linguarum peritiâ, virtutum omnium apparatu tanto Cæſare dignam. Oeniponti primùm Dietrichſteinius Princeps Sponſalia Cæſaris nomine init, ſacris operante Tridentino Antiſtite; venientem Sponſam Cæſar Græcii præſtolatus, nuptialia ſacra in D. Ægidii Templo ad XV. Octobris diem obiit: ſolennia deinde nuptiarum ſecundo ab urbe lapide peracta in Eggenbergicorum Principum arce magnificentiſſima. Nihil omiſſum, quod ad dignam hoſpite magnificentiam, ad tantæ ſplendorem celebritatis faceret: Urbs ipſa triduo toto feſtivis ignibus collucebat. Veſtibulo arcis memoriæ causâ inſcriptum lemma numerum anni complexum etiamnum extat: *Ave Claudia Imperatrix.*

Cæſaris cum Claudia nuptiæ Græcii celebratæ.

Atque iſthæc quoniam ex parte Styriam contingebant, paulò curatiùs pertractare viſum eſt: ceterorum non niſi ſumma deinceps capita afferemus. Batavis Ludovicus Galliæ Rex, adſcito in fœdus Carolo Rege Britanniæ, Superiore anno, ſecundo ſupra ſeptuageſimum ſeculi, bellum intulerat funeſtum, atque exitiabile: urbes, arcésque munitæ quadragenis plures uno velut ardore ſubactæ, Batavos in extremum diſcrimen conjecerant. Succeſſu lætus Rex altero pòſt anno totam ferè Alſatiam, Trevi-ros occupat. Tam abhorrenti facto neſcio quæ belli jura prætexebantur. Apparebat brevì Dictatorem Germaniæ fore Ludovicum, niſi armis prohiberetur. His impulſus denique Cæſar bellum ſuſcepit neceſſarium magìs, quàm utile. Vario eventu geſtum eſt. LXXIV. anno ad Sinzhemium æquo Marte collata ſigna: ad Holzhemium tantùm non vicere Cæſareani; iidem nonnulla accepta ad Colmariam, ac Müllhuſium clade Alſaticis hybernis depulſi. LXXV. annus Gallis infauſtus extitit: Turenio præcipuo Gallorum Duce, & multorum ſententiâ ſeculi ſui Principe Imperatore tormenti pilâ ſtrato, Galli ſe recipientes malè mulctati: Trevirorum urbs à Fœderatis recepta; ad hanc ſequente anno Lotharingus Philippoburgum adjecit, eodem, quò ante annos tres, & triginta ab Gallis fuerat, die captum. Hæc inter Neomagi de pace actum: nec abhorrebant Galli, qui poſt Batavos captos, delinitos Anglos, propè qualem ipſi cuperent, manibus tenebant. Etſi obniteretur Leopoldus, quippe qui intelligeret, nihil hac pacificatione, ùt tum res erant, exitialius eſſe; prohibere non potuit, quin obtruſam ſibi à Gallo Hiſpani, Batavíque amplecterentur: ab his ad IV. Idus Auguſti, octavi & ſeptuageſimi anni firmata eſt: Batavos ad XV. Kalend. Octobr. ſecuti Hiſpani. Deſtitutus his fœderatis Cæſar Nonis denique

Galliæ Rex Batavis bellum infert.

Quo etiam Cæſar involvitur.

Pax Neomagenſis.

Februarii LXXIX. anni paci per Legatos ſubſcripſit. Ejus leges ad Weſtphalicæ pacis modum informatæ: Friburgum, de quo controverſiæ caput, Cæſar de patrimonio ſuo detractum, quàm Philippoburgum Reipublicæ eripi maluit.

Joſephi Cæſaris ortus.

Hæc inter triſtia LEOPOLDUM velut oborta lux recreavit Joſephus Archi-Dux LXXVIII. anno ex Eleonora Magdalena Neoburgica, quam ab exceſſu Claudiæ Felicitatis biennio antè Cæſar ſibi deſponderat, procreatus. Tantò fuit effuſius gaudium, quantò diuturniore expectatione deſideria Auſtriæ ſuſpenderat cælum.

Galli iterum in Imperio turbant.

Pax deinde, bellúmne cum Gallia fuerit, haud facilè dixero: nullo certè bello plus detrimenti acceptum eſt. Octava ferè Germaniæ pars ſine ſanguine, ſine armis inaudita antea ratione in Galliæ ſervitutem abrepta. Rei novæ monſtroſa etiam excogitata nomina *Reunionum*, *Dependentiarum*, *Compenſationum*, & quæ ſunt ejuscemodi ridicula alia. His acceſſit auctarium grande Argentina, Septembri menſe primi & octogeſimi anni proditione capta, quæ Magnum videlicet Ludovicum efficeret. Bello perſequendas injurias nemo erat, qui dubitaret. Jámque id agebat Cæſar, inito Luxenburgi cum quibusdam Germaniæ Principibus fœdere: cùm tempeſtas ab Oriente incumbens conſilia in Hungariam flexit. Itaque inſtituta pacis tractatione, anno demum LXXXIV. ad XV. Kalend. Septemb. (huc enim usque res extracta eſt) ſancitis induciis Argentina, cum iis omnibus, quæ ad Kalend. Auguſti LXXXI. anni Rex occupâſſet, in vicenos annos permiſſa eſt; nunquam videlicet deinceps reddenda.

Argentinam occupant.

Cæſar inducias cum Gallis init.

Turbæ Hungaricæ acerbiùs recrudeſcunt.

Nunc in Hungariam oculos reflectamus. Reſectis licèt capitibus, palpitabat adhucdum per omnes infauſti Regni partes diffuſa ſeditio, haud parùm aucta Miniſtellorum inſanis vocibus, ad reſtituenda, quæ Catholicis ipſi eripuerant, templa adigi ſe iniquè ferentium; dum in Turcicum demum bellum pro more deſineret. LXXIV. anno viginti hominum millia è Tibiſcana regione coorta, Eperieſino expugnato, latrociniis, incendiis, cædibus replent omnia. Nihilo pacatiores inſequentes anni fuere: adjungente ſe perduellibus Abaffio Tranſylvaniæ Principe, affluentibus è Polonia copiis; Turcarum etiam favor in dies prolixior. Neque ſemel ab his turbis Styriæ quoque periculum fuit. LXXVI. anno aggreſtium hominum bina millia (nam & populares idem furor corripuerat) Ductoribus ſeditioſis in Provinciam irrupturi haud procul Legradino à Bathiano Comite indagine cincti, authoribus in crucem actis, ad aratra ſunt remiſſi. Inſequente anno Caniſienſium Turcarum millia ſex magnum Styriæ malum portabant,

tabant, nisi Czakatornenses Croatæ assumpta rusticorum hominum multitudine eam nubem dissipâssent. Erat malum immedicabile, apparebátque, nisi ferro, igníque adhibito, nihil unquam pro sanis facturos; cùm præsertim novus perduellioni accederet Dux Tökelius, ille Ungariæ suæ Sertorius, universi acclamatione exercitûs Princeps, Imperatórque consalutatus. Is supplementis Transylvanicis auctus octavi & septuagesimi anni æstate, quantum nemo antè, vicena facilè hominum millia sub signis habuit. Etsi Cæsar Sopronii primùm, dein Tyrnaviæ, ac rursus Anno LXXXI., Sopronium excitis Proceribus, pacem multis modis tentâsset, nihil æqui, boníque ab impiis impetrari potuit. Tökelius huc amentiæ demum prolabitur, ut coacto Cassoviæ, quam urbem superiore anno ceperat, conventu se, Regnum totum Barbaris dederet: Regios vicissim honores, insigniáq; auferret; quibus illi tam lætis auspiciis incitati, quòd Hungariæ penitus opprimendæ spes affulgeret, ruptis demum induciis omni vi arma parant. Atque hoc exordium fuit belli ejus gravissimi, quod per XVI. annos cum Turcis gestum, Austriæ rebus anceps initio, atque exitiosum: postremò Cæsari, Hungariæ ipsi, Rei toti publicæ Christianæ eventu lætissimum extitit.

Tökelio factiosorum Principes.

Cæsare frustra pacis studente.

LXXXIII. anno, institutis Imperio toto Ottomanno delectibus, quantum nunquam inde à Mahometis II. ac Solymanni ævo, Barbarorum sub signis fuit: ducenta ac triginta millia lecti militis censebantur: adhæc exercitus alter fossorum, fabrûm, calonum trium, & quinquaginta millium. Accessêre Tartarorum millia XIV. præter Valachorum, Moldavorum, Transylvanorum, Ungarorum numerosa agmina. Longè numero inferiores Christiani. Censu inito octoginta cùm Cæsareorum, tum Sociorum millia conventura species erat. Cæsareanorum non nisi tria ac triginta millia censebantur; tamen his, quod mirere, tantum animi, ac virtutis fuit, ut adversùs innumerabilium hostium multò maximam vim Germaniæ salutem non exiguo tempore tutarentur. Supremum belli Imperatorem Cæsar Carolum V. Lotharingiæ Ducem jussit, qui jam rebus gestis illustris, immensam ex hoc bello nomini suo gloriam peperit; Schulzius ad Moraviæ ac Silesiæ fines: Herbersteinius Carolostadii Gubernator ad Muram excubare jussi. Vienna belli caput à Barbaris petebatur; Ad hujus mœnia pridie Iduum Juliarum tot millium grave agmen consedit. Rudigerus Stahrenbergius Comes urbi præfuit, cujus invicta fortitudine, atque industriâ magnam partem invictum hoc Christiani Orbis propugnaculum stetit. Acerrima fuit oppugnatio, qualis expectari poterat à Barbaris virium suarum conscientiâ stolidè ferocibus, & vincere obstinatis: jámque in alterum

In bellum Turcicum desinunt.

Vienna à Turcis obsessa.

terum extrahebatur menſem. Etſi non facilè noſtris bellis urbs ulla majori alacritate defenſa ſit; ad extremum tamen cum viribus etiam animi collabebantur. Et erant cauſæ timendi graves admodum, ac multæ: vulgati per urbem morbi, ſuetum diuturnis obſidionibus malum: propugnacula fœdum in modum hiantia: miles adeò imminutus, ut ægrè in ſtationes ſufficeret; contrà ipſo labore incitatior hoſtis. Ità cùm proximè periculum res eſſet, auxiliares denique fœderatorum copiæ Cæſareanis junctæ ſe in conſpectum dant. Adfuere in caſtris præter Lotharingiæ Ducem Joannes III. Poloniæ Rex cum Jacobo natu majore filio; Maximilianus Bavariæ, Joannes Saxoniæ Electores; Ludovicus, & Hermannus Badenſes, aliíque magno numero ævi ſui clariſſimi Duces; quatuor item, & Sexaginta militum millia. Atque hi ſunt, quibus ſalutem ſuam Vienna debet. Pugna nequaquam remiſſa fuit, & facilis, quod ſcripſere quidam, ſed diuturna, atque, ùt cum deſperatis, cruenta; dum ad extremum Germani militis virtus, Polonorum ardori juncta, Barbarorum pertinaciam frangeret. Ceterùm dies afflictæ Urbi, Chriſtiano orbi toti, ſi paucos demas, lætiſſimus, duodecimus Septembris fuit. Cæſar ipſe Viennam properans exquiſitis verbis grates rependit Regi, qui belli causâ tam ſanctâ, tali ſucceſſu, tantum gloriæ ſuæ cumulum addiderit. Cecidêre hoſtium tota ea oppugnatione ad LXX. millia; ex obſeſſis VII. millia ferrum: morbus haud paulò plures ſuſtulit. Prædæ tantum fuit, quantum explendæ avaritiæ magni exercitûs abunde ſufficeret. Atque ut illud etiam adjiciamus: Stahrenbergius virtutis ergò aureo Vellere donatus; Kara Muſtapha (hoc Vezirio nomen erat) ſolitum Turcis infauſtæ expeditionis præmium, laqueum tulit. Ità profligatus hoſtis aliam rurſus ad Barcanum cladem accepit: è quatuordecim equitum millibus, peditum duodecim, tria non amplius millia evaſiſſe feruntur; Danubius plures, quàm ferrum hauſit. VII. Idus Octobres pugnatum eſt: fuítque omnino illuſtris victoria, ſeu pugnantium, ſeu cæſorum numerum, virtutémque ſpectes. Eodem impetu Barcanum, & Strigonium capta.

Liberatur, magna hoſtibus illata clade.

Clades Turcarum ad Barcanum.

LXXXIV. anni proſpera initio expeditio infauſtum denique exitum habuit: ùt ſunt belli æquè, ac fortunæ alterni caſus. Fœderi Leopoldum inter, ac Poloniæ Regem ſancito hoc demum anno Veneti quoque acceſſerant: jámque cæſis ad Vaciam, atque iterum ad Anſchebeggam Turcis omnium animos ingens expugnandæ Budæ ſpes ceperat. Aliter longè res cecidit. XV. Kalendas Sextiles cœpta oppugnatio: XIV. Kalendas Novembres ſoluta eſt; Lotharingi morbus, numerus militum juſto minor, &

Budæ oppugnatio irrita.

quæ

quæ nunquam non exercitibus funeſtæ ſolent accidere, ſimultates Ducum ſiniſtri eventûs cauſa fuere. Ingens clades accepta: ac penè quemadmodum ad Viennæ muros fracta Ottomanici vis Imperii, ità ad Budenſem ſcopulum Chriſtiani exercitûs felicitas, fama, robur adhæſit. At enim præſentis anni, ſi quæ fuit, labem egregiè inſequens annus abſterſit. Cæſa ad Strigonium duodecim ferè hoſtium millia. Uyvarinum, nequicquam obnitentibus Barbaris vi expugnatum; acciſæ à Schulzio perduellium res, captis Eperieſino, & ſuperioris Hungariæ Principe Urbe Caſſoviâ; &, quod his omnibus fuit lætius, editus in lucem Carolus Archidux, Auguſtæ Gentis ſpes altera, & aliquando Magno Parente Major futurus Filius. Rebus inſuper ab Herberſteinio Caroloſtadii Gubernatore, ac Leslæo feliciter geſtis: cremato ab hoc Eſſekini ponte, oppido ipſo direpto, regio omnis in terrorem data. His tot claris victoriis Anno LXXXVI. Buda acceſſit Urbs, tertio demum cruento aſſultu capta, oppugnatione ad poſteros memorabili, & cui parem pauci fortaſſe annales habent: tanta fuit Barbarorum, illud Imperii ſui Ottomanici propugnaculum defendentium ſeu ferocia, ſeu virtus; tot heroum ſanguine illi alteri velut Byzantio litandum fuit. Victoriæ nuntius tanta per Europam lætitiæ ſignificatione exceptus, veluti ea non tam Leopoldi Cæſaris, quàm Chriſtiani orbis propria eſſet.

Anni LXXXV. ſucceſſus felices.

Caroli Archiducis Natales.

Buda expugnata.

Nimis longum foret ire per ſingula, ac præter operis propoſitam brevitatem; quando nullus ferè deinceps fuit annus victoriâ vacuus. Septimo ſupra octogeſimum anno, collatis ad Mohazinum ſignis, duodecim ferè Barbarorum millia (vicena ſcripſere alii) interfecta: præda omnis generis ingens capta, egregiéque vindicata clades, quam Chriſtiano Nomini olim Solymannus eodem loco intulit, Hungariæ Rege Ludovico, ac Hungaricæ totius Nobilitatis flore ſublato. Octavo & octogeſimo fuſi rurſus in Bosnia hoſtes: Belgradum, extrema licèt Turcarum rabie defenderetur, Maximiliani Bavariæ Ducis invicta fortitudine expugnatum. Tota ferè cum Eſſekino Sclavonia, Tranſylvania, Servia, Bosnia Cæſari aſſerta; quibus undenonageſimo anno Ludovicus Badenſis, ille jam tot de hoſte relatis triumphis clarus, bis iterum pugnâ victor Albaniæ bene magnam partem adjecit. Fuitque tanta bello iſto Leopoldi felicitas, ut ſeptennio non integro quinquagenis plures urbes, arcésque validas imperio ſuo ſubjiceret; in his præter memoratas præcipuæ: Segedinum, Claudiopolis, Alba-Regalis, Mongatſinum denique, atque Caniſia fuere diuturna ambæ obſidione coactæ. Tot inter clades auſi tamen ſunt aliquando perduellium quidam Cæſareo

Turcæ ad Mohazinum cæſi.

in Hungaria ſuperiore militi perniciem machinari: adeò minus laboris habet urbes, quàm animos vincere. Sed patuere inſidiæ, detectósque Caraffa, cui militare per eas Regiones imperium erat, commerito ſupplicio affecit.

Gallus Cæſari bellum infert.

Tam lætis rerum ſucceſſibus moram injecit Ludovicus Galliæ Rex, felici magìs, quàm pio bello Leopoldum Cæſarem petens. Bellum tantò antea providens Cæſar LXXXVI. anno fœdere ſe cum Batavis, & Imperii quibusdam Ordinibus illigârat. Id inter belli cauſas Ludovicus recenſuit. Octavo ſupra octogeſimum anno armis initium datum eſt: Galli Offenburgo, Spirâ, Moguntiâ, Treviris, Heidelbergâ, aliis multis occupatis urbibus, tum demum, novi Feciales, bellum indicunt. Philippoburgum paucorum dierum obſidione expugnant. Ceteris deinceps annis præcipua armorum vi in Batavos, Anglos, Hiſpanos (nam & his bellum indixerat Rex) incumbente; nihilo tamen mitiùs Germania habita eſt. Heidelberga in cineres acta: rapinis, incendiis, cædibus fœdum in modum, nec militariter ſatìs ſævitum. Nec ante XCVII. annum ab armis diſceſſum eſt. Ryswici ſancita pax; cui ad XIII. Kalend. Octobr. Fœderati ceteri ſubſcripſere: Cæſar Kalendis Octobribus acceſſit. Gallia Rheno demum finita, quod dudum egerat Ludovicus: Argentinæ jacturam reddita Philippurgum, Briſacum, Friburgum reſarcierunt, aut certè viſa ſunt reſarcire.

Pax Ryswicenſis.

Quis hoc tempore Turcici belli ſucceſſus fuerit.

Hæc inter dubia belli adversùs Turcas, ac ferè adverſis, quàm proſperis propiora eventa fuere. XC. anno ſeculi Belgrado Turcæ, nequaquam pari tantæ urbi labore, potiti ſunt. Vulgò adeò proditionem interceſſiſſe creditum: erátque metus, nè tam ſecundis initiis ferociores, majora compendia facerent. Ità collabentes res erexit Ludovicus Badenſis, Carolo Lotharingo Succeſſor datus; is XCI. anno ad Salankemenum caſtris exutos hoſtes memoranda clade attrivit. Vicenis millibus plures eo prælio cecidiſſe feruntur: in his Vezirius ipſe cum præcipuis ferè Barbarorum Ducibus; machinæ bellicæ centum & quinquaginta novem captæ; omnis generis præda ingens victori militi ceſſit. Altero pòſt anno Varadinum Majus, illud Hungariæ propugnaculum, cujus olim jactura orbem Chriſtianum adeò perculit, difficili, ac diuturna obſidione ab Heiſtero preſſum, in deditionem denique venit. Nec deinde ullum ſatìs dignum memoratu operæ pretium factum; quòd ad Rhenum periculi plus, quàm ad Savum, aut Tibiſcum Cæſari immineret. Bis tantùm collata ſigna; ad Lugoſium XCV. anno Veteranus Dux, poſtquam integro ferè die paucis ſuorum maximam hoſtium multitudinem ſuſtinuiſſet, ſolo demum numero victus, fortiter pugnas in acie inter-

Turcæ ad Salankamenum internecione penè deleti.

Varadinum captum.

Pugna ad Lugoſium.

interfectus est. Periêre sena hostium millia; quidam ad duodenum numerum augent: major certè victorum, quàm vincentium gloria fuit. XCVI. anno ad Temesiam dimicantes nox dimisit. Anceps pugna, & utrique parti cruenta fuit, túmque Heislerus cecidit, non una illata Barbaris clade notus; Cæsareanorum ut conspectius damnum esset, illud fecit, quòd exercitus ad exiguum admodum numerum defluxisset: non secùs, ac exhaustum corpus etiam leviter punctum gravi sæpe dolore afficitur. Et jam consenescere belli fortuna videri poterat, redierántque Barbaris animi, cùm insequente denique anno ad Zentam ab Eugenio Duce immani clade fracti, ac debellati sunt. Cecidit haud dubiè flos militiæ Turcicæ. Vicenis millibus plures ferrum: dena ferè millia Tibiscus hausit. Illustrior victoria fuit: quòd spectante Mustapha Imperatore, ac nequidquam frementé, parta: nostrorum non ultra quadringentos desiderati sunt. Hoc initium vincendi Eugenio fuit, hoc velut rudimentum bellicæ illius gloriæ, quæ deinceps tantis auctibus crevit, ut nemo antea Ducum aut plures, aut ampliores de hoste triumphos tulerit. Biennio ferè pòst Carlovicii vicenorum, & quinque annorum induciæ pactæ. Hungaria ferè tota, Sclavonia, Transylvania, Croatiæ pars victoriarum præmium fuere: immortali Leopoldi Cæsaris gloria, & felicitate, Barbaris ditiones eas pauculos intra annos extorquentis, quas ipsi ægrè ducentorum propè annorum spatio occupâssent.

Et ad Temesvarinum.

Cum Turcis ab Eugenio debellatur ad Zentam.

Pax Carlowicensis.

Pax inde fuit, sed ùt aliàs semper, belli metu suspensa, & quæ in atrox reverà bellum desineret. Septingentesimo supra milleſimum anno ipsis Kalendis Novembribus vitâ functus est Carolus II. Hispaniarum Rex, Austriacæ apud Hispanos Gentis postremus. Amplissimas Caroli ditiones ea morte ad Leopoldum Cæsarem hæreditario jure devenisse, nemo æquus erat rerum arbiter, qui dubitaret. Quas cùm Philippo Andegavensi Duci, Ludovici XIV. Regis Nepoti assertum Galli irent, bellum exortum est, quô haud scio, an inter Christianas gentes ullum unquam fœderibus, expugnationibus urbium, sanguinolentis pugnis, cladibus victoriisque, mira denique eventuum diversitate memoratu magìs dignum gestum sit. Itaque cùm mox ab excessu Caroli Regis in Mediolanensem, ac Belgii ditiones, velut relictas possessiones Galli involâssent, Italia prima belli sedes delecta est. Huc per invias antea militi alpes delapsus Eugenius Sabaudiæ Dux Gallos ad Carpium primò, mox ad Clarium superat; altero pòst anno, secundo & septingentesimo, Villaregium Gallorum Ducem inspectantibus, ac nequidquam obnitentibus hostibus Cremonâ captum abducit: tantùm non Urbe

Caroli II. Hispaniarum Regis mors.

Novi belli adversùs Gallos origo.

Memorabilis Eugenii in Italiam ingressus.

ipsa in potestatem redacta. Subinde, & ad Luceriam cruento prælio dimicatum, Cæsareanis victoribus. Nec feliciores multò in Germania Galli: expugnatum ab Josepho Romanorum Rege Landavium, Urbs vallo, operibúsque munitissima. Itaque pertractis insuper anno superiore in armorum societatem Batavis, Anglis, ac Borussiæ Rege magnum in dies robur, ac firmamentum ad Cæsareas partes adjiciebatur. Et jam DCCIII. anno Leopoldus Cæsar Filiorum alterum Carolum Hispaniarum Regem dixerat, per immensos terrarum, mariúmque tractus armis debita sibi jura vindicaturum. Hos tam lætos rerum successus inopinata abruperunt Bavarici belli initia. Imminebat Germaniæ toti periculum: Bavaris quidquid est Munitionum ad Danubii ripas Ulmâ Patavium usque obtinentibus; penetrante se in intima Germaniæ viscera Gallo; Hungaria, elapso nuper è Neostadiensi carcere Ragoczio, novis motibus agitata; perduellium manipulis Viennæ ipsius Mœnia incursare ausis. Haud facilè aliàs angustiore loco Austriacæ res erant; neque dejici tamen de sua illa invicta magnitudine animi Cæsar potuit. Et brevì rebus afflictis affuit Deus. DCCIV. anno ab Eugenio, & Marlborughio ad VI. Nonas Julias Nolano in Monte primùm superati hostes; Idibus deinde Augusti, cùm ad Höchstadium infestis signis universi exercitus concurrissent, internecione penè deleti sunt. Cecidere XVIII. ferè Millia ferro, & aquis hausta; tria supra decem Millia cum Talardo Duce, abjectis armis, victorum clementiæ se permisere. Qui minimum censent, vicena Millia hostium cæsa captáque scribunt. Funestissimam sibi eam pugnam accidisse Galli ipsi fatentur: omnium certè confessione tanta fuit, ut à multis retro ætatibus nullam inter Christianos reperire sit æquè cruentam, & attrita altera parte insignem. Victoriæ tam illustris pares fructus fuere: Bavaria tota Leopoldo asserta; Landavium, Treviris, urbes aliæ munitissimæ receptæ; rejectis trans Rhenum Gallis expurgata ab hoste Germania. Auxit lætitiam res in Hungaria quoque ab Heistero prosperè gesta. Bis cum numeroso admodum hoste pugnatum est. Junio primùm mense; iterum ad Tyrnaviam exeunte anno; septimus Kalendas Januarias fuit. XL. hìc tumultuantium millia censebantur, Berczenio ductore. Utroque prælio magna clade fusi, fugatíque sunt, adhæsítque victis adeò cœcus Ducis hujusce metus, ut unius sæpe Heisteri nomen instar justi exercitûs esset.

Leopoldus Carolum Filium Hispaniæ Regem dicit.

Celeberrimam ad Höchstadium de Gallis victoriam reportat.

His tot relatis de tam diverso hoste victoriis clarus Leopoldus Cæsar quinto seculi anno, V. Maij die, ætatis quinto pariter, & sexagesimo, Imperii supra quadragesimum septimo fatis concessit. Magnus bello, ac pace Princeps, & qui, quemadmo-

Obitus Leopoldi.

Ejusdem virtutes.

modum regendi diuturnitate plerosque, ita virtutum illustrium, quæ tantum Principem deceant, ornamentis propemodum omnes, qui Romano Imperio antea præfuerunt, Cæsares longissimè superavit: neque suos tantùm Germaniæ Carolos, Ottones, Henricos, Lotharios, & Fridericos, sed his aliquid majus in se uno restituerit. Pietate in DEUM, ac superos singulari erat, & quæ vel Barbaros ipsos juratósque sacrorum Christianorum hostes non semel in stuporem dederit, cùm, viso in supplicationibus publicis Cæsare, minimè mirandum esse dictitarent, si tam pius Cæsar tam pronum in vota sua Cælum haberet. Domum suam quemadmodum una præcipuè Religione fundavit ad perennitatem; ità minorem eam facturus erat, si ampliorem etiam, quàm fecit, Domum DEI facere potuisset. Cùm Ferdinandus II. Regnis se omnibus multò malle decedere, instructúmque scipione stipem quærere profiteretur, quàm, quæ Catholicæ Religioni probrosa essent, admittere; etiam hunc abjecturum se cum vita, & sanguine Leopoldus in Comitiis Ratisbonensibus aliquando palàm edixit, si id ità Religionis causa ferret. Et verò testes pietatis hujus sunt Ædes sacræ octingentis ferè plures, quas in Hungaria avitæ Religioni restituit, non paucis etiam, quæ dirutæ erant, instauratis; statutæ per omnes ferè Provincias aræ; Divinæ Triadi sacer Colossus, eleganti, ac magnifico opere Viennæ, alii alibi excitati. Ad Marianas Cellas, celebre inter Styrorum alpes Divinæ Matris templum nonùm profectus, nunquam non amplissimis donis suum in Divam Virginem animum testatum fecit: etiamnum hodie, ut cetera taceam, odæum sacrum pulcherrimi operis cratibus Leopoldi Augusti liberalitate præstructum visitur. Hujus ille Virginis patrocinio arma, Provincias, populos: huic gravissimorum negotiorum exitum commendabat, ferè semper felicem. Jam virtutes ceteræ Leopoldi nihilo erant pietate inferiores. *Pietas.*

Nullum fuit hominum genus, ad quod munificentia Cæsaris non pertineret. De plerisque Europæ Regibus ità meritus est, ut pauci sint, qui non salutem illi, aut grande quod beneficium in acceptis ferrent. Provinciarum securitati extructa Leopoldopolis, Jaurinum, Essekinum, Petrovaradinum, Aradinum propugnaculis cincta: Græcensis Urbis instaurata ex parte Mœnia. Quod Augusto Roma, hoc Leopoldo Vienna debet, Munimentorum robore, splendore ædium, opibus illo Imperatore immensùm aucta. Atque ut hoc etiam grati animi ergò commemoremus: Ordini nostro mirè se benevolum semper præbuit, plurimis maximísque beneficiis collatis; neque alibi nobis adversùs æmulorum injurias perfugium, quàm apud *Munificentia.*

Literarũ amor. Cæſarem tutius fuit. Scientias quàm amaret, binæ, quas condidit, Academiæ Oenipontana, & Wratislavienſis: altera item virorum eruditorum, quæ ab Leopoldo nomen habet, ſocietas multis magnísque privilegiis aucta teſtatum faciunt. Sed nulla re illuſtriores literas reddidit, quàm quod iisdem in animo ſuo locum reliquerit. Latinam ità condidicit, non ut promptè modò, ſed vel cum eruditis venuſtè loqueretur. Poëticâ, & Oratoriâ non leviter tinctus, Hiſtoriam omnem, Regiam nempe diſciplinam, brevi tempore percurrit. Legum doctrina, Mathematicis diſciplinis, civili inprimis, & militari Architectonica, mirè capiebatur; ut adeò Germanum hunc Cæſarem Romanus ille nec gladii, nec calami gloriâ ſuperârit. Neque tamen hac literarum contentione vis animi enervata eſt, qui jam tum Regiam quandam Majeſtatem ſpiraret. Et verò hæſit aliquando in Leopoldi etiamnum Infantis obtutu defixus Legatus quispiam Turcicus; auguſtum eſſe quid in oculis, ac fronte faſſus, quod immania Ottomannis damna præſagiret. Quibus potiſſimùm artibus in gubernandis populis uteretur, ſymbolum exhibet, quod ipſe ſibi delegerat: deſignabatur videlicet ſceptrum & gladius, ac utrique vigil incubans oculus; his adjectum lemma: Conſilio, & Induſtriâ. Conſilii certè tanta fuit acrimonia atque vis, quanta eſſe debuit illi, qui Orientem atque Occidentem mente complexus, artes utriusque, & tantùm non conjuratas opes, velut in ſcopulum impactas, confregerit. Hoc ille Conſilio ſuo Induſtriæ admirabili, ac Divinæ propè ſapientiæ juncto effecit, ut, cùm triumphâſſe ſe hoſtes crederent, repentè victos teneret; fœderáque adversùm ſe inita, non ſemel in hoſtes ſuos obverteret: reſtituturus etiam veteres Germaniæ limites, æmulorúmque alterum Europa omni depulſurus, ſi eadem fuiſſet ſociis mens atque conſtantia, eadem in pacificationibus fides; aut paulùm ipſi vitæ ſuperfuiſſet. In deligendis rerum ſuarum adminiſtris præcipua Leopoldi ſagacitas erat felicitati juncta: ut aptiſſimi plerumque eſſent, quos ipſe optâſſet; haud facilè certè ullus antea Imperatorum fuit, qui æquè belli ac pacis artibus præſtantes, támque multos haberet. Invictus illi à cupiditatibus animus, ac propè rigidæ innocentiæ fuit, in quam nec invidiæ ipſi quidquam liceret. Tot annorum, quos Reipublicæ gubernandæ dedit, pauci erant bellorum expertes; è tot tamen bellis, nullum niſi poſtremum indixit: ſi indicere bellum eſt, ereptis contra jus fásque poſſeſſionibus, quæ niſi armis extorqueri non poſſint, hoſtem dejicere. Qua moderatione animi, ſi ceteri omnes Principes eſſent, næ felix ſit Chriſtiana Respublica, bellorum omnium ſublatâ causâ. Leopoldus certè his modeſtiæ, temperantiæ, fidei teſtatiſſimis laudibus non Germanorum

Regendi artes.

Animus procul ab ambitione remotus.

norum Principum tantùm, ſed exterorum etiam Regum animos ità conciliavit, ut neminem fortaſſe Cæſarum obſervantiâ, & benevolentia majore proſecuta ſit Europa. Ut adeò Magni cognomentum non illi adulatio ulla humana, ſed tanto Cæſare dignæ virtutes: ingentia de Germania univerſa, de humano genere, de Religione merita adjecerint.

Ternæ LEOPOLDO fuere Conjuges: Thereſia, Claudia, Eleonora. E Matrimonio primo una vitalis fuit Maria Antonia Archi-Dux, LXXXV. anno Bavariæ Electori Maximiliano in magnas ſpes deſponſa; Ferdinandus Wenceslaus altero, poſtquam natus eſſet, anno: binæ aliæ proles mox ab ortu extinctæ ſunt. Claudia binarum prolium Mater effecta; ſed quibus perbrevis pariter vita eſſet. Eleonora Magdalena Neoburgi Dux LEOPOLDO LXXVI. anno, quarto decimo Decembris die, Paſſavii deſponſata eſt, fuítque Matrimonium illud non Germaniæ tantùm, ſed Europæ toti auſpicatiſſimum, procreatis Joſepho, & CAROLO Imperatoribus Maximis: His acceſsêre octonæ aliæ proles: è quibus ternæ ſuperſtites: Maria Eliſabetha LXXX. anno nata, quæ, dum hæc ſcribimus, Belgium pro CAROLO Auguſto Monarcha gubernat; ſingularis prudentiæ ac moderationis Princeps. Maria Anna LXXXIII. anno nata, quæ deinde VIII. Seculi hujus anno Joanni V. Luſitaniæ Regi in Matrimonium collocata eſt. Maria denique Magdalena anno ſupra octogeſimum nono in lucem edita: vivunt hodiedum omnes, non magìs Paternis, quàm propriis virtutum laudibus inſignes. At Eleonora Imperatrix LEOPOLDO Conjugi ad annum usque viceſimum ſeculi ſuperſtes, XIX. Januarii die mortem oppetiit, ætatis annis LXV. exactis: vivum abſolutúmque virtutum omnium exemplar, & quâ ſanctiorem Principem nec priſca illa ſecula dederint.

Conjuges, & Liberi.

JOSEPHUS I.

Imperator.

DUX STYRIÆ XXII.

IMperium Josepho Cæsari non diuturnum illud quidem, sed rebus gestis, victoriarúmque numero, & amplitudine memorandum imprimis, atque auspicatissimum fuit. Accepto gravi ad Höchstadium vulnere, etsi nutare Galliæ res viderentur; nondum tamen ità profligata Regni opulentissimi fortuna erat, quin subinde vires resumeret, In Belgium præcipuè, atque Italiam armorum furor incubuit. Tametsi initio, & in Germania, atque ad ipsos penè Austriæ limites bellum, seu veriùs belli species erat. Gliscens aliquanto jam tempore per Bavariam seditio quinto supra septingentesimum anno in apertam demum flammam erupit: plebs rustica, nescio quam ereptam sibi libertatem causata, arma corripit; tumultu repleri omnia: volitare Provinciâ totâ perduellium signa; & jam Burchusiâ, Braunoduno, Schardingâ, oppidis aliis repentina incursione captis, apparatu inde militari, bellicísque Machinis aucti penè ad justi militis modum excreverant. Hoc successu rerum ferociores, cùm in exitu annus esset, Monachium obsidione cingunt. Omnia per iram, atque tumultum acta; neque multò etiam pòst obsessæ urbi auxilio Cæsareus adfuit miles. Ità cùm jam se undique premi agrestes, & belli artium rudes turbæ viderent, nè primùm quidem impetum sustinuere, momentóque in fugam acti bellico omni apparatu exuti sunt. Seditionis reliquiæ à Kriechbaumio altero pòst anno oppressæ. Is receptis, quæ defecerant, oppidis tumultuantes, promissis ab Electore auxiliis destitutos, ità omnes attrivit, ut in lucro ponerent, quibus salvis ad aratra reverti contigisset.

Bavaricæ turbæ.

Penitus oppressæ.

Hæc in Bavaria ad annum sextum & septingentesimum acta. Idem in Belgio, Hispania, atque Italia Josepho, & Carolo Augustis Fratribus felix, si quisquam alius, auspicatúsque fuit. Ejecto licèt anno superiore aggeribus suis hoste, quibus se in Brabantia obvallârat, nihil dum ad rerum summam gestum fuerat: nec adhuc discrimen fecerat fortuna belli, quà datura vires esset; at

hoc,


IOSEPHUS I.
Responsura Tuis nunquam par fama triumphis. Horat.
Christ. Dietell sculpsit Gracy.



hoc, quem diximus, anno Marlborughii felicitate, atque fortitudine exercitu Gallorum florentiſſimo profligato, in Cæſarem ac Fœderatos victoria denique inclinavit. Ad Judoniam X. Kalend. Junias dimicatum eſt, Brabantiæ oppidum exigui anteà nominis; ſed ab hujus eventu pugnæ ad poſteros memorandum. Infeſtiſſimis animis concurrêre uterque exercitus, veteris æquè ac recentis gloriæ æmulatione accenſi; extractóque in ſeram noctem certamine, magna Gallorum edita Strages; quinquies mille capti; in poteſtatem redactis eodem impetu caſtris, impedimenta, bellicus omnis apparatus Fœderatis ceſſit. Sunt qui ad XVIII. millia hoſtibus eo die periiſſe ſcribant. Illuſtris certè victoria fuit, non magìs cæſorum hominum clade, quàm quòd Belgii nobiliſſima portio Carolo Regi ſuo aſſerta eſt. Lovanium, Antverpia, Bruxellæ, Mechlinia Brabantiæ: Gandavum, Brugæ, Aldenarda, Cortracum Flandriæ magnam partem validiſſimæ urbes, deſertæ à Gallis, nullo certamine ſubactæ; Oſtenda ægrè aliàs ab Ambroſio Spinola poſt annorum trium obſidionem coacta, tridui non ampliùs oppugnatione in deditionem venit; Teneramundâ, & Meninâ paucorum pariter dierum labore captis.

Celeberrima Fœderatorum de Gallis victoria ad Judoniam.

Ejus fructus.

Hæc nuntiata Viennam tantò accepta ſunt lætioribus animis, quantò res in Hiſpania quoque ab infauſtis initiis feliciorem exitum nactæ ſunt. Barcinone Urbe terrâ marique cincta, Carolus ipſe Rex obſeſſus ab hoſtibus tenebatur: & in ſpem venerant Galli, fore, ut parem Papienſi vicem redderent. Dei Opt. Max. nutu evenit, útne id illis conſilium è ſententia cederet. Incredibili primùm Caroli fortitudine, fœderatæ ſubinde Claſſis adventu hoſtes ad IV. Idus Majas, ingenti accepta clade, ab obſidione depulſi ſunt; ſtetítque invicta Urbs: longè illuſtriſſimum futuræ aliquot pòſt annis incorruptæ in Principem fidei monumentum. Ab hac victoria Carolus Madritum usque felicibus armis progreſſus eſt, Arragoniis quoque in fidem adactis: quod jam anno ſuperiore Catalauni, & Valentini præſtiterant.

Barcino obſidione liberata.

Belgas, Hiſpanósque ſecuta Inſubria, atque altero pòſt anno Neapolis. Inſubriæ munitiſſimas arces ab exceſſu Caroli II. Hiſpaniarum Regis Galli invaſerant; bis ſubinde ad Carpium, & Clarium ſuperati, quinto & ſeptingenteſimo anno ad Caſſanum prælio rurſus decertant. Acerrima pugna fuit, & victoribus quoq; Cæſareanis cruenta; hoſtes ut cladem mitiùs ferrent, ſibi victoriam adſcripsere. Jámque animis elati, cùm præſertim anni VI. initio auxiliares copias, longè numero inferiores, è Germania miſſas ad Calcinatum fudiſſent, in ſpem opprimendi cum Auguſta Taurinorum Sabaudiæ Ducis venerant. Quatuor ipſos menſes obſidio tenuit, eáque minimè ſegnis; hinc ſpes, hinc deſpera-

tio animos irritat: Gallis, cepisse jam se Urbem, si paululùm adnitantur, credentibus; Daunio contrà urbis propugnatore, crescentibus in dies magìs periculis, etiam intendente curas, & ubi plurimum laboris ac trepidationis erat, inter primos se offerente. Septimo demum Idus Septembres & salutem obsessis, & hosti perniciem Eugenius attulit. Is trajecto, nequidquam obnitentibus Gallis, Pado, adjunctísque, quas Sabaudus scripserat, copiis, hostilia ipsa Castra adoritur. Vallo operibusque egregiè munita erant: & quòd victis spei nihil relinqueretur, acerrimus erat resistentium impetus; sed neque Dux Duci par, nec ad extremum Germani militis robur Gallus tulit. Itaque superato vallo, expugnantur denique castra: undique sterni, capíque hostes; nec ante noctem fugiendi aut cædendi finis factus. XXX. Gallorum millia eo prælio atque oppugnatione feruntur cecidisse; captivorum septena ferè millia fuere: hos inter CCC. variorum Ordinum Duces. Qui exercitui hostili præfuere Imperatores Aurelianenſis Dux, & Marsinius, ambo saucii: hic etiam altero à pugna die Taurini ex accepto vulnere mortem oppetiit. Ingens præda militi cessit: Bellicæ Machinæ ducentis plures captæ. Victoriæ tam illustris auctarium longè nobilissimum fuere Longobardiæ munitissimæ urbes, magno numero vi aut voluntate in potestatem redactæ; præsidiarius in his miles omnis dedititius fuit. Sunt qui Gallorum ea una æstate in Italia ad quinquaginta millia cæsa captáve scribant. Fractis hoc uno prælio viribus, nequaquam aliquid ultra, tanto rerum suarum periculo, in Italia tentandum sibi putârunt hostes; ac insequente demum anno initis ad III. Kalend. Martias pactis Mediolanensi arce (Urbs enim mox à Taurinensi pugna victores læta volénsque acceperat) Cremonâ, Mirandulâ, Mantuâ, ceterísque, quæ reliqua ipsis erant, locis excessere. Atque adeò magno suo malo didicit Ludovicus XIV. quod ceteri ferè omnes ab Carolo VIII. Reges experti sunt, Insubrica bella initio Gallis, quàm exitu lætiora esse.

Galli ad Taurinum victi.

Totâ Insubriâ depelluntur.

Neapolitanum Regnum occupat Daunius.

Neapolim inde verso bello, opinione proniora cuncta fuere. Neapolis Urbs Regni Princeps mox ab adventu Guirici Daunii Comitis Cæsari se, Carolóque Regi permittere: secutæ hujus exemplum reliquæ omnes Urbes: Cajeta vim experiri ausa, assultu capta est. His anno demum octavo Sardinia, atque Minorica Insulæ accessêre.

Hungarici tumultus.

Sed jam ab intervallo tanto in Hungariæ campos revertamur, vel eo nomine sanè quàm infelices, quod nunquam non tristis seditio est, seu vincat, seu vincatur. Inde à suscepto Imperio pacis curam nunquam intermiserat Cæsar; Viennæ primùm, sæpius deinde Tyrnaviæ, arbitris Anglis Hollandísque tentata, nunquam

coa-

coaluit. Nec in uno aliquo tantùm Hungariæ tractu incendium sæviit; sed in omnem se partem flamma dabat. Ragoczius Tumultuantium erat caput, ísque palàm se pro Transylvaniæ Principe gerebat. Addidere animos urbes munitæ non paucæ, quas præsidio obtinebat; ex his in adjacentes circùm regiones igni, & ferro actum: neque semel furialibus hisce flammis Austriæ, Styriæque fines arsere. Ingentia data damna; etsi non minora sæpe accepta sunt. Quinto seculi anno XL. hostium millia Leopoldopolis obsidione pulsa fundit, fugátque Herbevillius Cæsareanorum Ductor, bellico omni apparatu capto. Eosdem triennio pòst ad Trenchinium Heisterus penè internecione delet; sena millia in acie cecidêre: nostrorum paulò ducentis plures. Non defuere, qui ad Turcarum Imperatoris opem confugerent; sed renuebat ille auxilio adesse in Regem suum arma ferentibus, atque adeò, misso quamprimùm nuntio, Cæsarem, quid actum secum esset, edocuit. Et ab Gallia quoque verborum, quàm rei plus affluebat. Ità cùm nec suis, nec externis viribus jam stare possent; tamen armis non abstinebant. Adeò vel infeliciter defensum libertatis nomen (nam rem ipsi pessumdabant) placebat: & eâ causâ vinci malebant, quàm non tentare victoriam. Apparebat bello non antè finem facturos, quàm exuti iis, quas adhuc tenebant, munitionibus essent. Itaque nono supra septingentesimum anno bis profligatis non paucæ ab Heistero ademptæ Hungariæ inferioris urbes. His accessêre altero anno Leutschovia, Eperiesinum, Scepusium, Agria, & quod rei caput erat, Uyvarinum, vallo operibúsque munitissimum, mensium octo obsidione captum. Undecimo ad extremum anno Cassovia, quæ una ferè supererat, in deditionem subacta est. Ità fracti demum tumultuantium animi: páxque tanto pòst invervallo Hungariæ restituta est; admissorum gratiâ omnibus, qui redirent, factâ quòd uti nollet Ragoczius, in Poloniam paucis comitantibus abiit: ceteri fidem Josepho sacramenti religione adstrinxere. Hæc etsi magnam partem Cæsaris jam demortui nomine acta sunt; tamen, quod mirere, etiam intellecta morte sua pactionibus fides constitit.

Tumultuantes ad Leopoldopolim victi ab Herbevillio: Et ad Trenchinium ab Heistero.

Multis urbibus depelluntur.

Pax demum Hungariæ restituta.

Hæc inter parùm prosperam se fortuna belli in Germania præbuit. Septimo supra septingentesimum anno Villarius trajecto Rheno Franconiam, Sueviámque, nemine obsistente, populatur. Mercyus decem & septem Gallorum turmis propè Hercyniam sylvam dissipatis, biennio pòst, dum Burgundiam tentat, majori clade afficitur. Neque aliud quidquam, seu cessantibus Ducibus nostris, seu quòd vis omnis belli versa in Belgium esset, memoratu satis dignum in Germania gestum est.

Res in Germania sub Josepho Cæsare gestæ.

Fœderati ad Aldenardam victores.

Belgium hæc inter nunquam non lætum Josepho Cæsari extitit. Junctis ibi viribus animísque bellum gessere Eugenius ac Marlborughius, summi non nostræ tantùm, sed omnium ætatum Duces. VIII. annò ad Aldenardam XI. Julii die pugnatum est, victis pro more Gallis. Præter magnum cæsorum numerum, septena millia capta. Clarior victoria fuit; quòd spectantibus Burgundiæ ac Bituricensi Ducibus parta est. Infesta inde in Artesiam usque, hostilem Provinciam Flandriæ vicinam, illata signa. Idibus demum Augusti Insulæ obsidione cinctæ, urbs operibus præsidióque validissima. Nihil non egêre Galli, ut ab hac velut arce rerum suarum Fœderatos averterent: irrito semper conatu; Bruxellarum oppugnatio non ferè citiùs ab hoste cœpta, quàm adventante fœderati exercitûs parte relictis castris, & apparatûs militaris non exigua vi omissa est. Secuta non multò pòst Insularum deditio. Gandavum, rigente licèt hyeme, decimo obsidionis die: Brugæ nulla adhibita vi: & insequente anno Tornacum, urbs inter Europæ munitissimas, acri magìs quàm diuturna oppugnatione coacta Cæsari se dedidêre. Ità inclinantem hostium fortunam novum, illúdque gravius perculit malum: conserta propter Malplaquetum Hannoniæ oppidum pugna, utrique parti cruenta, sed multò Gallis funestissima. III. Idus Septembr. noni supra septingentesimum anni triplici vallo munitos aggressi sunt Fœderati. Magno irarum certamine gesta res, ut non cum Gallis toties victis, sed cum aliqua nova gente videretur dimicatio esse. Diu anceps prælium fuit, atque adeò ad ultimum penè laboris ac periculi ventum est; dum victâ denique pertinaciâ insolitâ hostium perrumperetur. Sex supra vicena millia utrinque cecidisse nonnulli scribunt. Victoriam à Fœderatis stetisse, & relicta hostilium tormentorum bene magna pars, & non multò pòst capti Hannoniæ Montes indicio fuere, & visi sunt Galli ipsi fateri, obsessæ urbi, Hannoniæ Principi, suppetias venire nequaquam ausi.

Insulas Flandriæ urbem,

Et Tornacum capiunt.

Cruenta in Hañonia pugna.

Tot cladibus attriti sentiebant hostes imminere ferrum jugulo suo, brevíque sibi in Gallia sua de Regno dimicandum fore; cùm præsertim altero pòst anno perruptis aggeribus Fœderati Duacum: Bethuniam deinde, Fanum S. Venantii, Ariam Artesiæ urbes uno velut victoriæ æstu expugnâssent. Itaque de pace agi cœptum; sed quod nondum pro victa se gereret Gallia, nihil peractum est. Ceterùm ingens ea res Ludovico Regi compendium attulit, & quô majus, nè si pax quidem, ùt tum res erant, patrata esset, habiturus fuerat, injecta videlicet Fœderatorum quorundam animis aureæ pacis cupiditate. Jam tum certè in Anglia secessionis ejus initia jaciebantur, quæ deinde Fœderatorum

Duacum, & Artesiæ urbes quædam anno uno in deditionem veniunt.

Ludovicus Galliæ Rex de pace agere incipit.

res

res tantùm non afflixit: Anglis rerum peritioribus nunquam probata eſt.

Cùm hæc maximè agerentur, Josephus Cæſar morbillis oppreſſus, in ipſo ætatis flore, incredibili omnium dolore ac luctu extremùm vixit, ætatis tertio & trigeſimo anno, Imperii ſexto nondum exactis. Quintus decimus dies Kalendas Majas undecimi ſupra ſeptingenteſimum anni Cæſari fatalis fuit. In lucem editus eſt ſexta & vigeſima Julii LXXVIII. anno ſeculi XVII. Sacro fonte luſtratus Josephi nomen accepit, neque Auguſtæ Domui ſuæ, nec Europæ Principibus ceteris antea uſitatum. Leopoldus Parens triennio antè ceremoniâ maximâ Divo huic ad Cæleſtem aulam Patrono ſe, Gentem, Provincias ſuas in clientelam dicârat; huic adeò maſculæ prolis tam expectatum partum in acceptis ferebat, dignúmque viſum eſt, ut in Patroni nomen Cliens tranſiret. Neſcio quid divinationum præbuit, quòd infans inſerto in os digito, comminantis ſpeciem in partu præſetulit, niſi jam tum fortè hoſtibus ſe metuendum oſtenderit. LXXXVII. anno V. Idus Decembr. Poſonii Hungariæ coronâ inſignitus eſt. Memoratu dignum, quòd Regnum illud hæreditario nomine crevit, veteri ſcilicet pactionum jure, ad quod nova Auguſtus Parens belli jura adjecerat. Iisdem comitiis omnium ſententiâ antiquata eſt licentiáne dicam, an libertas, ab Andrea II. Hungaris data, in Regem arma ferendi, à quo decerptum quidquam de privilegiis ſuis exiſtimarent. Anno XC. ſubinde Magno Parenti ſucceſſor datus Francofurti ad VII. Kalend. Februarias ſolenni ritu inauguratus eſt. Imperium Romanum ab Leopoldi exceſſu, clarus jam reportatis de hoſte triumphis adiit: Landavio bis expugnato, quod adeò munierant hoſtes, ut nulli ceſſurum ipſi jactarent. Nono ſupra nonageſimum anno Conjux adſcita Wilhelmina Amalia Joannis Friderici Hannoveræ Ducis Filia, quæ, dum hæc ſcribimus, etiamnum vivit pietatis operibus addictiſſima. Ternæ ex hoc matrimonio extitere proles: Leopoldus Joſephus DCC. anno in maximas Europæ ſpes natus, altero pòſt magno omnium luctu extinctus eſt. Maria Joſepha nonum & nonageſimum ſeculi ſuperioris, Maria item Amalia alterum, & ſeptingenteſimum annum natales habuere. Ambæ ſuperſtites, hæc Bavariæ Electori Carolo Alberto; illa Friderico Auguſto hæreditario Saxoniæ Principi matrimonio junctæ.

Joſephi Cæſaris obitus.

Ejus Natales.

Coronatur Rex Hungariæ.

Et Romanorum.

Ejusdem Conjux.

Et Liberi.

Ceterùm ſupremam moriendi neceſſitatem Josephus, etſi florente adhuc ætate, & in ipſo victoriarum curſu invictâ tulit conſtantiâ: clementem ſibi haud dubiè ſperare Deum ſæpius dictitans, quòd & ipſe clementem ſemper ſe omnibus ſuis præbuiſſet. Maximarum virtutum Princeps fuit. Nihilo his inferio-

Virtutes.

res ceteræ animi dotes, dignæ planè tanto Imperatore, & quas æquè amarent subditi populi, quàm formidarent hostes. Admirabilis præcipuè erat ingenii vis, atque perspicacia: quâ haud facilè dixero, an pares multos Principes Europa habuerit. Nemo fortasse Imperatorum fuerit, qui tam multas atque illustres tam paucis annis victorias reportârit; & quod rarò admodum humanis rebus contingit: perpetua ad extremum usque felicitate usus vitâ decessit.

ACceptum è Josephi obitu vulnus útne persentisceret Europa, CAROLUS fecit Imperii Augusti successor. Hujus res bello ac pace præclarè gestas, quibus jam nunc Majores suos omnes æquat, erit haud dubiè, qui aliquando luculento opere describat. Nobis temerarium visum est Tanti Cæsaris vitam, qui famâ Nominis sui, gestarúmque rerum gloriâ Orbem implet, pauculis quibusdam foliis complecti. Ad hæc, quoniam præsenti scribimus, metuendum erat, nè adulatio videretur, quod veritas est. Unum illud precamur, DEUS ut hunc Orbi Cæsarem Maximum quàm longissimè incolumem, atque adeò, si id humanarum rerum conditio ferat, immortalem servet.

FINIS.



INDEX RERUM MEMORABILIUM IN HISTORIA DUCUM STYRIÆ CONTENTARUM.

Numerus Romanus partem denotat: alter ejuſdem partis paginam.

A.

ABbas Sanct-Gallenſis compeſcitur ab Alberto I. part. I. 123.

Adolphus Naſſovius Imperator eligitur, part. I. 137.

Electores ab eodem alienantur, ibid. 145. Ei crimina objiciuntur. Agitur de abrogando ei imperio ibid. Bello petitur ab Alberto I. l. 146. cæditur, 147.

Agnes, Henrici Moraviæ Marchionis uxor cælitus ſanatur. Cellas Marianas ampliori ædificio ornat, I. 61.

Agnes Alberti I. Filia, in Hungaria captiva, liberatur, I. 149. Monaſterium exſtruit, I. 157. & 159.

Albertus I. *Triumphator* Dux Styriæ VI. ab Auſtriæ, ſtyriæque Legatis in ducem poſtulatur, I. 122. Inauguratur Auſtriæ Styriæque Dux. Abbatem Sanct-Gallenſem compeſcit. Henricum Bavarum armis petit. I. 123. Queritur apud Regem Hungariæ de graſſationibus Ibani Comitis Ginſienſis in Styria factis, I. 125. Nuptias Principum Viennæ celebrat, ibid. Bellum adverſus Ibanum ſuſcipit, ibid. Pax ſancitur, ib. 126. Alteram contra Ibanum expeditionem adornat, ibid. Ginſium deditione capit, 127. Bellum ſuſcipit adverſus Rudolphum Salisburgenſem ArchiEpiſcopum, ibid. 128. Friſacum & Wanſtorffium ſubigit, ib. Pax cum Salisburgenſi interturbatur operâ Henrici Admontii, I. 129. 130. Rudolphi Salisburgenſis bona occupat, qua occaſione? 130. Andream III. Hungariæ Regem Viennæ Hoſpitio excipit. Bellum cum eodem, I. 132. Styriæ Privilegia confirmat, 136. Francofurtum venit ſpe, ut eligatur in Imperatorem ſed incaſſum, I. 137. Adolpho Imperatori clientelam profitetur, ibid. Lincii pacem cum Salisburgenſi & Bavaro init. 138. In Bohemiam abit. 139. Nuptias Filiæ, Annæ, adornat. Naſcitur ei Filia altera Catharina. Ejus magnanimitatis ſpecimen. Secedit in montem Cetium. Viennam obſidet. 142. Eandem fame edomat, 143. Cives ſupplices venia donat, ibid. Bello petit Salisburgenſem ob everſas Salinas, 143. 144. Evocatur ab Electoribus ad capeſſendum imperium, 144. Movet in Adolphum imp. 146. Moguntiæ Rex Germaniæ dicitur, ibid. Cum Adolpho confligit; & vincit, 147. Secundò eligitur imperator Francofurti: coronatur Aquisgrani. 148. Filios Duces dicit, ibid. Ob arctam affinitatem cum Gallo exoſum ſe reddit Principibus. Moguntinus eum exautorare molitur, 148. Quem Albertus compeſcit, uti & ſocios, 149. Imperatoria dignitas confirmatur ei à Pontifice, 150. Cum Bohemis bellum gerit ibid. Ejus Filius Rudolpus regnum obtinet, ibid. Cædit Cumanos, 151. Tertiam in Bohemos expeditionem ſuſcipit, 152. Fruſtra filio Friderico regnum Bohemiæ aſſerere tentat, ibid. Invadit ditionem Henrici regis Bohemiæ in Carinthia, ibid. Movet in Bavarum Henrici ſocium, 153. Ab Ottone Baſileenſi Epiſcopo vitæ periculum adit ib. Joannes, ejus nepos in eum conſpirat, 154. cæditur 156. Ejus ſepultura, 157. In loco cædis Baſilica exſtructa, ibid. Ejus virtutes: conjux, 158. Liberi, Pater, Fratres. 159.

Albertus II. dictus *Sapiens*, aliis *Contractus* Dux Styriæ VIII. parte II. pag. 1. Unde *Contracti* nomen acceperit, ibid. Unde dictus *Sapiens* II. 2. Natales: Ferretanum comitatum obtinet: Ottonem fratrem contra Ludovicum Bavarum expedit, II. 2. Ludovico Pontificem conciliare conatur II. 3. Fœdus cum Gallo: item cum Hungaro init, II. 10. Ad Rhenum proficiſcitur, ibid. compeſcit Patavienſes rebelles, ibid. In Styriam abit, II. 11. A Joanne Rege Bohemiæ Viennæ inviſitur ibid. In Carinthiæ Ducem ſolito ritu inauguratur, ibid. Precibus populi læthalem morbum evadit. Ejus cum Eberhardo Wirtembergico diſcordia, ibid. Binos Cæſares Viennæ hoſpites habet. Item Ludovicum Regem Hungariæ, II. 12. Cum Carolo Cæſare fœdus init, ibid. 13. Bellum cum Helvetis, II. 14. Tigurum primò, iterum, ac tertiò obſidet, II. 15. & ſeqq. Pax cum

Tigurinis conficitur, fœdus cum Bavaro coalescit, ll. 18. Filiis leges præscribit, ib. varia fœdera init, 19. moritur, 20. ejus liberi ibid. uxor 21. An fuerit electus Episcopus Patavienſis & Subdiaconus? ll. 21. Ejus virtutes, 22 23 ejus ſymbolum ll. 23. Gemnicenſis cœnobii conditor. ll. 24.
Albertus IV. cum Wilhelmo affabili Provincias regit, ll. 63. moritur, ll. 64.
Albertus Friderici pacifici frater Labacum obſidet, ll. 79. Fratrem armis aggreditur: Viennam obſidet, ll. 87. moritur, 88.
Anaſus Fluvius l. 4.
Andreas à fratre Emerico rege Hungariæ regno pulſus ad Leopoldum ll. Ducem ſtyriæ lll. fugit reducitur ab eodem. l. 38.
Andreas lll. Rex Hungariæ Viennæ hoſpitio excipitur. Populatur Auſtriam l. 132.
Angli vaſtant Alſatiam ll. 47.
Anna Maria, Bavara, Caroli ll. Ducis ſtyriæ conjux moritur, lll. 23.
Arces antiquæ in ſtyria, l. 4.
Argenti-fodinæ in ſtyria, l. 3.
Argentina occupatur à Gallis, lll. 68.
Attila vaſtat ſtyriam, l. 7.
Auſtria, quando in ducatum evecta? l. 22. gentilitium ſcutum cui debeat? l. 26. ſacris interdicitur: qua de cauſa? l. 32. Pœnæ ſecutæ, ib. Invaditur ab Hungaris & Bohemis l. 67. Occupatur à cæſareis ducibus, l. 71. Iterum invaditur à Bohemis ll. 76. Infeſtatur ab Hungaris, l. 92. diripitur à Rege Bohemiæ, ll. 5. Fœdè habetur ab Alberto Friderici Pacifici fratre, ll. 86. Dividitur ibid. ab Hungaris ſubigitur ll. 92.
Auſtria elevatur in Archi-Ducatum. ll. 95.
Auſtriacarum Provinciarum inter duos fratres prima, ſecunda, & tertia diviſio, ll. 42. 43.
Auſtriacorum infauſta velitatio, l. 93. Auſtriaci ſeditionem machinantur adverſus Albertum I. quæ origo? l. 139. Quæruntur apud Albertum. Ducem veneno petunt ibid. Stokeraviæ conventum celebrant, l. 140. Legatos ad Bohemum deſtinant: item ad Albertum ibid. alterum conventum Trübenſeji; item alteram legationem ad Albertum inſtituunt, l. 141. Viennæ ſeditionem cient, l. 142. In Beneficiarias Provincias jus petunt à Cæſare, l. 160. & obtinent, l. 161. In Albertum ſeditioſi: Authores plectuntur, ibid. Inter ſe diſcordes, motus excitant. ll. 96.

B.

Baltheo militari cingi, quodnam genus honorum? l. 22.
Barbarorum exterorum in Noricum irruptiones l. 2.
Baſilica D. Stephani Viennæ inchoatur, ll. 27.
Bavari irrumpunt in Auſtriam ll. 65. Patavium capiunt, diripiunt, incendunt. Ejiciuntur à civibus l. 97. Anſtriacæ conſpirationis in Principem ſocii, bello petuntur, l. 162. ob Tyrolim Auſtriacis tranſcriptam bellum movent, ll. 33. Pacem cum Auſtriacis ineunt, ll. 34.
Bela Rex Hungariæ fugit in Auſtriam, l. 77. malè habetur à Friderico, l. 78.
Bela IV. Rex Hung. ſtyriæ inſidiatur, l. 81.
Bellum ſacrum. l. 10.
Bellum Mantuanum ſub Ferdinando II. lll. 35.
Belli Suecici origo, lll. 36. & ſeqq.
Bellum Tranſylvanicum ſub Ferdinando III. parte lll. 49.
Bethlehemus Transſylvanus turbas excitat, lll. 30. fractus à Wallenſteinio pacem orat, lll. 34.
Blanca Philippi Galli filia, ſponſa datur Rudolpho Alberti I. filio, l. 148.
Bockii perfidia exquiſitâ pœnâ multatur, l. 165.
Bohemi Auſtriam invadunt, l. 67.
Boniſacius Papa Alberto addicit Regnum Galliæ. 150.
Buda oppugnatur, III. 70. Expugnatur ibid. 71.
Buquojus Dux occumbit, lll. 30.

C.

Cameracenſe fœdus, ll. 103.
Campililienſe cœnobium conditur à Leopoldo ll. l. 60.
Cararius infenſus Venetis, ll. 50. Ejus cum Leopoldo Probo diſſidiæ, ll. 51.
Carinthia prenſatur à Joanne Rege Bohemiæ, ll. 5. addicitur Ottoni Auſtriaco, ll. 7.
Caroloſtadium conditur, lll. 9.
Carolus Magnus in Norico, l. 8.
Carolus Marchio Moraviæ defendit Tyrolim, ll. 8. aditum in Tyrolim tentat, ll. 9.
Carolus Cæſar ad Albertum Auſtriacum Viennæ inviſit, ll. 12. fœdus cum Alberto init, ibid. 13. Ejus in Albertum benevolentia ibid. Iterum Viennæ moratur, ll. 16. Alberto auxilium promittit adverſus Helvetos ibid. Confirmat abdicationem Provinciarum à Margaretha factam, ll. 33. Ejus dictum de Provinciis Auſtriacis Fratres diviſis, ll. 43.
Carolus Dux ſtyriæ XVIII. lll. 1. ordines ei Græcii fidelitatem jurant ibid. Apud Philippum II. Hiſpaniarum Regem acceptus, lll. 2. ſe opponit hæreſi, ibid. 3. Turcas à ſtyriæ finibus arcet, lll. 4. Collegium Societatis JESU Græcii condit. 4. Conventum Muræponti indicit, 6. Pro Catholicis ſacris perorat, lll. 7. Miniſtellos à Provinciis ejicit, lll. 8. Iterum in Turcas movet, ibid. Caroloſtadium adverſus Turcas condit, lll. 9. Ejus cum Venetis controverſia, ibid. Turcas cædit, lll. 10. Ab hæreticis vitæ periculum adit, ib. Ad ſedandum Græcii tumultum Viennâ advolans, moritur, lll. 12. Ejus natalis: uxor: ibid. Liberi. Ejus Virtutes, lll. 13.
Carolus II. Rex Hiſpaniarum moritur, lll. 73.
Carolus V. Dux ſtyriæ XVI. naſcitur, ll. 102. Legatos in ſtyriam mittit, qui Caroli nomine ab ordinibus fidelitatis Sacramentum excipiant, ll. 109. Viciſſim à ſtyris legationem accipit ibid. Ei ordines coràm legatis fidem jurant, ll. 113. Imperio ſe abdicat, ll. 121.
Carolus VI. Rom. Imp. Aug. naſcitur, lll. 71. Ejus præclarè geſta adumbrata vide in nuncupatoria operis.
Cauſſinius depopulatur Alſatiam, ll. 47.

Cel-

Cellarum Marianarum origo, l. 61.
Chriſtianus Dux Brunſuicenſis Fridericum Palatinum defendit, lll. 30. vincitur à Tillio, lll. 31.
Chriſtianus Daniæ Rex cæditur à Tillio, lll. 33. ſæpius virtus à Cæſareis, lll. 35.
Cillejenſis comitatus ſtyriæ accedit, l. 84.
Cimburgis nubit Erneſto Ferreo, ll. 74. Ejus fœcunditas, ll. 75. Liberi ex ea ſuſcepti ibid. Robur corporis, ll. 76. moritur Campililii, ibid.
Cœnobium aureæ coronæ erectum ab Ottocaro, ll. 119. Campilienſe conditum à Leopoldo II. l. 60.
Collegium Societatis JESU Græcii conditum à Carolo Archi-Duce, lll. 4.
Colonia obſidetur, l. 42.
Columbaria expugnatur, l. 145.
Conſtantia Regina Hungariæ, vidua, cum Filio Ladislao in Auſtriam ſe recipit, l. 39.
Corradinus in fugam agitur à Leopoldo, ll. 47.
Cruce ſignatorum agmen è ſtyria ad ſacrum bellum ducitur, l. 10.
Cruci ſanctæ ſingularis honor defertur, l. 47.
Cumani cæduntur ab Alberto, l. 151.
Cunegundis Ottocari I. Ducis ſtyriæ Mater; ejus pietas, & mors, l. 13.
Cunringii, Prædones, l. 63.
Cuſtodes limitum in Norico, qui? l. 8.

D.

Daminatæ, urbis Ægypti principis ſitus & deſcriptio l. 48. Oppugnatur à Leopoldo II. quo ſucceſſu? l. 49. Tandem expugnatur, l. 51. Iterum amittitur, l. 42.
Danorum clades geminatæ, lll. 35.
Dominicana familia Petovii ſacram ædem obtinet. l. 60.
Ven. Dominicus Sechus, aliàs à JESU Maria Carmelita adeſt pugnæ ad Pragam, lll. 29.
Dorſtenſohnius populatur Auſtriam, lll. 50.

E.

Eckbertus, Epiſcopus Babenbergenſis in carceres mittitur, l. 65. Præficitur Auſtriæ, ibid. 71.
Electores ab Adolpho alieni, l. 145. Albertum I. evocant ad Imperium, l. 144. Eundem dicunt Regem Germaniæ, l. 146.
Eleonora conjux Ferdinandi II. coronatur Sapronii Regina Hungariæ, lll. 30.
Eliſabetha ſeu Richſa dicitur à Rudolpho Alberti I. filio, l. 152.
Eliſabetha Alberti I. filia monaſteria condit, l. 157.
Eppenſteinenſis Dynaſtia in ditionem Leopoldi fortis, IV. Marchionis ſtyriæ venit, l. 10.
Equites ad ſepulchrum Domini creati, ll. 74.
Erneſtus Ferreus Dux ſtyriæ XIII. cum Fratribus Leopoldo & Friderico Provincias dividit, ll. 67. Tutelam Alberti V. ambit, ibid. Tyrolim occupat, ll. 71. E Tyroli recedit, 73. in Palæſtinam abit, ibid. In Hungariam proficiſcitur: item in Poloniam, 74. Cimburgim ducit Cracoviæ, ib. Sigismundo Cæſari ſuppetias it. 75. moritur ll. 75. Xenodochium S. Spiritus Judenburgi reditibus auxit, uti & D. Lamberti cœnobium, ibid.
Eſchenbachii ob conjurationem in Principem, pœna, l. 156.
Eslinga obſidetur, l. 165.
Eugenii, Principis Sabaudiæ, memorabilis in Italiam ingreſſus, lll. 73.

F.

Fadingerus Stephanus, tumultuantium in Auſtria ruſticorum dux, lll. 34.
Ferdinandus I. ſtyriæ poſſeſſionem adit, ll. 116. ab Anna Uladislai Hungar. & Bohem. Regis filia utrumque regnum ei adfertur, ll. 117. Bellum gerit adverſus Joannem Zapolium ſex Comitem Scepuſienſem Regni Hungariæ æmulum, ibid. à quo bellis cum Turca implicatur, & Viennæ obſidetur, ll. 118. Victor de Turcis: Pacem cum Scepuſienſi init. Rex Romanorum eligitur, 119. Iterum bellum cum Solymano gerit, 120. Pugnæ ad Mühlbergam adeſt, 121. In Bohemos ſeverè animadvertit, ib. In Tyroli à Mauritio Saxoniæ Electore periculum adit, ibid. Pax Paſſavienſis conficitur, 121. Imperium à Carolo V. in eum defertur, ib. Efficit, ut Maximilianus in Regem Romanorum electus ſit, 122. Moritur: Ejus virtutes, ibid. Liberi, 123.
Ferdinandus II. Imp. Dux ſtyriæ XIX. naſcitur, lll. 15. A Turcis bello petitur, ib. urbes aliquot amittit, lll. 16. Ejus copiæ cæduntur: Turcas ad Siſciam vincit, 16. Petriniam occupat, 17. Turcas denuò fundit, 18. Ordines ſtyriæ ei ſacramentum dicunt, lll. 18. Ejus de reformanda religione conſilia, 19. Græcio miniſtellos ejicit, 20. Catholicam religionem in ſtyria inſtaurat. Item in Carinthia & carniolia, 21. Caniſiam obſidet, 22. Sereniſſima ejus Mater moritur, 23. Bellum cum Venetis, lll. 24. & ſeqq. Fit Rex Bohemiæ, 25. Item Hungariæ, 26. Turbarum Bohemicarum initium, 26. Obſidetur Viennæ: præter ſpem ſubmiſſo auxilio liberatur, 27. Creatur Imperator, 28. Fridericum Palatinum in Regno Bohemiæ æmulum bello petit, & memorabili ad Pragam prælio vincit, 29. Bellum cum Bethlehemo Tranſylvano, lll. 30. Eos, qui Friderici partes nuper ſequebantur, profligat, 30. 31. Varii Principes eum bellis involvunt, 31. 32. Regem Daniæ retundit, Ruſticos tumultuantes compeſcit, 34. Danos iteratò profligat, 33. Mantuam capit, 36. Bello Suecico petitur, 36. Suecos ad Nordlingam cædit, 41. moritur, 43. Ejus virtutes, ibid. Sepultura; liberi, 44.
Ferdinandus III. fit Romanorum Rex, lll. 42. Succedit Parenti Ferdinando II. lll. 45. Suecos Germaniâ ejicit, ibid. A Gallis bello involvitur ib. Ratisbonæ de republica conſultat. lll. 47. Pacem Weſtphalicam init, 51. moritur, 53. Ejus virtutes, ibid. Conjuges, & liberi, 54.
Ferdinandus IV. Rex Romanorum moritur, lll. 52.
Ferri fodinæ in ſtyria celebres, l. 3.
Fluvii ſtyriæ, l. 4.
Fodinæ argenti olim in ſtyria fertiles, l. 3.

Franciſcani PP. Græcli cœnobium obtinent, l. 50.
Friburgum Auſtriacis accedit, ll. 41.
Fridericus Cæſar Papam perſequitur, l. 14. Ejuſdem ad ſacrum bellum expeditio, l. 23. fluvio hauſtus perit, l. 25.
Fridericus Auſtriacus ad Bellum ſacrum ire parat, l. 36. moritur, ibid. 37.
Fridericus Siculus, Henrici Aſperi Filius, depoſito Ottoni in imperio ſubrogatur, l. 45. Sacram ſe expeditionem ſuſcepturum jurat, ib. Ob deperditam Damiatam malè audit, 53. Ob moras in ſacra expeditione ſuſcipienda anathemate feritur à Gregorio IX. 55. Ad ſacrum bellum abit, 57. Redux, militat contra Gregorium IX. Pacem init cum eodem, ibid.
Fridericus I. Bellicoſus, Dux ſtyriæ IV. parte I. pag. 62. Ejus Genius, ætas, geſta à pag. 63. Carniolià potitur; Ducis titulum, & Regis in Auſtria nomen obtinet, 66. dirè graſſatur in Hungariam, ibid. Ad pacem emendam cogitur, 67. Vexat Provincias exactionibus & rapinis, 68. Ejus libido, ibid. Accuſatur Cæſari & exauthoratur, 69. Item alia Friderici delicta narrantur, 70. Neoſtadio ſe continet, 72. Epiſcopis inſidias ſtruit & capit eosdem, ibid. Oppida Auſtriæ recuperat, 73. Viennam fame domat ib. Communione Eccleſiæ prohibetur; & rurſus reſtituitur, 74. An Imperatori conſtanter adhæſerit? 75. Ejus cum Patavienſi diſſidium, ibid. Cæſari copias Veronam adducit, 76. Perfidè agit cum Bela Hung. Rege, 78. Hungariam infeſtat ib. Mox infeſtatur ab Hungaris, ibid. Et cæditur in pugna, 79. Geminum ejus divortium, ibid.
Fridericus Pulcher Aug. Dux ſtyriæ VII. punit conſpirationis authores, l. 161. Bavaros conjuratorum ſocios bello aggreditur: Schordingam obſidet, 162. Pacem init cum Bavaris, 163. Vias repurgat à graſſatoribus, ibid. Bellum adverſus Ludovicum Bavariæ Ducem ſuſcipit, 163. Bavarum ad Gamelsdorffium cædit, 164. Iterum cum Bavaro pacem init, ibid. Ad petendum Imperium ſe comparat, ibid. Æmulus ejus Ludovicus Bavarus, 165. Eligitur Francofurti Fridericus & Ludovicus. Uterque coronatur, ibid. Fridericus Carolo Hungaro ſuccurrit, 166. Opem paciſcitur adverſus æmulum, Ludovicum Bavarum, ibid. An Sicarium immiſerit in Ludovicum? 166. Friderici nuptiæ Baſileæ, 167. Ejus magnanimitas: Fugat Bavaros, 169. Item Bavaros ad Müldorffium cædit, 170. Ejus electio non probatur Papæ, ibid. Papam ſibi demeretur miſſo contra Gibellinos auxilio, 170. Bavariam populatur, 171. Pugnam edicit ad Müldorffium, 172. Ejus ad milites adhortatio, 173. Cum Fratre Henrico capitur, 175. In cuſtodiam abducitur in Palatinatum, 176. dimittitur, 179. An ſe imperio abdicârit? ibid. Redit Viennam, 181. Barbam trium annorum Carolo Hung. Regi transmittit, 182. Ejus mors & virtutes, 183. Bina cœnobia condit, 184. Ejus uxor: Liberi, ibid.
Fridericus Pelovienſis ſuccurrit Mehrenbergenſi Dynaſtæ contra Stephanum præfectum, l. 88.
Fridericus Tyrolenſis à Cæſare & concilio proſcribitur, ll. 71. clàm elapſus in Tyrolim venit, 72. cum fratre litigat, ib. unde dictus *cum vacua pera?* 73. Secundò proſcribitur, ibid. Cæſari conciliatur, ibid.
Friderici Palatini molitiones adverſus Ferdinandum II. parte III. 27. A Rebellibus Rex Bohemiæ eligitur, 28. Bello petitur à Ferdinando II. & vincitur ad Pragam, 29. Electorali dignitate exuitur, ibid. moritur Moguntiæ, 41.
Fridericus Pacificus, Dux ſtyriæ XIV. parte II. 77. Ejus tutor, ibid. iter in Palæſtinam ibid. ſocii itineris, 78. Eligitur Imperator ibid. Ladislai Poſthumi curam ſuſcipit, ibid. Aquisgrani coronatur 79. Albertum fratrem compeſcit, 79. Bellum contra Helvetos ſuſcipit, 80. ob Hungaros in Auſtriam irrumpentes ſe Neoſtadio includit, 80. Latrones exſcindit ibid. Romam abit, 81. Eleonoram ducit, cum eáque coronatur, ibid. Redit Neoſtadium, & obſidetur à conjuratis Auſtriacis, & Bohemis, 82. Dimittit Ladislaum, 83. Cillejenſem comitatum obtinet 84. Cillejæ periculum adit, 85. Coronam Bohemiæ reſpicit, ibid. Turbis ab Hungaria implicatur ibid. litem cum fratre Alberto habet, 86. Iterum ab Alberto petitur, 86. 87. 88. Viennæ obſidetur ab eodem, 87. Regem Hungariæ in Bohemum concitat, 88. Romam ſecundò abit, ibid. Diſcordiæ ejus cum Carolo Burgundo. 90. Cum Mathia Hungariæ Rege bellum primum 90. 91. Pax cum eodem, 91. Rumpitur ib. moritur, 93. ſepultura ib. Liberi ibid. ſymbolum. Ordinem D. Georgii inſtituit, 94. Ejus dicta, 95. Auſtriam Archi-Ducatum nominari juſſit, ib.

G.

Galli ad Friburgum cæduntur ſub Ferdinando III. III. 49.
Gamelsdorffenſis pugna, l. 164.
Gertrudis Neptis Leopoldi glorioſi turbat Auſtriam; fit Monacha, l. 83.
Gepidæ vaſtant Noricum, l. 7.
Germania turbata; ſucceſſus varii, l. 40.
Getarum in Noricum irruptio; ſucceſſus, l. 6.
Gemnicenſis monaſterii conditor Albertus II. Sapiens, ll. 24.
Græcium conditur, olim dictum Bavaricum, 8. periclitatur à perduellibus, III. 65.
Gregorius IX. Papa arma contra Raynaldum Spoletanum capeſſit, l. 57.
Græcium Vindorum Aquileenſi Præſuli redditur, ll. 20.
Guebriantius Dux moritur, III. 48.
Guilielmus Hollandiæ comes in ſacrum bellum proficiſcitur; ejus egregiè geſta in Luſitania, l. 48.
Guſtavus Adolphus cadit, III. 40.
Guthæ ſororis Alberti I. cum Wenceslao Rege Bohemiæ nuptiæ, l. 125.
Guttæ ſororis Friderici Pulchri cum Ludovico comite Oettingano nuptiæ, l. 168.
Gyrienſe cœnobium chartuſianis reſtitutum, & locupletatum, à quo? l. 60.

H.

Hæresis in styria origo & progressus lll. 2. & seqq.
Hæretici Græcii tumultum excitant, lll. 11.
Hainfelda hospitium præbet Maximiliano I. Imp. l. 4.
Hedvvigis Ludovici Polon. & Hungar. Regis filia, sponsa Wilhelmi affabilis, ll. 60. Eam Jugello Lithuanus obtinet, ibid. 61.
Helveti an bello cum Leopoldo probo ansam præbuerint, parte ll. 53.
Helvetici belli initia, ibid. 54. progressus ibid. 56. Ad Simpacum conveniunt hostiles exercitus, 57. Pugna conseritur, ib. Helveti Victores evadunt, ll. 59.
Henrici Leonis Saxo-Boji delicta, l. 15. Saxoniæ ducatu exuitur. ibid.
Item Bojariæ. ibid.
Henricus, Leopoldi I. Ducis styriæ Parens, I. Dux Austriæ, l. 22.
Henricus, Moraviæ Marchio per miraculum sanatus, cellas Marianas ampliori ædificio ornat, l. 61.
Henrico Bavaro Ducatus à Styris offertur, l. 85.
Henricus Friderici pulchri frater Pontifici auxilio mittitur à Friderico adversùs Gibellinos, l. 170. Adest pugnæ ad Mühldorffium cum Friderico, & capitur, l. 175. in Bohemiam captivus abducitur, 176. certis conditionibus dimittitur, ib.
Henricus Dux Carinthiæ moritur, ll. 7.
Henricus Abbas Admontensis styriæ Præfectus ab Hungaris profligatur, l. 124. Turbat pacem inter Albertum & Rudolphum Salisburgensem, l. 129.
Henricus Carinthus regnum Bohemiæ inhiat, l. 151.
Hermannus Marchio Badensis, an Dux Styriæ? l. 81. Ejus molitiones, ibid. Moritur, Ejus liberi, 82.
Hierosolymam Sapphadinus diruit, l. 50.
Homobonus Prædator Anglus excoriatur, ll. 47.
Hungaria à Barbaris fœdè vastata, l. 77.
Hungari in Styriam irrumpunt, l. 65.
Austriam diripiunt. ibid.
Hungarici Belli origo; quid in eo præstiterit Leopoldus II. Dux Styr. lll. l. 38.
Hungari ejiciuntur ex Styria, l. 89.
Austriam infestant, l. 92.
Pugnant cum Bohemis, & vincuntur, l. 93.
Hungari Austriam & Moraviam infestant, l. 98.
vincuntur. 99.
Hunni vastant Noricum, l. 7.
denuo irrumpunt, l. 9.

I.

Icon Deiparæ in gleba ferrea, l. 3.
Imperatores simul duo: Philippus itidem Otto, l. 40.
Joannes comes Ginsiensis Styriam infestat, l. 124. Pacem nuper sancitam cum Alberto violat, Styriam denuo turbat, l. 126.
Joannes, Nepos Alberti I. ab Alberto abalienatur cur? Ejus conjuratio, l. 154. Cæsaris cædem cum sociis designat, l. 155. perficit, l. 156. Ejus ob hoc crimen pœna, l. 157. pœnitens piè obiit, ibid.
Joannes Pontifex à Ludovico Bavaro alienatur, l. 178. Leopoldum Friderici Fratrem in eum concitat, ibid.
Joannes Rex Bohemiæ austriam populatur, ll. 5. prensat Carinthiam, ibid. filio suo sponsam obtinet Ducis filiam Maultaschiam, ll. 6.
Josephus I. Imp. Dux Styriæ XXII. nascitur, lll. 68. Reliqua ejus gesta, parte lll. à pag. 78.
Isacius Græcus Cypri Rex aureis vinculis per ludibrium tenetur, l. 27.
Judæi per Germaniam cæduntur ob violatam SS. Eucharistiam, ll. 4.

L.

Labacum obsidetur, ll. 79.
Ladislaus filius Emerici Regis Hung. moritur Viennæ, l. 39.
Ladislaus Posthumus Friderici tutelæ committitur, ll. 78. Petitur ab Hungaris & Bohemis, ll. 80. 81. Dimittitur & rebus imponitur, 83. Cum cæsare controvertit ib. moritur. 84.
Laxenburgum ædificatur ab Alberto cum Trica, ll. 45.
Leopoldus fortis, Marchio IV. Styriæ, Runense monasterium erigit, l. 10.
Leopoldus Austriacus, successor in styria ab Ottocaro I. nominatur, l. 19.
Leopoldi I. Ducis Styriæ ll. ortus, l. 22.
Bellum gerit cum Bohemis, ibid.
Ad bellum sacrum parat, l. 23.
Moratur, & cur? l. 24.
De bello sacro bene meritus, dum Cæsarem & exercitum Viennæ excipit, ibid.
In orientem abit ad sacrum bellum, ibid.
Ejus in Ptolemaidis obsidione virtus, 26.
Qua ratione novum Gentilitium scutum meritus sit? ibid.
à Richardo Anglo offenditur, & qua ex causa? 27.
Ab Henrico Cæsare, Dux Styriæ inauguratur, 28.
Tuetur Bavariam contra Albertum de Pogen, ibid.
Leopoldus ab Richardo Anglo apud Pontificem accusatur, 32.
Se purgare nequicquam conatur, 32.
Excommunicatur à Cœlestino Pap. ib.
Ludos Græcii celebrat; ex equo præcipitatur, 33.
Ejus in lethali vulnere fortitudo singularis, 34.
Reconciliatur Ecclesiæ; Monachum induitur; Moritur. Sepulturæ locus, ib.
Leopoldus II. *Gloriosus*, Dux styriæ lll. 36.
Ejus laudes, ibid.
Styria ex Patrimonio eidem obtingit, ibid.
Accedit & Austria post fratris Friderici mortem, 37.

Quid præſtiterit in bello Hungarico Andream inter & Henricum? 38.
Suſcipit cauſam Conſtantiæ Reginæ Hung. contra Andream.
Adhæret Philippo Imp. contra Ottonem Imp. 41.
Eidem Coloniam obſidenti adeſt auxilio, 44.
Ejus dotes bellicæ, ibid.
Moguntiam capit, 43.
Epiſcopum Viennæ dari à Papa poſtulat, & cauſæ adferuntur, ib.
Nec impetrat, 44.
Leopoldus poſt occiſam ab Ottone Palatino, Philippum Ottoni Brunſvvicenſi accedit, 44.
In bellum ſacrum autoratur, 46.
Ad Ptolemaidem appellitur, 47.
Nudis pedibus S. crucem honorat, ibid.
Corradinum perſequitur, ib.
Redit ex Palæſtina, 51.
Varia itinera ultimis vitæ annis, 53.
Agnetum primò genitam Alberto Saxoniæ Ducis filio collocat, ib.
Incitatur denuò ad ſacrum bellum; recuſat, 54.
Ejus præclarè geſta pro fide Romana contra Andream Regem Hung. 54.
Leopoldus Schordingam munit, 55.
Ejus in filium rebellem clementia, 56.
Secundò Cruce inſignitur, 56.
Vitæ periculum in Bavaria adit, 57.
Moritur ad S. Germani, 58.
Ejus Parentes, qui? uxor, liberi? ibid. Virtutes Variæ, ibid.
Ejus in loca ſacra liberalitas. 60. Campililii ſuum Mauſolæum eſſe voluit, 60.
Leopoldus Alberti I. filius, 159.
Bene meritus de Cæſare, ſuveviam obtinet, 161.
Ludovico Bavaro imminet; timetur ab eodem, 186.
Leopoldi infelix in Helvetiam expeditio, 168.
Solodurum, ſpiram fruſtra obſidet, 169.
Leopoldus populatur Bavariam, 171.
Adeſt pugnæ ad Müldorffium, 172.
Ejus ob captivitatem Friderici in Bavarum ira, 177.
Bavarum armis aggreditur, 178. moritur 179.
Ejus liberi, Ibid.
Leopoldus Probus Dux Styriæ XI. ll. 47. An graſſatus in Alſatiam? ib. Ejus contra Prædones induſtria, ll. 47. Veldkirchium aliáque Leopoldus pretio comparat ib. 48. Baſileæ periculum à civibus adit ibid. Bellum adverſus Venetos ſuſcipit, ll. 50. Turrim Baldinam expugnat ibid. Ei Veneti Tarviſium aliáque oppida offerunt, ib. 51. Bellum adverſus Cararium Patavienſem Comitem, ibid. Tarviſium munit, ib. Tarviſium Carario, pretio perſoluto tradit, ibid. 52. Populationes per ſtyriam inhibet, ib. Belli Helvetici initia, p. ll. 53. Leopoldus Richenſejum expugnat, ll. 56. Rhenanos auxiliarios cædit, ibid. Helvetis bellum indicit, ll. 56. Pugnâ ad Sempacum Leopoldus occiditur, ll. 58. Cæſarum hac pugna numerus, ll. 59. Leopoldi liberi Symbolum, ll. 59.
Leopoldus Ferdinandi III. Frater Cæſaris copiis præficitur, III. 47.
Leopoldus Imperator Dux Styriæ XXI. Naſcitur, III. 55. Fit Hungariæ & Bohem. Rex, ib. Eligitur in Cæſarem, p. III. 56. Polonis opem fert contra Suecos, 56. Item Daniæ Regi, 57. Ordines Styriæ ei Græcii fidelitatis Sacramentum dicunt, 58. Bello Turcico petitur, 58. 59. Comitiis Ratisbonenſibus intereſt, 60. Zrinium adverſùs Turcas expedit, ibid. Turcas ad S. Gotthardum vincit, 62. Inducias cum Turcis init, 63. Turbis Hungaricis implicatur, 63. Tyrolenſem hæreditatem adit, 63. Inſidiis petitur à conjuratis, 64. Quos ægrè licèt morti addicit, 66. Ejus cum Claudia Nuptiæ Græcii celebratæ, 67. à Gallis bello involvitur, 67. Item turbis Hungaricis, ibid. Demum bello Turcico, 69. Felices ejus contra Turcas ſucceſſus à fol. 70. bello gallico iterum ac ſecundo involvitur à fol. 72. Carolum Archiducem Regem Hiſpaniarum dicit. Gallos ad Höchſtadium delet, 74. moritur, ibid. Ejus Virtutes à pag. 74.
Limitum cuſtodes in Norico &c. qui? 8.
Lipſienſis clades ſub Ferdinando II. III. 39.
Lipſienſis pugna altera infelix Cæſareis, III. 48.
Longobardi uſurpant Italiam, 7.
Ludi Equeſtres Græcii, 33.
Ludovicus Bavarus Friderici Auſtriaci æmulus coronatur Imperator Aquisgrani, 165. immiſſus in Ludovicum Sicarius deprehenditur, ejus ſupplicium, 166. 167. fugit Leopoldi Auſtriaci arma, 186. Rudolphum Friderici Pulchri fratrem ditione pellit, 168. fugatur à Friderico, 169. vincitur ad Müldorffium ab eodem 170. Ejus electio non probatur à Papa, 370. à Friderico denuò bello petitur ex Auſtria; à Leopoldo ex Suevia, 171. horum populationibus irritatus tandem pugnare decernit, ibid. Pugna ad Müldorffium, 172. & ſeqq. Ludovici ad ſuos adhortatio 174. Pontifex à Ludovico alienatur, 178. Eccleſiæ ſacris interdicitur ibid. Ludovicus Fridericum dimittit, 179. Auſtriacis Carinthiam, Tyrolim, Carniolam concedit, II. 7.
Ludovicus Rex Hungariæ inducias procurat Venetos inter & Auſtriacos, parte II. 50.

M.

Mainhardus Styriæ Præfectus, I. 82.
Styriam deſerit, ibid.
Mantua capitur, III. 36.
Marcellinus, tyrannus in Norico, I. 7.
Marchiones *Styriæ* unde dicti? I. 9.
Maria Anna *Bavara*, fundat monaſterium Virginum Græcii III. 21. moritur ibid. 23. Ejus laudes, ibid.
Margaretha, Leopoldi II. Ducis ſtyriæ, cum Henrico Rege Germaniæ, nuptiæ, 55.
Maultaſchia Joanni Regis *Bohemiæ* filio ſponſa datur, II. 6.
An *Bellum* in Carinthia geſſerit? II. 9.
Tyrolim obtinet ibid. *Anathemate* abſolvitur: Nuptias cum Ludovico celebrat, II. 27.

Tyrolim transscribit Rudolpho, ib. 33.
Maximilianus Imp. Dux Styriæ XV. ll. 96.
Ejus in erigenda Austria felicitas, ib. Bellum gerit in Belgio, ib. Ejus Uxor Maria moritur, 97. Novæ in Belgio turbæ, 97. Rex Romanorum eligitur, 62. Brugis à civibus captus detinetur, ibid. Austriam recuperat, 98. In Hungariam expeditionem suscipit, urbibus aliquot captis pax conficitur, 99. Cum Flandris negotium componit, ibid. Annam Britannam sponsam suam amittit, ibid. Ducit Blancam Galleacii filiam, 109. Geldriensem domat, 101. Tyrolis possessionem adit, ib. Bellum Italicum ibid. Bellum Helveticum, 102. Bellum Bavaricum, ibid. Bellum primum cum Venetis, 103. Imperator Romanorum promulgatur, ibid. Bellum secundum Venetum, 104. Vindos seditiosos compescit, ibid. & 105. Reges Hungariæ & Poloniæ honorificè Viennæ excipit, 105. Nepotibus suis de sponsis providet, 106. Moritur ibid. Ejus liberi; symbolum; habitudo corporis, 107. Literarum amor, Militiæ peritia liberalitas, 108.
Marchionum origo, quando in Norico? l. 9.
B. Mariæ Cellensis origo, l. 61.
Mathias Rex Hungar. bellum gerit adversùs Fridericum II. 90. & seqq. moritur, 98.
Maximilianus I. Imper. argentisodinas Zeyringanas restituendi coram incasium suscepit, l. 4.
D. Maximilianus Apostolus in Norico, l. 6.
Martyrium Celejæ subit, ibid.
Maximus, tyrannus in Norico, l. 7.
Mehrenbergicus Sigefridus in Bohemiam captivus abducitur, & occiditur, l. 103.
Messena, qua occasione capta ab Richardo Anglo? l. 27.
Metalla diversi generis, l. 3.
Mons Regius, Sambiæ Metropolis conditur ab Ottocaro II. l. 89.
Moravi populantur Austriam, ll. 68.
Morionis sapiens dictum, l. 168.
Monsfeldius Palatinum tuetur, lll. 30. Tillium vincit, ibid. denuò à Wallensteinio vincitur, ib. 33.

N.

Nodastius Viennæ capite plectitur, lll. 66.
Nicolaus Patriarcha Aquilejensis Vindo-Græcium recipit, ll. 20.
Norici Incolæ, l. 6.
Norici, Idololatræ, l. 6.
Noricorum Apostoli, l. 6.
Noricum sub Francis, l. 9.
Nova Civitas condita, quæ? l. 38.
Novomontanum Cœnobium conditur ab Ottone Alberti sapientis fratre, ll. 24.

O.

Obernberga diu tolerat obsidionem, l. 75.
Octavianus Augustus movet in Pannoniam: ejus ibi successûs, l. 6.
Odoacer depopulatur Noricum, l. 7.
Inter epulas trucidatur, ibid.
Oeniponti tectum aureum, ll. 73.
Ordo D. Georgii à Friderico Pacifico institutus, ll. 94.
Otto Bavarus evocatur à Styris, l. 133. movet in Styriam, 134. Muræpontum obsidet ibid. Adventu Alberti Ducis recedit, 135.
Otto Imp. vincit Philippum Imperii æmulum, l. 42.
Obtinet Imperium, l. 44.
Deponitur, subrogato Friderico, l. 45.
Otto Basileensis Episcopus Alberto insidias struit, l. 153.
Otto, Frater Friderici Imp. partem hæreditatis repetit, l. 182. Austriam diripit cum Hungaris & Bohemis, ib. Columbariam obsidet, p. ll. 2.
Pacisciturcum Cæsare Ludovico, p. ll. 3.
Moraviam populatur, ll. 4.
Ottonis cum Anna Bohema sponsalia, ll. 5.
à Cæsare Carinthiam petit, ll. 6.
Ottonis Natales, Uxor, Liberi, ll. 24.
Ottocarus II. Marchio I. Styriæ; moritur, l. 9.
Ottocarus III. Marchio II. Styriæ, l. 10.
Garstense cœnobium condit, ibid.
Admontense ditat, moritur, ibid.
Ottocarus IV. Marchio III. Papam tuetur, ib.
Ottocarus V. Marchio V. hæreditate acquirit Portum Naonis. In Palæstinam movet, inde redit, l. 10.
Per somnium monitus Seizensem Chartusiam condit, item Xenodochium &c. erigit.
Pugnat in Austriacos, 10.
Alexandro Papæ adhæret... In Palæstinam tendit, ibid.
Moritur, 12.
Ottocarus I. Dux Styriæ I. Ejus juventus laudabiliter acta, l. 13.
Ejus mater fit Monacha, ibid.
Tuetur Pontificem contra Fridericum Imp. 14.
à Friderico Cæsare Dux inauguratur ex Marchione, 16.
Pacem conciliat inter Gurcenses, & Salisburgensem, 16.
Leprâ corripitur, 17.
Styriam vendere meditatur, ibid.
Ejus propositum ordines dissuadent, ibid.
Comitia in monte D. Georgi cogit, 18.
Leopoldum successorem nominat, 19.
Ottocarus moritur, 20.
Ejus Parentes qui fuerint? 20.
An cœlebs vixerit, ibid.
Ejus in sacra loca liberalitas, ibid.
An in Palæstinam profectus? 21.
Bellum in Austriacos gestum, 21.
Ottocarius II. Bohemus, Dux Styriæ V. parte I. 81.
Ejus cum Margareta Nuptiæ, 85.
Prima in Prussiam expeditio, 89.
Secunda expeditio in Bavariam.
Ottocarus à Proceribus Styriæ invitatur ad regimen capessendum, 92.
Repudiatâ Margaretâ ducit Cunegundem, 95.
Salisburgensi adversùs Bavarum assistit, 96.

Secundò contra Bavarum militat, ibid.
In Prutenos movet secundò, 97.
Carinthiam emit, ibid.
Ejus cum Hungaris dissidium, qua de causa? 98.
Carinthiam & Carnioliam armis occupat, ibid.
Denuo contra Hungaros arma sumit, 100.
Ejus ruinæ causæ, 101.
Styriæ proceres in Bohemiam in custodiam dat, ibid.
Eorum arces in styria occupat, 102.
Ejus sævities, 103.
Ab uxore stimulatur contra Rudolphum I. 104.
Bellum decernit in Cæsarem, ibid.
Proceribus styriæ infestus, 105.
Salisburgensis ditionem invadit, vastátque, ibid.
Evocatur ad comitia à Rudolpho, mittit legatos, ibid.
Ordinum adversùs eum querelæ, 106.
Legati Ottocari ad ordines acercè perorant, ib.
Bellum decernitur in Ottocarum.
Ottocari ad legatum responsio.
Pacem init cum Rudolpho, 110.
Deluditur intra tentorium.
Austria, Styria, Carinthia ei adimitur, 111.
Redux ab uxore asperè accipitur, 111.
Pacta cum Rudolpho rescindit, 112.
Pacis suasores multat. In Austriam irrumpit, ibid.
Ejus copiæ; Tessera militaris; oratio ad milites. Pugna cum Ottocaro, 114.
Cæditur Ottocarus, 115. Ejus sepultura, 116.
Pugnæ locus, & dies, 116.
Ottocari indoles, liberi, 117.
Ejus præclarè gesta, justitia, pietas, 118.
Prodigiosa victoria, liberalitas, 119.

P.

Palmii pœna ob conspirationem in Principem parte I. 156.
Pappenheimius Dux ad Luzenam accumbit, III. 40.
Passavienſium cum suo Episcopo lites, II. 40.
Paumkircher Andreæ Virtus bellica, II. 82. Postea rebellis capite plexus, II. 89.
Pax inter Albertum I. & Ibanum Ginsienſem, I. 126.
Pax Rysvvicensis, III. 72.
Pax Carlovvicensis, III. 73.
Pax Westphalica, III. 51.
Petovio cingitur ab hoste, I. 88.
Petrus S. Pudentianæ Cardinalis, Principes imperii hortatur ad sacram expeditionem, I. 46.
Philippi Augusti Francorum Regis gesta in bello sacro, I. 25.
Philippus Imp. Item eodem tempore Otto Imper. I. 40.
Utriúsque asseclæ, & varia fortuna, ib.
Philippus Imp. communione fidelium prohibetur, I. 41. Munificns in Leopoldum II. Ducem Styriæ, ibid. Ejus contra Ottonem progressus, 42. occiditur, 44.
Pontifex, exautorato Philippo, Albertum I. dicit Regem Galliæ, I. 150.
Protestantium Conventus Lipsiæ, III. 38.
Prussi fiunt Christiani ex Idololatris, 89.
Ptolemeis obsidetur, à quo? & quis successus? 25.
Pugna ad S. Gotthardum, III. 62.

R.

Raynoldus Spoletanus insurgit contra Gregorium IX. Pap. I. 57.
Rascioni Styriam depopulantur, II. 92.
Religiosorum Ordinum in Styriam ingressus, I. 60.
Richardus, Angliæ Rex, qui in sacro bello præstiterit, I. 26.
Ejus Arrogantia, 27.
Redit ex Palæstina, 28.
Naufragium patitur, ibid.
Viennam ignotus venit; agnoscitur; capitur à Leopoldo, 29.
Ad Cæsarem Wormatiam mittitur, ibid.
Libertatem paciscitur, 30.
Intercedit Francus & Anglus Frater, ib.
Liber dimittitur, 31.
Adversùs Leopoldum apud Pontificem queritur, & quis accusationis eventus? ib.
Richardus Anglus Lytrum datum Leopoldo Parenti à Leopoldo Filio repetit, I. 37.
Richsa ducitur à Rudolpho Rege Bohem. I. 152.
Rohizenses Acidulæ, I. 5.
Rudolphus I. Imperator eligitur, ab Ottocaro spernitur, I. 104.
Bellum decernit in Ottocarum; legati ad eum missi quî excepti? 107.
Rudolphus Bavariam subigit, 107. Bavarum in gratiam recipit, 108.
Styria & Carinthia ei asseritur, ibid.
Viennam obsidet; deditione capit, 108.
Styris diploma à Rudolpho datum, 109.
Rudolphum inter & Ottocarum pax, 110.
Hic deludit Ottocarum; Austriam & ei adimit, 111.
Denuo ab Ottocaro ad arma cogitur, 112.
Copiæ Rudolphi, & Fœderati, ibid.
Votum Rudolphi in prosperum belli eventum, 113.
Ejus acies nutat. Vincit, cæditur Ottocarus, 115.
Ottocari post Victoriam acta. In Styria prætorem constituit, 120.
Albertum Filium Vicarium nominat Austriæ, styriæque, 121.
Augustæ Vindelicorum comitia celebrat, 122.
Expeditionem in Latrones suscipit, ibid.
Rudolphus moritur. Ejus virtutes, 131.
Rudolphi Salisburgensis Archiepiscopi cum Alberto I. discordia, parte I. 127.
De pace cum Alberto Viennæ agit, à styris evocatur, 133.
In styriam monet, 134.

Rudolphus Alberti I. Filius Rex Bohemiæ parte l. 151.
Ducit Richſam ſeu Eliſabetham, 152.
Moritur in caſtris, ibid.
Rudolphus Alberti II. Ducis ſtyriæ Filius Fratribus leges à Patre dictatas exponit ll. 19.
Dux Styriæ IX. ll. 25.
OO. SS. Eccleſiam intra Palatium inſtituit ibid.
Sueviam & Alſatiam adminiſtrat, ibid. 26.
Lacum in peregrinorum gratiam ponte inſternit, ibid. 26.
Ei Auſtriaci fidem jurant, ibid.
Viennæ D. Stephani Baſilicam inchoat, ib. 27.
Ludovicum Hungariæ Regem ſibi conciliat, ibid.
Sororis Margarethæ Nuptiali feſto intereſt Monachii, ibid.
In ſtyria juramentum Ordinum excipit, ll. 27.
Cæſari clientelam profitetur, ibid. 28.
Controverſia cum eodem exoritur, ll. 28.
Paciſcitur cum eodem ibid. 29.
Cæſaris in Rudolphum benevolentia multiplex, ibid.
Expeditionem in Forum Julium ſuſcipit, ibid. 30.
Cum Hungaro adverſus Cæſarem fœdus init, ibid.
Tyrolim à Margaretha obtinet, ibid. 31.
Ordinat Rempublicam, ibid.
Academiam & Canonicorum Collegium Viennæ inſtituit, ll. 35.
Moritur Mediolani, ibid.
Ejus uxor ibid. 36.
Hiſtoricorum de morte Rudolphi varia narratio ibid. 36.
Ejus Virtutes, ibid. 37.
Ejus Magnanimum facinus, ibid. 36.
Juſtitiæ cura; Symbolum, ll. 39.
Rugorum in Noricum irruptiones, 7.
D. Ruperti Baſilica reſtauratur, à quo? l. 16.
Ruſticorum tumultus in Styria, lll. 5.
in Auſtria, lll. 34.
Ruſtici Lincium obſident, lll. 34. à Pappenheimio profligantur, 35.
Ruſtici tumultuantur in Styria, lll. 42.

S.

Saladinus hoſtis Chriſtianorum acerrimus, l. 23.
Soppadinus Hieroſolymam diruit, 50.
Saraceni, 8000. ceu victimæ SS. Cruci, in pœnam fraudis cæduntur, l. 26.
Schardingam Leopoldus II. munit, l. 55.
Obſidetur à Friderico Duce Styriæ, 162.
Scherffenbergius Wilhelmus multatur à Leopoldo probo, p. II. 52.
Seccovienſis Epiſcopatus erigitur, l. 51.
Slavata Guilielmus è feneſtra præceps datus, lll. 26.
Societatis JEſu Patres Græcii, lll. 5.
Solodurum obſeſſum, l. 169.
Spira obſidetur, l. 169.
Stadlaveri ob conſpirationem in Principem ſupplicium, l. 162.
Stainzenſe Canonicorum Collegium quando, & à quo exſtructum? l. 60.
Stephanus Belæ IV. Reg. Hungar. filius Dux Styriæ dictus, l. 87.
Stozzius Forcas cædit, 61. moritur, ibid.
Stephanus Præfectus Mehrenbergam obſidet, l. 88.
à Friderico Petovienſi depellitur, ibid.
Petovionem cingit, 88. Recedit, ibid. Proceribus inſidias ſtruit.
Stozzius Turcas cædit, 61. moritur, ibid.
Stubenbergicus Fridericus deficit ab Alberto I. 134.
cum aliis capitur, 135. cuſtodiæ mancipatur, 136.
Studaverius captus in cuſtodiam datur, l. 135.
Styria, an dicatur à Tauriſcis, aut à Tauro? l. 9.
Styria felicitatem ſuam debet Principibus Auſtriacis, 1.
ante alias Provincias devenit in poteſtatem Auſtriacorum, l. 2.
Styriæ limites moderni, 2.
limites veteres, ibid.
quid ſit demptum? ibid.
ſitus, ibid.
fertilitas, ibid.
Styria metallorum ferax, l. 3.
Vinetis celebris, l. 4.
Styriæ Tribunalia, l. 5.
Styria in Norico, 6.
Styriam venditam quidam fabulantur, l. 20.
Styri cæduntur, l. 65.
Styria occupatur à Cæſareis, l. 71.
Styriæ ordines deliberant de Duce, l. 83.
Styriam varii ſibi ſubjicere ſtudent, l. 81.
Legatos in Misniam ad Margaretham deſtinant, Legati detinentur à Wenceslao Rege Bohemiæ, ibid.
Styri alienantur ab Hungaris, & cur? l. 87.
Queruntur adverſus Albertum Ducem, 133.
Ejus reſponſo magis exacerbantur; Salisburgenſem & Bavarum evocant, 133.
Bavaro ſe dedunt, 134.
Styria à Turcis infeſtatur ſub Ferd. III. p. lll. 52.
Styriæ privilegia confirmantur ab Alberto I. l. 136.
Sueci ejiciuntur Germaniâ, lll. 45.
Briſacum capiunt, lll. 46.
Cæduntur à Cæſareanis, lll. 47.
Pragam obſident, lll. 50.

T.

Tättenbachius in cuſtodiam datur, lll. 65.
obtruncatur, ibid. 66.
Tauriſcorum Gens, l. 6.
Thabor Mons oppugnatus, l. 47.
Thaſſilo Bojorum Dux victus à Carolo M. in monaſterium detruditur, l. 8.
Theodo Dux, quid egerit in Norico? l. 7.
Theodoræ Friderici I. Matris Mors, 80.

Theodoricus, Gothorum Rex Odoacrem necat, l. 7.
Regnum Italiæ ſibi ſubjicit, ibid.
Theodoſius Magnus vincit Barbaros in Norico, l. 7.
Tillius vincit Marchionem Durlacenſem, lll. 31.
Item Brunſuicenſem, ibid
Heidelbergam expugnat, ibi d.
Ad Stadloum Chriſtianum Brunſuicenſem delet, ibid.
Prælio ſuperat Regem Daniæ, lll. 33. cæditur ad Lipſiam, lll. 39. ex vulnere occumbit, ibid.
Tökelius factioſorum Princeps, lll. 63.
Treviri occupantur à Gallis. lll. 45.
Turbæ in Germania poſt mortem Henrici, l. 39.
Turbæ Bohemicæ ſub Ferdinando II. p. lll. 26.
Turbæ in Styria, ll. 89.
Turcæ cæduntur ad Viennam, lll. 70. Item ad Borconum, ibid. Ad Mohazinum, ibid. 71.
Turcæ Styriæ imminent, ll. 89.
Evaſtant Carnioliam, Styriam, Carinthiam, ll. 100. cæduntur, ibidem.
Turrianus Henricus Matth. perduellis Ferdinando II. p. lll. 26.
Tyrolis Auſtriacis conceditur, ll. 7.
Auſtriacis per Hæreditatem accedit, ll. 31.

U.

Venetis ab Auſtriacis bellum infertur, parte ll. 49. 50.
Veneti Tarviſium, aliáque oppida Leopoldo Probo offerunt, ll. 51.
Udalricus ſubrogatur Philippo Archiepiſcopo Salisburgenſ. l. 90.
In Styriam tendens capitur, l. 91.
Renunciat Archiepiſcopatui, 96.
D. Victorinus Petovionis Antiſtes unus ex Noricorum Apoſtolis Martyrio afficitur, l. 6.
Vienna fame à Friderico domatur, l. 73.
capitur à Rudolpho Imp. l. 108.
à Turcis obſeſſa, lll. 69.
Vinarienſis Dux moritur, lll. 46.
Vindorum gens, qualis? l. 7.
D. Virgilii Juvavienſium Antiſtitis exuviæ deteguntur, qua occaſione? l. 17.
Voravienſe Canonicorum Collegium à quo conditum, l. 21.
Vrangelius Suecorum Dux, lll. 50.
Urbes Styriæ, l. 5.

W.

Waldemarus Brandenburgicus legati ſui perfidiam exquiſitè punit, l. 165.
Waldſejus ſopit ſeditionem Auſtriacorum in Fridericum, l. 161.
Wallenſteinius vincit Mansfeldium, lll. 33.
Wanſtorffium captum, 128.
Wartius punitur ob conjurationem in Principem, l. 156.
D. Wenceslaus apparet Henrico Moraviæ Marchioni & Agneti uxori ejus, l. 61.
Wenceslaus Rex Bohemiæ Ordinibus Styriæ Ottocarum filium obtrudit Ducem, l. 81.
Moritur, l. 86.
Wenceslaus Rex Bohemiæ Viennæ captus, ll. 63. labitur, ibid. Ejus fugâ offenditur Sigismundus Rex Hungariæ, ll. 64. conciliatus Auſtriacos Regni Hungariæ hæredes dicit, ibid.
Wenceslaus Rex Bohemiæ moritur, l. 151.
Ejus filius itidem Wenceslaus à Sicario confoditur, 151.
Wildonius deficit ab Alberto I. Duce Styriæ, l. 134.
Wilhelmus Affabilis Dux Styriæ XII. part. ll. Deſponſatur Hedvvigi Ludovici Poloniæ & Hungariæ Regis filiæ, ibid. Sponſæ cauſâ in Poloniam abit, ibid. 61. Theſauros allatos amittit ibid. 62. Alberto III. Regimen Provinciarum tradit, ibid. 62. Moravos prædones caſtigat, ll. 64. denuò in Moravos ducit, ibid. 65. Item in Hungaros, ibid. Moritur, ibid. 66. Unde affabilis dictus. Ejus Symbolum. Uxor ibid.

Z.

Zeyringanæ Argentifodinæ inundatæ, l. 4.
Zrinius adverſùs Turcas expeditur, lll. 60. Eſſekini pontem exurit, 61.
Caniſiam fruſtra obſidet, ibid. ob conjurationem in Cæſarem capite plectitur, 66.

1. 2. — ex auct. Lips. 1783.

NARODNA IN UNIVERZITETNA KNJIŽNICA
COBISS
000000320824

